P

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
19 C
4 M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

44.3.11.
47 47
E D
10 28
71
8
E
3/
3/4.

Digitized by Google

Digitized by Google

# TRACTATVS THEOLOGICI DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ.

## *PARS PRIMA.*

IN QVA DE NATVRA, CAVSIS, EFFECTIBVS, ET cæremonijs ſacramentorum in communi, diſſeritur.

*AVTHORE*

Fr. PETRO A SANCTO IOSEPH ex Congregatione Fulienſi, Ordinis Ciſtercienſis.

Biblo. Secr. Coll. Rom. Soc.
Ex legato Ill.mi Coccini
BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

*TOLOSÆ TECTOSAGVM,*
Apud PETRVM BOSC. M. DC. XXVII.

*Cum priuilegio Regis.*

[illegible] [illegible]

Digitized by Google

SANCTISSIMÆ,

AVGVSTISSIMÆ, SVPEREMINENTISSIMAE, ET IMIS HOMINVM PRAECORDIIS ADORANDAE TRINITATI IN VNITATE SVBSTANTIÆ: VNITATI IN PERSONARVM TRINITATE, DEO VNI, ET TRINO.

PATRI

AETERNO, IMMORTALI, INGENITO: TOTIVS TRINITATIS FONTI, ET PRINCIPIO: RERVMQVE OMNIVM CÆLESTIVM AC TERRESTRIVM; VISIBILIVM, ET INVISIBILIVM CREATORI POTENTISSIMO.

FILIO

VNIGENITO, COÆQVALI, COÆTERNO, CONSVBSTANTIALI: NATVRÆ HVMANÆ RESTAVRATORI PIISSIMO; SACRAMENTORVMQVE OMNIVM AVTHORI ET INSTITVTORI SAPIENTISSIMO, DOMINO IESV CHRISTO.

SPIRITVI SANCTO

PARACLETO, A PATRE, ET FILIO PER VOLVNTATEM AB ÆTERNO PROCEDENTI; GRATIÆ, CHARITATIS, ALIORVMQVE DONORVM COELESTIVM COLLATORI BENIGNISSIMO: NEC NON HOMINVM SANCTIFICATORI, ET GLORIFICATORI AMANTISSIMO.

BEATISSIMÆ,

ET INTEMERATÆ VIRGINI MARIÆ, ÆTERNI PATRIS FILIAE OBSEQVENTISSIMAE: IESV CHRISTI REDEMPTORIS MATRI DIGNISSIMAE: ET SPIRITVS PARACLETI SPONSAE DILECTISSIMAE.

SANCTISSIMO
IOSEPH, IMMACVLATÆ CONIVGIS DEIPARAE SPONSO CASTISSIMO: CHRISTI INFANTVLI NVTRITIO, ET CVSTODI VIGILANTISSIMO: VIRTVTVMQVE OMNIVM ORNAMENTIS INSTRVCTISSIMO.

ORDINIS
CISTERCIENSIS PATRIARCHÆ CLARISSIMO; ECCLESIAE CATHOLICAE DOCTORI, ET PROPVGNATORI PRAESTANTISSIMO: SACRATISSIMAE VIRGINIS ALVMNO SVAVISSIMO; TOTIVSQVE ORBIS SIDERI LVCIDISSIMO BERNARDO.

AC TANDEM
CONGREGATIONIS FVLIENSIS INSTITVTORI MERITISSIMO IOANNI DE LA BARRIERE, QVEM BONI OMNES VT VIRVM SANCTISSIMVM IVRE COLVNT, SVSPICIVNT, VENERANTVR, MAXIME VERO VRBS ISTA TOLOSANA CVI SACRIS SVIS CONCIONIBVS, ET EXIMIA VITAE SANCTIMONIA, HVMILLIMVS, ET RELIGIOSISSIMVS PATER SVPERIORI SÆCVLO PRÆLVXIT.

OPVSCVLVM ISTVD QVANTVLVMCVMQVE EST, DE SACRAMENTIS ECCLESIAE IN COMMVNI SVAQVE ALIA OMNIA STVDIA, CVRAS, LVCVBRATIONES, COGITATIONES PRAESENTES, ET FVTVRAS: INTELLECTVM, VOLVNTATEM, MEMORIAM: AC DENIQVE SE TOTVM DAT, DICAT, CONSECRAT, MISERRIMVS PECCATOR, MONACHORVMQVE FVLIENSIVM POSTREMVS,

*FRATER PETRVS A SANCTO IOSEPH.*

*ILLVSTRISSIMO VIRO,*

# DOMINO D. DE VIC,

## ARCHIEPISCOPO CORINTHIO,

*NEC NON*

## REVERENDISSIMI

ARCHIEPISCOPI AVSCENSIS
Coadiutori meritiſſimo, &c.

*Fr.* *PETRVS A SANCTO IOSEPH,*
*Ex Congregatione Fulienſi.*

## S. P. D.

O*FFERO tibi*, ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME; *tractatū de Eccleſiæ ſacramentis, cuius prima pars in lucem iam prodit, ſub luce tua. Quàm rectè, quàm iuſtè, in eam ego cogitationem adductus fuerim, res ipſa, vt reor, per ſe ſatis demonſtrat. Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Auſcenſi*



Digitized by Google

*Adiutor lectus es, ſucceſſorque deſtinatus; quam tibi honõris dignitatem eximiæ tuæ virtutes, & merita ampliſſima pepererunt. Gloriantur Auſcenſes talem ſe ac tantum nactos Antiſtitem, in quem vnum, ceu in communẽ omnium parentem corda, oculoſque conuertunt. Tu viciſſim,* ARCHIPRÆSVL AMPLISSIME, *eos omnes paterno affectu complecteris: tu te omnibus gratiſſimum, & perquam amabilem reddis: licet enim in alto poſitus ſis, non tamen altum ſapis; quod ſuauiſſimus noſter Bernardus epiſt.* 42. *inuſitatum æquè ac glorioſum eſſe teſtatur. Tu omnes, etiam infimæ notæ homunciones benigniſsimè excipis; omnibus tu munificentiæ, & liberalitatis vbera porrigis; eoſque nutricis in morem, latiſsimo charitatis tuæ ſinu foues, iuxta illud numer.* 11. Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum. *Vnde ſicut olim Roma Auguſtum, & Tullium patres patriæ; ſic te (alterum Galliæ Tullium) Auguſtæ noſtræ, imo tuæ piſſimum,*

*ac ſuauiſsimum patrem verè poſſumus nũcupare. Num igitur inter populares meos, qui tibi fauſtiſsimum precantur aduẽtum, te ego ſolus inſalutatum prætercam? Quandiu gratulabũdi Nouempopuloniæ vici tuis laudibus perſonant, ſilebo? Inter tot præclara lætitiæ, gratitudinis, & officiorum monumenta, quibus omnes ſe tibi æternùm deuinctos eſſe palam teſtantur, nullo ego argumẽto interiorem animi mei ſenſum prodam? Profectò quamuis aliæ deeſſent, hæc vnica me ratio compelleret, vt meas haſce lucubrationes nomini tuo illuſtriſsimo dicatas, & conſecratas vellem. Quid, quod idipſum ſuadent, imo prorſus imperant, non exiguæ amoris in me tui ſignificationes, quibus niſi viciſsim aliqua gratitudinis teſtificatione pro modulo reſpondeam, inurbani, & ingrati animi vitium apud æquos iudices non effugiam. Denique, vt multa paucis complectar, quæcunque ij, qui benè ſuis laboribus cõſultum eſſe cupiunt, in patrono ſuo magnopere deſiderant, ea tibi ſuppetunt*

*cumulatiſſimè; dignitatis ſplendor, generis claritas, opum affluentia, conſuetudinis ſuauitas, præſtantia ingenij, litterarum ſtudium, & quod caput eſt, vitæ, morumque integritas. Quis igitur mihi iure ſuccenſeat, ſi communi illa ſcribentium cupiditate allectus, opuſculo huic Theologico eum fautorem præficiam, qui illud authoritate ſua illuſtrare, virtute tueri, iudicio probare, & ab eorum morſibus vendicare poſsit, quibus, quò minor eſt ad rectè ſentiendum prudentia, eò impudentior ad inique carpendum audacia? Certè cum à ſe, vel ab authore ſuo nullam habere poßit tenuis iſte labor cõmendationem, quærendus erat patronus, cuius nomen clariſsimum aliorum gratiã ipſi conciliaret. Tu verò ille es,* ARCHIPRÆSVL AMPLISSIME, *qui tantà apud omnes polles gratia, vt quidquid tibi gratum fuerit, id totum, vel eo ſolo nomine, alijs placiturum putem. Prodeat ergo in vulgus cum bona tua venia, liber iſte ſub titulis tuis; ancipitem iudiciorum aleam*

Digitized by Google

*ſubeat te iudice. Tuo hocce præſidio, & authoritate, ceu Aiacis clypeo contectus, non eſt quod, etiam ſeuerioris Ariſtarchi ſupercilium pertimeſcat. Si verò dignum eum iudicaueris, qui in percelebri illa tua bibliotheca, quam magnis ſumptibus in dies ornare pergis, loculum obtineat, domeſticum habebis,* ARCHIPRÆSVL AMPLISSIME, *mei in te ſtudij, obſeruantiæ & æterni amoris monumentum.* VALE.

Toloſæ è noſtro Monaſterio ſancti Benedicti, Kalend. Aprilis, Anno à Virginis partu 1627.

# AD LECTOREM.

TRACTATVS iſte Theologicus de Sacramentis Eccleſiæ, diuiditur in quinque partes principales, Beneuole Lector. In prima agitur de Sacramentis in communi. In ſecunda de ſacramentis omnibus characterem imprimentibus, Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine. In tertia diſputabitur de venerabili Euchariſtiæ Sacramento, & Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio. In quarta de Pœnitentia, & Extrema vnctione. In quinta, & poſtrema de Sacramento Matrimonij.

In Secunda parte ideo, prætermiſſo ordine conſueto, agitur de tribus Sacramentis quibus character in anima imprimitur; quia licet non naturæ, certè doctrinæ ratio id poſtulare videbatur. Nam cum in prima parte agatur de duobus effectibus ſacramentorum, gratia nimirum & charactere, in ſequenti non immeritò tractari poteſt, de omnibus Sacramentis quibus vterque ille effectus eſt communis. Maximè cum eiuſmodi ſacramenta in nonnullis aliis, in quibus cum reliquis ſacramentis diſcrepant, inter ſe aliquò modo conſentiant.

Quælibet pars huiuſce Tractatus in varias diſ-

putationes ſubdiuiditur. Singulæ diſputationes nonnullas ſectiones, cum earum ſummariis complectuntur. Et in vnaquaque ſectione difficultas propoſita vna, aut altera, vel interdum pluribus aſſertionibus, iuxta rei exigentiam reſoluitur: & præcipua oppoſitæ ſententiæ fundamenta conuelluntur: eadem plane methodo, & ordine quem aliàs in Tractatu noſtro de Gratia obſeruauimus.

In fine huius primæ partis ſuppoſuimus compendium illius abſolutiſſimum, in quo Theoremata omnia quæ ad doctrinam ſacramentorum in communi ſpectant, ſuis interdum rationibus confirmata, breuiter proponuntur. Quod etiam in reliquis huiuſce tractatus partibus religioſe obſeruabimus, vt quibus longiores diſputationes moleſtiam parere ſolent, quique ad excitandam præteritorum ſtudiorum memoriam, non niſi ad indices, & ſummaria librorum confugiunt, ij ſcientiam integram ſacramentorum in dictis compendiolis, velut in tabellis depictam, vno quaſi intuitu percipere queant.

Quodlibet compendium in modum indicis alphabetici conſtruetur; quo fiet, vt quæ alioqui materia ad vnum caput facilè reduci poſſet, ea ad plura neceſſariò ſit reuocanda. Et ſic, vt exemplo res fiat manifeſta, licet in prima hac parte agatur tantùm de ſacramentis in communi, & conſequenter omnia quæ in ea tractantur videlicet natura, cauſæ, effectus, cæremoniæ ſacramentorum & ſimilia reduci ferè poſſint ad vocem, *Sacramentum*, vt tamen index ex literis omnibus, aut ſaltem præcipuis, more ordinario concinnari queat,

prædicta omnia in ſua quæque loca diſtribuenda ſunt;ita vt hîc agatur de natura, ibi de cauſa,alibi de effectibus ſacramentorum.Imo vno in loco de illorum materia, in alio de forma, quæ duæ ſunt partes ſacramentorum eſſentiales. Et ſic de reliquis.

Poſt compendium autem aſſerentur in ſingulis partibus per ordinem, decreta Iuris Canonici quæ in iis explicantur. Et ne eiuſmodi Index ſit nimis ieiunus, & lectori quodammodo vſui eſſe poſſit, indicato Iuris loco vnde quilibet Canon deſumptus eſt, quid ex eo Canone in noſtris diſputationibus probetur,breuiter patefiet.

Illud etiam curabimus, vt cuilibet parti huius tractatus adiungantur indices tâm diſputationum, & ſectionum, quam rerum quas ante memorauimus: vt qui tractatum comparare voluerint, aut ſingulas partes à ſingulis auulſas, & disiunctas; aut duas ſimul eodem volumine contentas pro arbitrio habere valeant.

Et hæc de methodo in toto iſto tractatu hactenus ſeruata, & impoſterum ſeruanda dicta ſufficiant. Reliquum eſt, optime lector, vt quæ errata in huius libri lectione deprehenderis, ea partim operariorum incuriæ, partim certè inſcitiæ noſtræ tribuas,& ignoſcas: Deumque ſacramentorum authorem preceris, vt me ſacramenta parum dignè tractantem, ſacramentorum fructu dignum efficiat. VALE.

# ELENCHVS DISPVTATIONVM ET SECTIONVM HVIVS PRIMÆ PARTIS.

## DISPVTATIO I.

De ijs quæ ad eſſentiam & definitionem ſacramenti pertinent.


Sectio 1. *An Sacramentum ſit in genere ſigni.* 8.

2 *An Sacramentum ſit ſignum ſenſibile ex inſtitutione ſtabiliter ſignificans.* 14.

3 *An ſacramentum definiri poſſit.* 21.

4 *Quænam ſit ſacramenti definitio.* 26.


## DISPVTATIO II.

De materia & forma ſacramentorum.


*Sectio* 1. *An ſacramẽta conſtent materia & forma.* 32.

2 *An ſacramenta conſtent ex materia, & forma, tanquam ex partibus componentibus.* 38.

3 *Qualia debeant eſſe verba quæ in ſacramentis requiruntur.* 44.

4 *An ſacramenta omnia in tota Eccleſia conſtent eadem materia & forma.* 50.

5 *An quando verba formæ in alia tranſmutantur, irritum ſit ſacramentum.* 53.

6 *An ſacramentum teneat quando aliquid formæ additur, vel ſubtrahitur.* 57.

7 *An ſacramentũ valeat quando verba formæ interrumpuntur, vel tranſponũtur vel corrũpuntur.* 60.

8 *An pendeat ex intentione miniſtri quod mutatio formæ ſit ſubſtantialis.* 63.

9. *De mutatione materiæ ſacramentalis.* 69.

10 *An ſit peccatum, ſacramentorum formam, vel*

*materiam immutare.* 71.

## DISPVTATIO III.

De inſtitutione & neceſſitate ſacramentorum in varijs ſtatibus.

*Sectio 1. De inſtitutione ſacramentorum in ſtatu innocentiæ.* 75.
2 *De inſtitutione & neceſſitate ſacramentorum in lege naturæ.* 85.
3 *De inſtitutione & neceſſitate ſacramentorum antiquæ legis.* 101.
4 *De inſtitutione ſacramentorum in lege gratiæ.* 106.
5 *An ſacramenta noua legis ſint ad ſalutem neceſſaria.* 117.

## DISPVTATIO IV.

De cauſa principali ſacramentorum.

*Sectio 1. A quo ſacramenta inſtituta fuerint* 124.
2 *An aliqua creatura ſacramenta noua legis vel ſimilia inſtituere potuerit.* 129.
3 *An poteſtas excellētiæ quæ Chriſto vt homini competit in ordine ad ſacramenta, alicui puræ creaturæ communicari potuerit.* 135.

## DISPVTATIO V.

De cauſa miniſterali ſacramentorum.

*Sectio 1. Quis ſit miniſter ſacramentorum.* 144.
2 *An ad valorem ſacramenti fides miniſtri neceſſaria ſit.* 153.
3 *An ad valorem ſacramenti neceſſaria ſit probitas miniſtri.* 159.
4 *An intentio miniſtri ad veritatem ſacramenti ſit neceſſaria.* 164.
5 *In qua proponitur & refellitur ſententia cuiuſdam recētioris de intentione miniſtri ſacramentorū.* 177.
6 *Qualis debeat eſſe intentio miniſtri vt ſacramen-*

*tum teneat.* 187.
7 *An error materiæ, vel perſonæ intentionem miniſtri, atque adeo ſacramentum vitiet.* 193.
8 *An Deus ſupleat defectum intentionis.* 196.

DISPVTATIO VI.

De peccatis quæ in adminiſtratione ſacramentorum contingere ſolent.

*Sectio* 1. *An qui miniſtrat ſacramentum in ſtatu peccati mortalis, peccet mortaliter.* 202.
2 *Quid facere debeat ſacerdos in peccato exiſtens, vt nouũ peccatũ, ſacramẽta adminiſtrãdo euitet.* 209.
3 *An ſit peccatum mortale exercere ſacramentalia & actus ordinum in mortali.* 217.
4 *An ſit peccatum exercere aliquos alios actus in peccato mortali.* 222.

DISPVTATIO VII.

De cauſa ſuſceptiua ſacramentorum eiuſque diſpoſitione.

*Sectio* 1. *Quæ diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente ad valorem ſacramenti.* 229.
2 *An ad gratiam ſacramenti requiratur in ſucipiente aliqua diſpoſitio.* 235.
3 *Vtrum liceat ſacramentum petere ab eo quem ſcio in adminiſtratione peccaturum* 244.
4 *An liceat petere ſacramentum baptiſmi, & pœnitentiæ ab excommunicatis, aliaue cenſura eccleſiaſtica ligatis.* 251.
5 *An à miniſtris non toleratis alia ſacramenta petere liceat.* 261.

DISPVTATIO VIII.

De primario ſacramentorũ effectu nempe gratia.

*Sectio* 1. *An ſacramenta nouæ legis gratiam conferant.* 269

2 *An ſacramenta noua legis gratiam conferant ex opere operato.* 274.
3 *An ſacramenta noua legis immediatè producant gratiam.* 279.
4 *An ſacramenta noua legis gratiam producant phyſicè, an verò tantùm moraliter.* 283.
5 *In qua referuntur, & refelluntur varij modi quibus cauſalitas phyſica ſacramentis tribui ſolet.* 302.
6 *In qua proponuntur multa argumēta aduerſus cauſalitatem moralem ſacramentorum.* 321.
7 *Vtrum gratia ſacramentalis diſtinguatur ab habituali.* 339.
8 *An ſacramenta antiqua legis gratiam contulerint.* 345.

## DISPVTATIO IX.

De minus præcipuo ſacramentorum effectu, nempe charactere.

*Sectio* 1. *An character conferatur per aliqua ſacramenta.* 350.
2 *An character ſit ens reale, abſolutum, & ab anima diſtinctum.* 355.
3 *In quo prædicamento collocandus ſit character.* 360.
4 *In quo ſubiecto immediato ſit character.* 367.
5 *An character animæ indelebiliter inhæreat.* 374.

## DISPVTATIO X.

De cæremonijs ſacramentorum, quæ vulgo ſacramentalia appellantur.

*Sectio* 1. *An ſit in Eccleſia poteſtas inſtituendi ſacramentalia.* 378.
2 *An ſacramentalia habeant vim aliquam delendi peccata venialia, alioſque effectus in nobis producendi.* 386.

# TRACTATVS THEOLOGICI DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ.

## PROOEMIVM.

### *In quo breuiter de varijs acceptionibus ſacramenti agitur.*

ANTEQVAM de natura, & definitione ſacramenti diſſeramus; operæ pretium eſt præmonere quot modis *Sacramentum* apud Authores, tam prophanos, quam ſacros vſurpari ſoleat. Sciendum igitur eſt *Sacramentum* imprimis ſumi apud prophanos Authores pro pignore quod olim à litigantibus in loco ſacro deponi ſolebat; ita vt qui vinceret depoſitum ſuum repeteret; qui verò cauſa caderet illud amitteret, & in ærarium publicum conferret.

Secundò, accipitur *Sacramentum* pro iuramen-

to: vnde ſacramentum militare dicitur iuramentum illud quo ſe obſtringunt milites, vt Regi in bello fidelem præſtent operam: quò fit vt ipſi etiam ratione talis iuramenti ſacramentarij olim appellarentur. Et hæc acceptio ſacramenti ſatis frequens eſt in iure Canonico, & Ciuili: item apud Authores non tantùm prophanos, ſed etiam Catholicos.

Tertiò, *Sacramentum* apud Authores Eccleſiaſticos ſumitur pro re aliqua ſecreta, & à cognitione hominum remota. Sic Tobiæ cap. 12. dicitur, *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.* & ad Epheſios 1. *Vt notum faceret ſacramentum voluntatis ſuæ*, id eſt, *ſecretum*. Et huic voci in iſta ſignificatione, & duabus ſequentibus reſpondet apud Græcos nomen, *Myſterium*, quod rem occultam, & ſecretam ſignificat: vt intelligitur ex verbis Pauli 1. ad Corinth. 13. *Si nouerim myſteria omnia*, &c. & ex pluribus alijs quæ paſſim in Scriptura occurrunt.

Quartò, *Sacramentum* ſignificat ſignum externum rei latentis, & occultæ, iuxta illud Apocal. 17. *Dicam tibi ſacramentum mulieris*, id eſt, manifeſtabo tibi quid ſignificet mulier illa meretrix quam vidiſti. Et in hac etiam ſignificatione nomini *Sacramentum* æquiualet prædicta vox Græca, *Myſterium*, quæ non tantùm rem occultam, ſed etiam externum illius ſignum denotat.

Denique, *Sacramentum* idem eſt ac cæremonia conſecrans hominem Deo: ſiue ſignum rei ſacræ, non cuiuſcumque, ſed ſacrantis & initiantis hominem. Et iſta acceptio reſpondet propriè

ethymologiæ ſacramenti, quæ à ſacrando deducitur vt aduertunt communiter Theologi. De ſacramento igitur in poſtrema iſta ſignificatione, quatenus accipitur pro ſigno externo rei occultæ, & ſacræ qua homines conſecrantur, tota futura eſt noſtra hæc tractatio.

Porrò ex dictis collige aduerſus hæreticos huius temporis nomen ſacramenti reperiri in Scriptura ſacra in vltimo ſenſu allato in quo vſurpatur à Scholaſticis: licet enim varijs in locis ſignificet rem ſecretam, & abſconditam: negari tamen non poteſt quin aliàs pro ſigno rei ſecretæ, & latentis vſurpetur: vndè meritò applicari poteſt noſtris ſacramentis, quæ hoc habent commune cum multis alijs rebus, vt ſint ſigna quædam rei ſacræ, & arcanæ; ſicut dicimus nomen animalis competere homini, etſi illi ſoli non conueniat, ſed alijs rebus non paucis commune ſit.

Reperitur etiam nomen ſacramenti apud Patres in ea ſignificatione iuxta quam à nobis vſurpatur. Tertull. lib. de Præſcriptionibus aduerſus hæreticos cap. 40. baptiſmum & confirmationem vocat, *Res ſacramentorum diuinorum*, & inferiùs, *Sacramenta Christi*. Cyprianus lib. 2. epiſt. 1. *Tunc enim demum*, inquit, *planè ſanctificari, & eſſe filij Dei poſſunt, ſi ſacramento vtroque* (id eſt baptiſmo & manuum impoſitione ſeu confirmatione) *naſcantur*. & lib. 4. epiſt. 7. *Neque enim ſic in ſacramento ſalutari delictorum contagia, vt in lauacro carnali & ſæculari ſordes cutis, & corporis abluuntur*, &c. Auguſtinus nomen ſacramenti in prædicta ſignificatione paſſim vſurpat, vt fatetur

ipſe Kemnitius : ſufficiat nunc vulgaris ille locus ex tractatu 80. in Ioannem deſumptus, *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum*, idem videri poteſt apud alios Patres quorum meminit Suarez in præfat. Tomi tertij, vbi pro eadem ſententia varios Pontifices, & Concilia allegat.

Ex quibus omnibus perſpicuum eſt nomen ſacramenti eſſe antiquiſſimum; tantum abeſt vt ſit nouum, & à Scholaſticis nuper inuentum vt volunt hæretici. Quare etſi nomen illud in Scriptura non reperiretur, eſſet tamen retinendum propter authoritatem tantorum Patrum, & vſum Eccleſiæ : maximè quod rem de qua agitur apprimè ſignificet; ſicut retinemus nomen Trinitatis, perſonæ, vel hypoſtaſis, cönſubſtantialis, & ſimilia, eſto in ſcriptura non contineantur.

Neque his quæ iam diximus repugnat Dominicus Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. cum ait, non debere nobis vitio dari quod nouis inuentis rebus noua adaptemus nomina : non enim intendit docere vocem ſacramenti eſſe nouam, vt falsò nonnulli exiſtimant : ſiquidem immediatè poſt verba citata expreſsè tradit Hieronymum, Auguſtinum, Lactantium, & Tertullianum quem vetuſtiſſimum vocat, eo vſos eſſe nomine in noſtra ſignificatione, vult ergo tantum dicere nouis inuentis rebus licere nobis, id eſt, ſcriptoribus Catholicis quales erant, Hieronymus, Auguſt. & ſimiles noua adaptare nomina : ſiquidem eorum tanta erat authoritas, vt quemadmodum in alijs noſtræ fidei myſterijs, ita & in iſto vocem nouam inſtituere potuerint. Sed hæc de voce ſacramenti præfationis loco dicta ſufficiant.

# PRIOR PARS
## HVIVS
# TRACTATVS
## DE SACRAMENTIS.

*IN QVA PRIMVM*
*de Sacramentis omnibus in genere.*

DEINDE VERO DE
tribus Sacramentis characterem
imprimentibus, in ſpecie
diſſeritur.

Digitized by Google

# DISPVTATIO PRIMA.

## *De ijs quæ ad eſſentiam & definitionem Sacramenti pertinent.*

### In quatuor Sectiones diuiſa.

QVIA *ſignificatio Sacramenti, de qua in Proœmio huiuſce tractatus agendum fuit; ita coniuncta eſt cum ipſius Sacramenti definitione, & eſſentia, vt hæc ſine illa perfectè cognoſci non poſſit: Ideo priuſquam diſſeramus de quæſtione an ſit ſacramentum, ſeu de illius inſtitutione, quod Deo dante Diſput. 4. præſtabimus; operæ pretium eſt inueſtigare quid ſit: idque imprimis more metaphyſicorum, per genus, & differentiam. Hæc igitur Diſputatio in quatuor Sectiones ſequentes diuiditur. Sectio prima, An ſacramentum ſit in genere ſigni. Secunda, An ſacramentum ſit ſignum ſenſibile, ex inſtitutione, ſtabiliter ſignificans. Tertia, An ſacramentum definiri poſſit. Quarta denique quænam ſit ſacramenti definitio.*

## SECTIO I.

*An Sacramentum ſit in genere ſigni.*

### SVMMARIVM.

*Non eſt de ratione ſacramenti vt veram, & internam animæ ſanctitatem conferat, ſed tantum externam, & legalem: eſt tamen de ratione illius vt veram ſanctitatem ſignificet; vnde in genere ſigni, non cauſæ conſtitui debet.*

DVm quærimus an ſacramentum ſit in genere ſigni, non eſt ſenſus an vox illa *Sacramentum* ſit in genere ſigni: conſtat enim eam eſſe in tali genere, ſicut reliqua nomina ad placitum ſignificantia. Sed quæſtio eſt an res ſignificata per nomen ſacramenti in genere ſigni, an verò in genere cauſæ collocari debeat: vt autem huic difficultati fiat ſatis, ſequentes aſſertiones obſeruandæ ſunt.

Prima aſſertio, *Non eſt de ratione ſacramenti vt veram, & internam animæ ſanctitatem conferat: ſed tantum externam & legalem.* Vt hoc intelligas nota duplicem eſſe ſanctitatem, aliam internam, & ſpiritualem quæ fit per gratiam ſanctificantem: aliam externam, & legalem quæ erat propria ſtatui Iudæorum, & conſiſtebat in quibuſdam iuſtitijs carnis, vt loquitur Apoſtolus ad Hebræos 9. ſicut enim illi ex contactu mortui, & ſimilibus

rebus legalem quandam & corporalem immunditiam contrahebant; ita varijs luſtrationibus lege præſcriptis munditiem externam, & legalem obtinebant.

Hoc poſito, prior aſſertionis noſtræ pats facilè probari poteſt argumento ex veteribus ſacramentis deſumpto: ea enim vera erant ſacramenta, & vniuocè cum noſtris in ratione ſacramenti conueniebant: ſiquidem nulla Religio ſubſiſtere poteſt abſque veris ſacramentis, & ſacrificijs: quare cum in veteri lege vera eſſet Religio, itemque vera ſacrificia, nulla ſuppetit ratio cur negemus in ea vera fuiſſe ſacramenta. Cæterum eiuſmodi ſacramenta non conferebant gratiam internam ex opere operato, vt fert communis Theol. ſententia, de qua inferiùs agendum erit: verum igitur eſt non eſſe de ratione ſacramenti vt internam animæ ſanctitatem conferat.

Poſterior pars ex eo ſuadetur; quia ſacramentum, vt dicetur inferiùs, eſt cæremonia ſacra ordinata ad ſanctificandos aliqua ratione cultores Dei: in eo enim ſacramentum diſtinguitur à ſacrificio, quod hoc immediatè inſtituitur ad cultum Deo tribuendum; quocumque titulo ſiue iuſtitiæ, ſiue Religionis id fiat: illud verò immediatè ordinatur ad ipſos cultores Dei, vt nimirum eos diſponat, & quodammodo ſanctificet ad cultum Deo ritè; vt par eſt, exhibendum.

Atque ea eſt ratio cur ſacramenta omnia quæ hactenus inſtituta fuerunt, vim aliquam ſanctificandi habuerint: ſacramentum enim legis naturæ ordinatum erat ad remiſſionem peccati originalis; ſacramenta verò antiquæ legis ſanctitatem

ſaltem externam, & legalem conferebant: ac tandem ſacramenta à Chriſto in noua lege inſtituta, veram & internam animæ ſanctificationem ex ſe, & vt aiunt, ex opere operato conferunt.

Quod non tantùm certum eſt de alijs ſacramentis, ſed de ipſo etiam matrimonio: licet enim vt pendet à voluntate humana, ſit contractus quidam ciuilis nullam vim ſanctificandi habens; vt tamen eleuatum eſt à Chriſto ad dignitatem, & rationem ſacramenti nouæ legis, eſt cæremonia quædam ſacra ad religionem pertinens, & ad ſanctificationem coniugum inſtituta.

Secunda aſſertio, *De ratione ſacramenti eſt vt veram animæ ſanctitatem ſignificet.* Ita Sanctus Thom. 3. p. Quæſt. 60. art. 2. ad 3. vbi docet ea quæ ſignificant diſpoſitionem ad ſanctitatem non dici ſacramenta, ſed ſolùm ea quæ ſignificant perfectionem ſanctitatis humanæ, id eſt, perfectam ſanctitatem quæ in gratia ſanctificante conſiſtit.

Probatur autem primò ex communi ratione ſacramenti, quæ in eo poſita eſt vt ſit ſignum externum, & ſenſibile myſterij alicuius latentis, & arcani: quare ſignificare debet ſanctitatem aliquam perfectiorem externa, & legali; nimirum eam quæ interiùs fit per Gratiam.

Secundò idem ſuadetur inductione. Nam ſacramentum legis naturæ conferebat gratiam ſanctificantem, & conſequenter eam ſignificabat. Sacramenta autem nouæ legis nemine reclamante eandem gratiam ſignificant: cum hoc tamen diſcrimine, quod Euchariſtia, quæ eſt ſacramentum permanens, & ſuam ſignificatio-

nem habens ante vſum, proximè ſignificat Chriſtum, remotè verò gratiam quæ in vſu illius ſacramenti confertur: reliqua autem ſacramenta cum eſſentialiter in vſu poſita ſint, immediatè ſignificant internam animæ ſanctificationem ad quam proximè ſunt ordinata.

Denique quod ſacramenta legis veteris veram gratiam ſignificauerint, conſtat primò ex Concilio Florent. in literis vnionis, vbi habetur ſacramenta vetera, quamuis gratiam non conferrent, ſignificaſſe gratiam per Chriſtum dandam. Secundò ex eo quod ſacramentum eſt genus vniuocum reſpectu ſacramentorum veteris & nouæ legis; hoc autem non habet in ratione cauſæ, quia noua conferunt veram ſanctitatem, vetera tantum legalem quæ non niſi analogicè ſanctitas dicenda eſt. Ergo hoc illi competit in ratione ſigni; & conſequenter ſacramenta omnia debent ſignificare ſanctitatem vniuocam, quæ eſt illa dumtaxat qua interiùs ſanctificamur.

Ex dictis collige quo ſenſu ſacramentum appellari queat ſignum practicum: ſi enim practicum voces illud per quod actu datur gratia ſanctificans, hoc modo ſacramentum in genere non poteſt dici ſignum practicum. Quòd ſi id practicum appelles quod producit ſanctitatem aliquam ſiue externam, ſiue internam, & in ea productione dicit ordinem ad ſanctitatem veram, vel tunc, vel aliàs conferendam; hac ratione concedi poteſt ſacramentum eſſe ſignum practicum. Denique ſi ſignum practicum ſumatur propriè pro ſigno efficiente id quod proximè ſignificat, hoc etiam modo ſacramentum in ge-

nere dici poterit ſignum practicum: nullum enim eſt quod non ſit cauſa eius ſanctitatis ſiue veræ, ſiue analogicæ quam immediatè ſignificat. Dixi (quod proximè, ſeu immediatè ſignificat) ſi enim ſacramentum comparetur ad omnia quæ ſignificat, ſic nec ipſa nouæ legis ſacramenta dicenda erunt practica; cum non efficiant paſſionem Chriſti, aut futuram gloriam quam ſignificant.

Tertia aſſertio. *Sacramentum debet conſtitui in genere ſigni, non cauſæ.* Ratio eſt, quia licet eſſe cauſam & ſignum ad rationem ſacramenti pertineat: eſt tamen diuerſitas, quia eſſe cauſam competit ſacramento ex parte materiæ, quatenus ſacramentum materialiter ſumptum eſt cæremonia quædam ſacra qua homines aliquo modo ſanctificantur: eſſe autem ſignum competit ſacramento formaliter, quatenus Deus cæremoniæ ſacræ adiungit ſignificationem ſanctitatis perfectæ tanquam rationem formalem qua ſacramentum in eſſe ſacramenti conſtituitur. Quare ſacramentum potius in genere ſigni quam cauſæ collocandum eſt.

Accedit quod ſacramentum denominatur præcipuè à ſanctitate perfecta quæ eſt ſacra, & valde occulta: inter ſacramenta autem nonnulla ſunt quæ eiuſmodi ſanctitatem producunt, alia verò minimè: prioris generis ſunt ſacramenta noua, poſterioris vetera: vnde non eſt de ratione ſacramenti in genere eſſe cauſam gratiæ. Porro nullum eſt ſacramentum quod veram gratiam non ſignificet, quare ſacramentum potiùs ſub genere ſigni quam cauſæ collocari debet.

Dices pimò. S. Thom. in 4. diſt. 1. quæſt. 1.

art. 1. quæſtiuncula 1. docet ſacramentum dici à ſacrando actiuè, ſicut medicamentum à medicina quæ noxios humores è corpore eijcit. Reſpondeo, Sanctum Thom. ſuam illam ſententiam retractaſſe 3. part. quæſt. 60. art. 1. & 2. vt præter alios aduertit Dominic. Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1.

Dices ſecundo. Genus & ſpecies ſunt in eodem prædicamento, vt verbi cauſa animal, & homo, in prædicamento ſubſtantiæ: at Baptiſmus, Confirmatio, & extrema Vnctio ſunt in genere actionis, vel paſſionis: ergo ſacramentum in eodem prædicamento collocari debet. Reſpondeo ſacramentum aliquod duobus modis conſiderari poſſe: primò formaliter quatenus eſt ſacramentum; ſecundò materialiter ſecundùm ſubſtantiam ſuam. Priori modò reponi debet in genere ſigni; poſteriori non repugnat collocari in prædicamento actionis, vel paſſionis, vt patet exemplo rerum artificialium, quæ ratione formæ ad qualitatem referuntur, ratione verò materiæ ex qua componuntur, ad prædicamentum ſubſtantiæ pertinent.

Dices tertio. Sacramentum Baptiſmi paruulo collatum nihil illi ſignificat, ergo ad genus ſigni reduci non debet. Reſpondeo, negando conſequentiam. Satis enim eſt quod ſacramentum quantum eſt ex ſe actu ſignificet gratiam, etſi eam non ſignificet illi qui ſacramentum recipit. Ad eum ſanè modum quo in opinione aduerſariorum quam impugnamus, vt ſacramentum ponatur in genere cauſæ, ſatis eſt quod ex ſe gratiam cauſare poſſit, etſi interdum eam ex defe-

ctu diſpoſitionis actu in ſuſcipiente non producat.

## SECTIO II.

*An Sacramentum ſit ſignum ſenſibile, ex inſtitutione ſtabiliter ſignificans.*

### SVMMARIVM.

*Cum ſacramentum ſit ſignum gratiæ, & caremonia Religionis, de ratione illius eſt vt ſit ſenſibile, pendens ex inſtitutione diuina, & longo tempore durans; quamdiu ſcilicet durat ſtatus Eccleſiæ pro qua ſacramentum inſtitutum eſt.*

TRia quæruntur in titulo huius ſectionis. Primò, an ſit de ratione ſacramenti vt ſit ſignum ſenſibile. Secundò, an ſit de ratione illius vt ſit ſignum voluntarium, & ex inſtitutione. Tertiò, an debeat eſſe impoſitum ſtabili aliqua lege, & multo tempore duratura. Quibus difficultatibus triplici aſſertione ſatisfiet.

Prima aſſertio. *De ratione ſacramenti eſt vt ſit ſignum ſenſibile.* Ita communiter Theologi cum Mag. in 4. diſt. 1. & S. Thom. 3. p. quæſt. 60. art. 4. contra Ochamum, Aliacenſem, & Gabrielem qui etſi fateantur ſacramenta de facto eſſe ſenſibilia, dicunt tamen non eſſe de ratione ſacramenti vt ſit ſignum ſenſibile. Probatur autem hæc aſſertio, quia ſacramentum eſſentiali-

ter conſiſtit in ratione ſigni; at ſignum eſſentialiter conſiſtit in re ſenſibili, vt patet ex Auguſt. lib. 2. de Doctrina Chriſt. cap. 1. vbi ſignum definit; *Id quod præter ſpeciem quam ſenſibus ingerit, aliquid aliud in cognitionem venire facit*, quod ſaltem verum eſt de ſigno accommodato hominibus qui naturaliter ſpiritualia non intelligunt niſi per res externas quæ ſenſibus ſubiacent: ergo pertinet ad rationem ſacramenti vt ſit ſenſibile.

Confirmatur, nam ſacramentum eſſentialiter eſt cæremonia, non tantum qua Deus colitur, ſed etiam qua fideles ab infidelibus diſtinguuntur: cæremonia autem qua Deus colitur conſiſtit eſſentialiter in actu quodam externo & viſibili, quod ſimiliter aſſerendum eſt de ſigno quo vnus ab alio diſtinguitur: ſacramentum ergo eſſentialiter ſpectatum conſiſtere debet in re externa, & ſenſibili.

Aduerſarij nonnulla objiciunt. Primò, characterem Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis eſſe ſacramenta, & tamen non eſſe res ſenſibiles, item corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe ſacramentum, & tamen non eſſe modo ſenſibili. Sed hoc argumentum imprimis aduerſus ipſos retorqueri poteſt: fatentur enim eſſe de ratione ſacramenti, prout nunc inſtitutum eſt pro hominibus, vt ſit ſignum ſenſibile: quomodo ergo iam nobis opponunt res non ſenſibiles de facto eſſe ſacramenta? In hoc ſanè non obſcura apparet contradictio.

Vt autem directè objectioni ſatisfaciamus, obſeruandum eſt tria illa in ſacramentis diſtingui; rem tantum, ſacramentum tantùm, rem & ſacramentum ſimul. Res tantùm dicitur illud

quod ſignificatur & non ſignificat: & hic eſt primarius ſacramenti effectus, nempe gratia. Sacramentum tantùm dicitur illud quod ſignificat & non ſignificatur; & ita actio vel res ſenſibilis, & externa quæ in ſacramentis reperitur, dicitur ſacramentum tantùm. Res verò & ſacramentum ſimul, eſt id quod ſignificatur & ſignificat, vt character, corpus Chriſti in Euchariſtia, &c.

Hoc poſito nonnulli reſpondent ad argumentum, id quod ante diximus eſſe de ratione ſacramenti vt ſit ſenſibile, intelligendum eſſe de eo quod eſt ſacramentum tantùm, non autem de eo quod eſt res, & ſacramentum ſimul; hoc enim (inquiunt) non repugnat eſſe ſpirituale, & inſenſible. Sed etſi hæc ſolutio ſufficiens ſit ad ſoluendam obiectionem, malo tamen dicere cum S. Thom. 3.p. quæſt.60. art.4. ad 1. effectus intelligibiles, qualis eſt character, non habere rationem ſigni ſeu ſacramenti, niſi quatenus coniunguntur quibuſdam ſignis ſenſibilibus, per quæ exterius manifeſtantur: vnde character qui ſecundum ſe eſt res reſpectu ſacramenti exterioris, vt loquitur S. Doctor parte citata, quæſt. 63. art. 3. ad 2. non eſt ſacramentum, ſiue ſignum ablutionis ſeu vnctionis internæ, niſi in quantum nobis ſit ſenſibilis per aliud, nempe per ablutionem, vel vnctionem externam, & ſenſibilem, cuius ipſe eſt effectus. Et ſimiliter Chriſtus vt eſt in Euchariſtia, non eſt ſacramentum, ſeu non ſignificat refectionem animæ, niſi quatenus (vt continetur ſub ſpeciebus panis & vini) repreſentatur nobis per modum cibi, & potus. Ita patet characteré & corpus Chriſti, vt ſunt ſacramenta,

menta, ſeu ſigna alicuius effectus interni & ſpiritualis, eſſe ſenſibilia ſi non per ſe, ſaltem per aliud quod ſatis eſt. Vide S. Tho. in 4. diſt. 1. qu. 1.

Secundò obijciunt Deum poſſe inſtituere quoſdam actus internos & ſpirituales, verbi cauſa orationem mẽtalem, meditationem paſſionis Chriſti, actum contritionis, & ſimiles ad ſignificandam & conferendam gratiam ex opere operato, eiuſmodi autem actibus nihil ad rationem ſacramenti deeſſe, eſto non ſint ſenſibiles. Ad hoc reſpondet Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 4. §. *Verumtamen* ſatis eſſe ſi dicamus definitionem non docere quid Deus potuiſſet, ſed quam reuera ſacramentorum materiam inſtituerit, inſtituit autem eam in rebus ſenſibilibus.

Verùm hęc ſolutio difficultatem non ſoluit vt perſpicuum eſt. Quęſtio enim non procedit de facto, ſed tantum de poſſibili cum Occam, & eius ſequaces concedant ſacramenta omnia quæ hactenus inſtituta fuerunt, eſſe ſenſibilia: & tantùm doceant fieri poſſe de potẽtia Dei extraordinaria, de qua ſola procedit eorum argumentum, vt res aliqua non ſenſibilis ſit verum ſacramentum.

Aliter ergo dicendum eſt Deum quidem poſſe actus ſpirituales inſtituere ad gratiam ſignificandam, & conferendam, eos tamen non fore ſacramenta propriè vt de ijs hîc loquimur: agimus enim de ſacramentis vt ſunt quædã ſigna hominibus accommodata ad colendum Deum corpore & animo, qualia nõ poſſunt eſſe prędicti actus ſpirituales & non ſenſibiles vt liquet ex dictis.

Tertiò, obijci poteſt Nicolaus Pontifex, qui cap. *Sufficiat* 27. quæſt. 2. docet ſolum internum

B

conſenſum contrahentium ad verum matrimonium ſufficere. Cum autem ille conſenſus non ſit ſenſibilis, & matrimonium ſit verum nouæ legis ſacramentum, hinc ſequi videtur non eſſe de ratione ſacramenti vt ſit ſignum ſenſibile.

Reſpondeo præfatum Pontificem, & alios qui dicunt ad matrimonium ſolum conſenſum ſufficere, non excludere ſigna externa quibus mutuus vtriuſque partis conſenſus exprimitur; ſed tantum conſenſum in cohabitationem, vel copulam carnalem & ſimilia. Si enim cohabitationis conſenſus matrimonium facit (inquit Nicolaus) tunc frater cum ſorore matrimonium poteſt contrahere: Si carnalis copula, inter Mariam & Ioſeph non fuit coniugiũ. Sed de his latius in propria materia.

Secunda aſſertio. *De ratione Sacramenti eſt vt ſit ſignum voluntarium, & ex diuina inſtitutione.* Ita omnes Theologi. Ratio eſt, quia ſacramentum ſignificat gratiam habitualem, quæ eſt qualitas quædam ſpiritualis, & ſupernaturalis ordinis: nulla autem res ſenſibilis poteſt naturaliter ſignificare gratiam; ſed ſi eam ſignificat, hoc habet ex inſtitutione Dei qui ſolus gratiam promittere, & per ſe ac vi propria conferre poteſt.

Obijcies, primò illud Auguſt. epiſt. 23. ad Bonifacium. *Si enim ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum ſacramenta ſunt non haberent, omnino ſacramenta non eſſent*, quibus verbis videtur colligi ſacramenta habere vim ſignificandi naturaliter, & non ex inſtituto: ſiquidem res alteri ſimilis naturaliter repræſentat eam cum qua habet ſimilitudinem.

Reſponſio communis eſt hunc locum Augu-

ſtini intelligendum eſſe de quadam analogia, & ſimilitudine quæ inter ſigna ſacramentalia & res ſignificatas, quaſi ex natura rei intercedit; verbi gratia, inter ablutionem corporis, & mundationem animæ: cum autem eiuſmodi ſimilitudo non ſufficiat vt res per ſe abſque alia inſtitutione effectum ſupernaturalem perfectè repræſentet, ideò ad perfectam ſignificationem inſtitutio diuina neceſſaria eſt.

Verùm hæc reſponſio non ſatisfacit. Siquidem Auguſtinus ibi loquitur de ſimilitudine propter quam ſacramenta interdum accipiunt nomina rerum quas ſignificant, vt manifeſtum eſt ex varijs exemplis ab illo relatis. Dicit enim diem dominicam, & diem veneris vocari diem Reſurrectionis, & Paſſionis, quia Reſurrectionem & paſſionem ſignificant. Chriſtum in Euchariſtia dici immolatum, propter ſimilitudinem quam habet hoc ſacrificium cum immolatione quæ in cruce peracta eſt. Ac poſtea addit Paulum de Baptiſmo loquentem Rom. 6. non dicere, *ſepulturam ſignificamus*; ſed, *conſepulti ſumus*. Quia ſcilicet Baptiſmus propter ſimilitudinem quam habet cum ſepultura Chriſti, cuius eſt ſignum rememoratiuum, dicitur ſepultura: & qui baptizati ſunt dicuntur Chriſto conſepulti: ac tandem ſubdit, Baptiſmum vocari fidem quia eſt ſacramentum fidei, ſeu quia fides in illo infunditur. Ex his ergo conſtat Auguſtinum agere de ſimilitudine propter quam ſacramenta nonnumquam ſumunt nomina rerum quas ſignificant: at non ſumunt eiuſmodi nomina propter ſimilitudinem naturalem quam habent cum

rebus ſignificatis, ſed propter ſimilitudinē quam habent cum illis ex inſtitutione diuina, vt patet in exemplo allato de Baptiſmo, qui non poteſt dici fides propter natiuam ſimilitudinem quam habet ablutio cum fide, ſed propter ſimilitudinem quam habet à Deo quatenus eſt ſupernaturaliter eleuata ad conſtituendos homines in cœtu fidelium. Et per hoc ſufficienter ſoluta manet prædicta obiectio.

Obijcies ſecundò. Abſolutio quæ datur poſt confeſſionem naturaliter, ſuppoſita hominum inſtitutione ſignificat effectum ſacramenti, nempe remiſſionem peccatorum citra vllam Dei inſtitutionem, ergo non omnia ſacramenta effectus ſuos ex ſola diuina inſtitutione ſignificant.

Reſpondent nōnulli, duo eſſe in ſignificatione horum verborum *Abſoluo te à peccatis tuis*, alterū vt ex ſe ſignificent gratiam remiſſionis collatam ab ipſo Sacerdote, non quidem verè, ſed falsò, quia non habent vim illam conferendi. Alterum vt talem remiſſionem verè ſignificent; quia verè illam conferunt, aut cōferre poſſunt. Et illud prius dicunt conuenire verbis prædictis ex humana inſtitutione, poſterius verò ex inſtitutione Diuina.

Sed neque hæc reſponſio placet. Quia ſi verba abſolutionis, ſpectata ſola hominum inſtitutione, haberent vim ſignificandi, licet falsò, remiſſionē peccatorum per gratiam; ſequeretur quod ſi ipſis daretur vis peccata expellēdi nulla immutatione facta in ipſorum ſignificatione, ea ex ſe eiuſmodi remiſſionem verè, & perfectè ſignificarent: hoc autem paulò durum videtur, quia alioqui per inſtitutionem diuinam nulla facta fuiſſet immuta-

tio in ſignificatione verborum, & rerum ſacramentalium; ſed ipſis tantùm fuiſſet ſuperaddita vis gratiam producendi, & expellendi peccata, quod dici non poteſt.

Reſpondeò igitur verba prædictæ abſolutionis ante inſtitutionem diuinam nullo pacto, ſiue verè, ſiue falsò ſignificare remiſſionem peccatorum per gratiam ſanctificantem, quę in ſacramentis vi verborum, & ex opere operato (vt Theologi loquuntur) producitur: ſed aliam quandam remiſſionem humanam qua homines peccata remittunt ijs à quibus offenduntur.

Tertia aſſertio. *De ratione ſacramenti eſt vt ſit ſignum ſtabile, longo tempore durans.* Ratio eſt, quia ſacramenta ſunt cæremoniæ religionis in quibus fideles conueniunt vt vno modo Deum colant, & vnam Eccleſiam conſtituant: cum ergo religio, & Eccleſia habeant ſtatum permanentem, ſacramenta debent eſſe fixa, & permanentia. Confirmatur, nam ſacramenta ſunt ſigna ad communem hominum vſum inſtituta: eiuſmodi autem ſigna debent eſſe certa lege ſtabilita; aliàs non cenſerentur habere ſignificationem communem de qua agimus.

## SECTIO III

*An Sacramentum definiri poſſit.*

SVMMARIVM.

*Sacramentum dupliciter ſpectari poteſt Phyſicè, &*

*moraliter: priori modo ſpectatum eſt ens per accidens, quod propriè definiri non poteſt: poſteriori verò eſt ens per ſe vnum quòd rectè definiri poteſt, ſicut Eccleſia, Ciuitas, Concilium, &c.*

DEfinitio duobus modis ſumi poteſt: primò pro oratione explicante naturā cuiuſcumq; rei,ſiue verę,ſiue fictæ. Secundò pro oratiōne qua vera alicuius rei poſitiuę eſſentia declaratur. Priori mòdò nemini dubium eſſe poteſt, quin ſacramento poſſit competere definitio;cum ſic definiri poſſint entia fictitia, quatenus ratio per eorum nomen implicitè ſignificata,diſtincta aliqua oratione declarari poteſt. Difficultas igitur eſt,an ſacramento conuenire queat definitio poſterioris generis: pro cuius explicatione noſtra hæc ſit.

Aſſertio. *Sacramentum verè, & propriè definiri poteſt.* Hanc ita probo. Illud quod habet omnes conditiones neceſſarias ad veram definitionem, verè definiri poteſt: Sacramentum habet omnes conditiones huiuſmodi;ergo verè definiri poteſt. Maior perſpicua eſt:minor etiam non habet difficultatem, niſi quantum ad duas conditiones de quibus ſigillatim agendum eſt.

Prior conditio eſt, vt res quæ definiri debet ſit vna per ſe, ſi enim ſit multiplex, habet varias eſſentias, & ita vnica definitione illius ratio explicari non poteſt. Controuerſum eſt autem an hæc cōditio ſacramento competat. Et quidem Scotus 4.diſt.1. quæſt. 2. docet ſacramentum formaliter ſpectatū,quatenus eſt ſignum ex Dei inſtitutione efficax,eſſe vnum, atque adeò definiri poſſe. Spectatum verò in ordine ad ſubiectum illius, quod

eſt res ſenſibilis, & ad terminum correlatiuum, qui eſt gratiâ,eſſe vnum per accidens: quod non impedit quominùs ſacramentum definiri poſſit; quia(inquit)ſubiectum,ſeu fundamentum,& terminus ad eſſentiam ſacramenti non pertinent;ſed ſunt quædam additamenta ipſius.

Verùm hic modus dicendi nobis non probatur. Siquidem relatio ſigni, etſi ſit eſſentialis ſacramento, non tamen conſtituit totam illius eſſentiam: ipſæ enim res ſenſibiles quæ ſunt impoſitæ ad ſignificandum, ſe habent vt materia & forma in ordine ad ſacramentum, vt conſtat ex Concilijs infra allegandis: ac proinde ad intrinſecam, & eſſentialem eorum quidditatem pertinent: videndum ergo eſt an ſacramentum ſpectatum non tantum formaliter in ratione ſigni, ſed etiam materialiter pro rebus ſignificantibus, ſit vnum per ſe,& eatenus definiri poſſit.

Itaque dicimus ſacramentum duobus modis ſpectari poſſe,Phyſicè,& Moraliter.Si priori modo conſideretur,eſt ens per accidens:quia ex vna parte conſtat ex rebus,quę ſunt ſubſtantiæ; ex alia verò componitur ex verbis, & ex ſignificatione quæ ſunt accidentia, ex quibus vt patet, non niſi ens per accidens poteſt conſtitui. Quòd ſi ſacramentum ſpectetur moraliter, quatenus eſt vnum quoddam inſtrumentũ iuſtificationis,qua ratione à Theologis propriè conſiderari debet: ſub eo conceptu eſt ens vnum per ſe, & habet ſuum genus, & differẽtiam ad modum compoſiti Metaphiſici; item materiam, & formam ad modum compoſiti Phyſici.

Iam ſi ſacramentum ſpectetur Phyſicè,fatendũ

eſt illud propriè nō poſſe definiri ex cōmuni ſententiā, quia ſic, eſt ens per accidēs: ſi verò ſpectetur moraliter, nil vetat quin vera definitio illi competere queat, ſicut Eccleſiæ, Concilio, Reipublicę, aliiſque entibus moralibus. Neque refert quod dici ſolet ex Ariſt. 7. Metaph. cap. 4. ens per accidens definiri non poſſe; hoc enim intelligi debet de ente per accidens ſub ea ratione qua tale eſt, non autem ſub ea quà eſt vnum per ſe.

Quin ſi Gabrieli Vazque tom. 2. in 3. part. diſp. 128. cap. 2. credere velimus, effatum illud Philoſophi non debet vniuerſim intelligi de omni ente per accidens, etiam vt tale eſt; ſed de eo quod eſt vnum ſola continuatione temporis, vt bellum, aut colligatione, vt faſciculus; quare cum ſacramentum his modis non ſit vnum per accidens, ſed ad modum entis artificioſi, quod ex pluribus rebus in eandem formam concurrentibus coaleſcit: hinc fit vt ipsū ex mente prędicti Authoris, ſaltē ſecundariò, ſicut accidētia definiri poſſit.

Sed ad aliam conditionem veniamus; poſterior igitur eſt, vt quod definiri debet non ſit ens rationis, quod intellige non de ente rationis quod eſt obiectiuè in intellectu, qualia ſunt obiecta ſcibilia: neque de eo quod ſubiectiuè in anima reſidet, quales ſunt habitus ſcientiarum; ſed de eo ente rationis quod à Philoſophis ſecunda intentio appellari ſolet; quæ nihil aliud eſt quam relatio quædam rationis orta ex actu intellectus comparantis ſuperiora cum inferioribus, aut vice verſa.

Propter hanc conditionem dicit Scotus loco citato ſacramentum non poſſe definiri propriè vt definitur ens reale; ſed tamen abſolutè definiri

poſſe,nimirum ad eum modum quo ens rationis definitur. Exiſtimat enim ille ſacramentum formaliter ſumptum pro ſigno eſſe ens rationis,licet includat entia quædam realia, quæ ad fundamentum illius pertinere exiſtimat. Et eandem ſententiam amplectitur Dominicus Soto in 4. diſt.1. quæſt.1. art.2. quatenus dicit ſignificationem, quam rationem ſacramenti vocat, eſſe ens rationis : & addit ſacramenti definitionem non eſſe quidditatiuam propriè, ſed ſufficere eſſe quidditatiuam eo modo quo ens rationis habet quidditatem.

Verùm quod ſacramentum formaliter ſumptum non ſit ens rationis, vt iſti Authores opinantur, ea ratio oſtendit : quia ens rationis eſt res fictitia, nullum eſſe habens niſi in intellectu cogitante: Sacramentum autem verè exiſtit, & ſignificat gratiam, etſi nullus de eo cogitet: vt patet in venerabili Euchariſtia, quæ verè eſt ſacramentum quamdiu in pixide aſſeruatur, etſi nullus de ea cogitet : ergo non eſt ens rationis, ſed potius ens morale quod exiſtit ſuo modo extra mentem, non phyſicè, ſed moraliter ſicut doctoratus, iuriſdictio, dignitas regia, & ſimilia entia quæ moralia à Theologis appellantur. Atque hinc fit vt ſacramentum rectè definiri poſſit, non quidem tantùm ad modum entis rationis, ſed etiam ad modum entis moralis, qualia ſunt ea quæ iam in medium adduximus. Quòd ſi vrgeas illud ens rationis vocari quod non eſt ens naturale phyſicum, ſeu quod phyſicè non exiſtit extra intellectum:hoc dato,concedam ſacramentum formaliter ſumptum eſſe ens rationis; ſed

iam quæſtio non erit de re, ſed tantùm de nomine.

## SECTIO IV.

*Quænam ſit Sacramenti definitio.*

SVMMARIVM.

*Sacramentum definitur, res, ſeu ceremonia ſenſibilis, ſtabili lege inſtituta, ſanctitatem aliquam hominibus conferens, & veram ſignificans: qua definitione excluduntur à ratione ſacramenti figuræ quædam veteres, ſacrificia, ſacramentalia,* &c.

VAriæ à varijs afferri ſolent ſacramenti defitiones, quę videri poſſunt apud Bellar. lib. 1. de Sacramentis in genere. cap. 11. Gabrielem Vazquez diſp. 118. cap. 3. Sayrum lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 2. quæſt. 2. art. 1. & alios. Iis autem prætermiſſis, ea nobis imprimis arridet, qua ſacramentum dicitur, *Res, ſeu cæremonia ſenſibilis, ſtabili lege inſtituta, ſanctitatem aliquam hominibus conferens, & veram ſignificans:* cuius definitionis partes omnes ordine explicandæ ſunt.

Sacramentum primò dicitur res, ſeu cæremonia: quibus verbis comprehenditur tam ſacramentum Euchariſtiæ, quod in re aliqua permanente conſiſtit, quam alia ſacramenta quæ in vſu aliquo, ſeu actione tranſeunte poſita ſunt: vt pa-

tet in baptiſmo qui in ablutione, & prolatione verborum conſiſtit: in confirmatione quæ ex certis verbis, & vnctione componitur, & ità de alijs.

Secundò, cæremonia quæ pertinet ad rationem ſacramenti debet eſſe externa, & ſenſibilis: aliàs non eſſet accommodata hominibus quibus naturale eſt per ſenſibilia in rerum ſpiritualium, & inuiſibilium cognitionem velut manu duci, iuxta illud Pauli ad Romanos 1. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.*

Tertiò, debet ſanctitatem aliquam hominibus conferre. Sacramentum enim eſt cæremonia quædam ad cultum Dei inſtituta, in quo differt à ſacrificio; quòd ſacrificium immediatè refertur ad ſupremum Deo cultum exhibendum: at ſacramentum ipſos cultores Dei reſpicit, vt nimirum eos aliquo modo conſecret, ſeu ſanctificet ad cultum Deo ritè exhibendum. Et ſanè nulla vnquam inſtituta fuere ſacramenta quæ vim homines aut interiùs, aut exteriùs ſanctificandi non habuerint.

Quartò, debet veram ſanctitatem, quæ in gratia habituali conſiſtit, ſignificare: cum enim ſacramentum ſit ſignum externum myſterij alicuius latentis, & arcani ſignificare debet ſanctificationem aliquam perfectiorem legali, & externa, nimirum eam qua exterius homines ſanctificantur. Maximè quia, vt dixi, reſpicit ipſos cultores Dei, vt eos ad colendum Deum diſponat, quòd propriè fit per ſanctificationem internam animæ.

Denique, hæc cæremonia debet eſſe ſtabili lege inſtituta. Sicut enim ſtatus Eccleſiæ eſt durabilis, & permanens; ita ſacramenta, quibus fideles in vnum Eccleſiæ corpus colligantur, ſtabili, & publica lege inſtituta eſſe debent. Hinc Geneſ. 17. Circumciſio dicitur inſtituta in ritum perpetuum, id eſt, longo tempore duraturum, quamdiu ſcilicet ſtatus antiquæ legis duraret. Hinc etiam ſacramenta nouæ legis durabunt vſque ad conſummationem ſæculi, vt ex cap. vltimo Matthæi colligitur, & etiam ex verbis illis Pauli 1. ad Corinth. 11. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*; quibus patet homines ſumpturos Euchariſtiam donec Chriſtus veniat.

Cæterùm per hanc definitionem excluduntur primò à ratione ſacramenti, nonnulla ſigna res ſacras ſignificantia, quæ vt cæremoniæ ſtabili lege inſtituta non fuerunt ad ſanctitatem conferendam, & ſignificandam. Qualia ſunt verba illa Lucæ 7. *Remittuntur tibi peccata tua*, & illa Ioannis 20. *Accipite Spiritum ſanctum*, quibus ſignificabatur gratia interna quam Chriſtus Magdalenæ, & Apoſtolis contulit.

Excluduntur etiam tranſitus maris rubri, Serpens æneus, Columna nubis, Manna, & ſimiles figuræ veteris Teſtamenti: tum quia nullam ſanctificationem etiam legalem, & externam conferebant: tum quia licet aliquid ſacrum ſignificarent, non erant cæremoniæ ad legis cultum inſtitutæ.

Rurſus à definitione ſacramenti excluduntur

ſacrificia, quæ immediatè ad Deum referuntur, non autem ad ſanctificandos ipſos cultores Dei, vt dictum eſt. Quamquam tamen fieri poteſt, vt eadem res ſimul ſit ſacramentum, & ſacrificium ſub diuerſa conſideratione, vt patet in Euchariſtia; item in agno Paſchali, qui vt Deo offerebatur habebat rationem ſacrificij, vt autem ſignificabat gratiam per Chriſtum hominibus conferendam, rationem ſacramenti.

Item excluduntur à ratione ſacramenti, prima tonſura, benedictio Abbatis, vel Abbatiſſæ: Profeſſio Religioſi, Abſolurio ab excommunicatione, Aqua luſtralis, & cætera quæ ſacramentalia appellantur. Quia licet hæc omnia ad religionem pertineant, & ſanctificationem aliquam imperfectam conferant, & ſignificent: veram tamen gratiam non ſignificant; cum non à Deo inſtituta ſint, ſed ab Eccleſia quæ gratiam internam per ſe conferre non poteſt.

Addunt aliqui prædicta poſſe etiam ea ratione excludi, quia non ſunt inſtituta ab habente poteſtatem inſtituendi ſacramenta, qui in legè veteri fuit ſolus Deus, in noua verò etiam Chriſtus qua homo eſt. Verùm non multum refert à quo ſacramentalia inſtituta fuerint: ſi enim ea habent quæ ſunt neceſſaria ad rationem ſacramenti, procul dubio ſunt ſacramenta, eſto ab Eccleſia inſtituta ſint: quia vt docent Philoſophi, res denominantur tales à ratione intrinſeca per quam conſtituuntur, non autem à cauſa externa à qua producuntur. Quod autem additur ſacramenta noua à Chriſto, etiam vt homine, inſtituta eſſe, infrà impugnabitur.

Neque etiam placet quod ijdem Authores docent ſacramentalia imperfectam ſanctitatem conferre, & veram ſignificare. Cum enim à Deo inſtituta non fuerint, ſed ab Eccleſia, quæ, vt dixi, gratiam per ſe conferre nequit; non poſſunt eſſe impoſita ad ſignificandam eiuſmodi gratiam, quæ ſolius Dei opus eſt.

Adde, quod ſi ſacramentalia veram gratiam ſignificant, nihil illis deeſt ad rationem ſacramentorum antiquæ legis: cum ergo Eccleſia poſſit inſtituere eiuſmodi cæremonias, potuiſſet illa ante Chriſti aduentum vera inſtituere ſacramenta, quod paulò durum nobis videtur.

*Finis diſputationis primæ.*

Digitized by Google

# DISPVTATIO SECVNDA.

## *De materia, & forma Sacramentorum.*

### In decem Sectiones diſtincta.

SACRAMENTVM *duobus modis conſiderari poteſt, Metaphyſicè, & Phyſicè. In præcedenti diſputatione de illo actum eſt ſub priori ratione, inueſtigando genus & differentiam illius: ſequitur vt in hac ſecunda de eodem diſſeramus modo Phyſico, ſeu conſiderando materiam & formam, ex quibus ſuo modo componitur. Decem igitur erunt Sectiones huius Diſputationis, in quarum prima examinabimus an ſacramenta conſtent materia, & forma. In ſecunda, an conſtent ex illis vt ex partibus componentibus. In tertia, qualia debeant eſſe verba quæ in ſacramentis requiruntur. In quarta, an omnia ſacramenta in tota Eccleſia conſtent eadem materia, & forma. In quinta, an quando verba formæ in alia tranſmutantur irritum ſit ſacramentum. In ſexta, an ſacramentum teneat quando aliquid formæ additur, vel ſubtrahitur. In ſeptima, an ſacramentũ valeat quando verba formæ interrumpuntur, vel tranſponuntur, vel corrumpuntur. In octaua, an pendeat ex intentione miniſtri quod mutatio formæ ſit ſubſtantialis. In*

*nona, agetur de mutatione materiæ ſacramentalis & tandem in vltima expendemus an ſit peccatum, formam vel materiam ſacramentorum immutare.*

## SECTIO I.

### *An ſacramenta conſtent materia & forma.*

SVMMARIVM.

*Etſi non ſit de ratione ſacramenti in genere; vt ex rebus, & verbis componatur; eiuſmodi tamen compoſitio ſacramentis omnibus nouæ legis competit, vt contra Durandum docent omnes Theologi: eaque aliquam habet analogiam cum compoſitione ex materia, & forma, quæ in rebus Phyſicis inuenitur.*

TRia quærimus in hac Sectione. Primò, an ſacramentum ſpectatum in genere, vt abſtrahit à ſacramentis antiquæ, & nouæ legis, ex rebus, & verbis coaleſcat. Secundò, an talis compoſitio ſacramentis nouæ legis conueniat. Tertiò, an res & verba ſe habeant in ſacramentis per modum materiæ, & formæ. Quibus difficultatibus triplici aſſertione occurrendum eſt.

Prima aſſertio. *Non eſt de ratione ſacramenti in genere, vt ex rebus, & verbis componatur.* Ratio eſt, quia de ratione ſacramenti ſolum eſt vt ſit cæremonia ſenſibilis, ad ſanctitatem aliquam conferendam, & veram ſignificandam inſtituta: hoc autem ſtare poteſt, etſi ſacramentum ex re-

bus

bus, & verbis non componatur; ergo eiuſmodi compoſitio ad eſſentiam ſacramenti non eſt neceſſaria.

Confirmatur, nam vetera ſacramenta eiuſmodi compoſitionem non admittebant, vt patet ex Circumciſione, agno Paſchali, & Conſecratione Sacerdotum quæ in ſola actione externa conſiſtebant vt colligitur ex Geneſ. 17. Exod. 12. & ex Leuit. 8. quibus in locis nulla fit verborum mentio, ſed externæ tantum cæremoniæ. Et ratio eſt, quia illa ſacramenta erant vmbræ noſtrorum; quare non debebant componi ex verbis, quæ ſigna ſunt clara, & perſpicua.

Dices primò. In cæremonia Zelotypiæ certa verborum forma præſcripta erat, vt conſtat ex 5. numer. ea autem erat ſacramentum, ergo, &c. Reſpondeo cum Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 6. ad tertium cæremoniam illam non fuiſſe ſacramentum, quia ſcilicet non fuerat inſtituta ad ſanctificationem hominum, ſed ad inueſtigandum, & puniendum adulterium.

Dices ſecundò. In ſacrificijs pro peccato populi, quæ ex S. Thom. 1. 2. quæſt. 102. art. 1. erant ſacramenta, certa verba præſcribuntur Leuit. 4. Reſponſio communis eſt verba illa non fuiſſe de eſſentia ſacrificij, ſed adhibita fuiſſe à Sacerdote ad veniam pro peccatis populi facilius impetrandam. Et quamuis lex præciperet vt Sacerdos pro peccatore oraret; illa tamen oratio non erat facienda ſub certa verborum forma à lege præſcripta, ſed pro Sacerdotis arbitrio.

Secunda aſſertio. *Compoſitio ex rebus, & verbis ſacramentis omnibus nouæ legis competit.* Ita omnes

communiter contra Durandum,qui, vt recentiores aduertunt, exiſtimat ſacramenta Pœnitentiæ & Matrimonij. rebus & verbis non perfici. Probari autem poteſt imprimis hæc aſſertio ex Concil.Florent. in decreto fidei vbi hæc verba leguntur. *Hæc omnia ſacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri.*

Secundò probatur inductione facta ex Scripturis, aut traditione Eccleſiæ. Nam baptiſmus perficitur aqua naturali,& verbis illis. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Confirmatio chriſmate ex balſamo, & oleo confecto, & forma illa; *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris,* &c. Pœnitentia peccatorum confeſſione, & abſolutione quæ verbis fit. Euchariſtia pane & vino, & verbis illis, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei,* &c. Extrema Vnctio, Oleo conſecrato, & forma deprecatoria. Ordo, traditione alicuius inſtrumenti cum impoſitione manus, & verbis quibuſdam ab Epiſcopo prolatis. Matrimonium denique mutua traditione & acceptatione corporum, verbis, aut alijs ſignis expreſſa.

Ratio autem à priori huius inſtitutionis petenda eſt à voluntate Chriſti, qui ſacramenta nouæ legis rebus, & verbis perfici voluit. Congruentia verò eſt quam attingit S.Tho. 3.part. quæſt 60. art.6 Quia cum verbum diuinum pro hominum ſanctificatione incarnatum fuerit, æquum erat vt ſacramenta, in quibus merita Chriſti redemptoris nobis applicantur, repræſentarent Incarnationis myſterium in eo conſiſtens, quod

Verbum diuinum carni ſenſibili eſt vnitum. Vide alias congruentias apud S. Thom. loco proximè citato.

Contra prædictam aſſertionem Durandus duo obijcit. Primò ſacramentum Pœnitentiæ ſolis verbis perfici, nempe confeſſione, & abſolutione quæ verbis fieri ſolent. Reſpondeo. Etſi confeſſio verbis fieri ſoleat, hoc non obſtat quominus ſacramentum Pœnitentiæ ex rebus, & verbis componatur: tum quia per res non intelligimus ſolùm ſubſtantiam aliquam ſenſibilem, ſed quamcunque actionem externam quæ verbis formæ ſupponatur: tum quia alij actus pœnitentis nimirum contritio, & ſatisfactio ad rem huius ſacramenti pertinent, & illis veluti accidentarium eſt quod verba ſecum adjuncta habeant.

Secundò, obijcit matrimonium interdum perfici ſolis verbis, quibus mutuus coniugum conſenſus exprimitur; interdum ſine vllis verbis, nimirum ſolis nutibus, aut alijs ſignis. Reſpondeo hoc eſſe diſcrimen inter matrimonium, & reliqua nouæ legis ſacramenta: quod alia, verba vt verba eſſentialiter exigunt, id eſt verba propriè dicta: matrimonium verò ſolùm exigit verba vt ſignificantia: vnde ſufficienter perficitur quibuſuis ſignis mutuum conſenſum exprimentibus; ea enim moraliter gerunt vices locutionis, & ſufficiunt ad quemuis contractum perficiendum: atq; adeo ad matrimoniũ, quod eſt contractus quidam humanus, cuius naturã Chriſtus non deſtruxit, ſed eam eleuauit ad rationem ſacramenti. Siue autem matrimonium perficiatur verbis, ſiue nutibus, ſemper verum eſt, non tantùm verba aut nutus, ſed

etiam res ad illud concurrere: ſicut enim mutua corporum acceptatio ſignis expreſſa, habet rationem formæ & verborum; ita mutua eorumdem corporum traditio, verbis aut nutibus facta, eſt res ſeu materia ex qua ſacramentum conficitur.

Tertia aſſertio. *In ſacramentis nouæ legis compoſitio ex rebus & verbis, ſe habet per modum compoſitionis ex forma, & materia.* Ita S.Tho. 3.part. quæſt.60. art.6. ad 2. & art.7. in corp. Bellarm. lib.1. de Sacramentis in genere, cap.18. Suarez diſp.2. ſect.1. aſſert. 3. & omnes alij Theologi. Probatur autem primò ex Concil.Florent. in decreto Eugenij vbi hæc verba ante citata habentur. *Hæc omnia ſacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri.*

Videtur etiam ille loquendi modus habere fundamentum in Auguſtino, qui tract. 80. in Ioan. de ſacramento loquens. *Accedit* (inquit) *verbum ad elementum, & fit ſacramentum*; ac ſi diceret verbum ſe habere inſtar formæ, quæ accedens ad materiam corpus naturale perficit.

Præterea ratio idem oſtendit. Nam ſicut in rebus phyſicis illud vocatur materia quod ex ſe eſt indifferens ad eſſe talis, vel talis ſpeciei; illud verò dicitur forma quod materiam ad certam ſpeciem determinat: ità proportione quadam, in ſacramentis, quæ ſunt entia moralia & artificialia, illud meritò appellari poteſt materia, quod ex ſe eſt indeterminatum ad hoc vel illud ſignificandum, verbi gratia, ablutio, quæ ex ſe eſt indifferens ad ſignificandam lotionem, vel refrigerationem, & ſimilia: forma verò id quod determinat

materiam illam vagam ad talem ſignificationem.

Quo loco aduerte, materiam, & formam ſacramentorum eſſe duplicem, partialem & totalem. Materia partialis eſt res quæ cum verbis formæ ſacramentum conſtituit. Totalis ſunt res, & verba ſacramenti ſimul juncta: hæc enim per ſignificationem ipſis ſuperadditam determinantur ad ſacramentum conſtituendum, quò fit vt hæc ſignificatio ſit forma totalis ſacramenti, partialis verò ſint verba illa ex quibus ſacramentum conficitur. Et hoc illuſtrari poteſt exemplo rerum artificialium, in quibus videmus vnam partem ſe habere vt materiam, vel formam reſpectu alterius; omnes verò ſimul iunctas ſe habere per modum materiæ in ordine ad formam totalem. Et ſic in domo, exempli cauſa, fundamentum & parietes, ſe habent vt materia, tectum vt forma; hæc verò omnia ſunt materia reſpectu formæ totalis quæ eſt integra domus figura.

Aduerte iterum, tertiam illam aſſertionem intelligendam eſſe de omnibus ſacramentis nouæ legis, atque adeo de pœnitentia, & matrimonio, de quibus nonnulla eſſe poteſt dubitatio, vt ex antedictis intelligitur. Nam quod ſpectat ad pœnitentiam, cum ea perficiatur per modum cuiuſdam iudicij, confeſſio pœnitentis ſe habet per modum materiæ, abſolutio verò per modum formæ: illa enim eſt quid inchoatum & informe, vtpote ſe habens tanquam accuſatio rei, quæ iudicium quodam modo incipit; hæc verò ſe habet vt ſententia iudicis, quæ iudicium perficit.

Quod ſpectat ad matrimonium, ſciendum eſt illud habere rationem cuiuſdam contractus hu-

mani, in quo fit mutua traditio, & acceptatio corporum inter coniuges. Per traditionem autem contractus veluti inchoatur, & per acceptationem perficitur: quare traditio aliqua ratione ſe habet per modum materiæ, acceptatio verò per modum formæ.

---

## SECTIO II.

*An ſacramenta conſtent ex materia, & forma tanquam ex partibus componentibus.*

### SVMMARIVM.

*Cum res & verba ſacramentaliter ſignificent, ea inter ſe vniuntur ad conſtituendum ſignum vt partes illius eſſentiales: hac autem vnio non requirit ſimultatem phyſicam inter materiam & formam, ſed moralem, quæ ſufficiat vt ex illis, iuxta humanum vſum, vnum ſignum dicatur conſtitui.*

RESpondeo affirmatiue cum S.Thom. 3.part. quæſt.60. art.6. ad 2. vbi dicit, ex verbis, & rebus fieri quodammodo vnum in ſacramentis, ſicut ex forma & materia: quod intelligi non poteſt niſi res, & verba vt partes concurrant ad compoſitionem ſacramenti: in qua etiam ſententia ſunt fere omnes alij Theologi.

Suaderi autem poteſt imprimis hæc reſponſio

ex doctrina Concil. Florent. ſuperiùs allata, qua dicitur res, & verba ſe habere in ſacramentis per modum materiæ, & formæ: quo loquendi modo ſatis indicatur res, & verba ad conſtitutionem ſacramenti, vt partes eſſentiales & intrinſecas concurrere; ſicut ad compoſitionem entis naturalis materia, & forma eſſentialiter tanquam partes concurrunt.

Accedit ratio. Nam non tantùm res ſacramentorum, nec tantùm verba ſignificant; ſed ſimul res & verba verè, & ſacramentaliter ſignificandi vim habent; vt patet exempli cauſa, tum in materia baptiſmi, quæ in ablutione externa, tum in forma quæ conſiſtit in verbis illis, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. vtraque enim ablutionem internam, quæ fit per infuſionem gratiæ ſignificat: vnde fit illa duo ſimul concurrere ad conſtituendum ſacramentum in genere ſigni, atque adeo ſacramentum ex illis vt ex partibus eſſentialibus intrinſecè coaleſcere.

Confirmatur. Nam ſicut ſe habent ſubiectum, & prædicatum reſpectu propoſitionis, ita res & verba reſpectu ſacramenti: ſicut enim prædicatum & ſubiectum, etſi inter ſe habeant rationem formæ, & materiæ partialis, quatenus vnum ab alio determinatur ad certum orationis ſignificatum; ſimul tamen ſumpta ſe habent tanquam materia in ordine ad ſignificationem totius propoſitionis, quæ eſt forma totalis: ita res, & verba ſimul ſumpta, cum effectum ſacramenti ſignificent, habent ſe vt materia reſpectu ſignificationis quæ eſt forma totalis ſigni: conſtat autem prædicatum & ſubiectum eſſe partes quibus pro-

poſitio eſſentialiter conſtituitur, ergo ſimiliter res & verba ſunt partes eſſentiales quibus ſacramentum intrinſecè componitur.

Quo loco aduerte, doctrinam huius aſſertionis accommodari à nonnullis ad omnia ſacramenta nouæ legis. Nam imprimis ſi loquamur de illis ſacramentis quæ in vſu, & operatione aliqua tranſeunte conſiſtunt; dicunt in his res & verba, ſeu materiam & formam, vel ſimul exiſtere, vel ſibi ita proximè ſuccedere, vt moraliter ad vnum ſacramentum conſtituendum ſufficiat; cum etiam videamus in rebus phyſicis ens ſucceſſiuum ex partibus quæ ſibi inuicem ſuccedunt coaleſcere.

Deinde, ſi ſermo ſit de ſacramento Euchariſtię, quod non conſiſtit in vſu ſicut cætera ſacramenta, ſed in re aliqua permanente poſt verba conſecrationis; dicunt ſacramentum illud duobus modis conſiderari poſſe, nimirum phyſicè, & moraliter: ac priori modo ſpectatum ex ſola materia intrinſecè coaleſcere, ex forma autem ſolum extrinſecè: ſpectatū verò ſub poſteriori ratione non ſolùm ex materia, ſed etiam ex forma intrinſecé conſtitui: quia etſi hæ duæ partes phyſicè loquendo valde inter ſe diſiunctæ ſint, vna tamen dicit ordinem ad aliam, & materia non habet rationem ſacramenti niſi per reſpectum ad verba conſecrationis quantumuis præterita; vnde (inquiunt) materia & forma huius ſacramenti dici poſſunt inter ſe moraliter vnitæ, & hæc vnio ſufficit vt dicamus etiam ſacramentum Euchariſtiæ moraliter ſpectatum, ex materia & forma intrinſecè coaleſcere.

Verùm licet de priori membro nulla ſit diffi-

cultas apud Theologos, de poſteriori tamen eſt non leuis ratio dubitandi: tum quia principium conſtitutiuum alicuius rei permanentis, cuiuſmodi eſt ſacramentum Euchariſtiæ, debet eſſe permanens; verba autem conſecrationis non ſunt permanentia, vt perſpicuum eſt: tum quia cauſa efficiens non coincidit cum effectu, nec eſt de intrinſeca ratione illius: verba autem conſecrationis efficiunt ſacramentum Euchariſtiæ, quare non poſſunt eſſentialiter, & intrinſecè illud conſtituere. Sed de hac controuerſia ex profeſſo agendum erit vbi de ſacramento Euchariſtiæ.

Vnum eſt quod aduerſus prædictam aſſertionem poteſt obijci: nimirum ea quæ tanquam partes eſſentiales concurrunt ad aliquid componendum debere ſimul exiſtere; res autem & verba ſacramentorum ſimul non exiſtere: atque adeò ſacramentum ex illis vt partibus eſſentialibus haudquaquam conſtitui.

Reſpondeò. Sicut res & verba ſacramentorum non habent propriè rationem materiæ & formæ, ſed tantùm ſecundùm quandam analogiam; ita conditiones requiſitæ vt ex materia & forma fiat vnum compoſitum, non illis competunt niſi ſecundùm quandam ſimilitudinem: vnde non opus eſt vt habeant inter ſe coniunctionem & ſimultatem Mathematicam, aut Phyſicam, ſed Moralis ſufficit.

Quanta verò debeat eſſe hæc propinquitas incertum eſt apud Doctores. Scotus in 4. diſt. 6. quæſt. 3. & Fauentinus diſt. 3. diſp. 9. volunt requiri tantam ſimultatem, vt antequam finiatur actio verba incipiant, aut vice verſa. Sed hæc

opinio falſitatis arguitur, ſaltem in ſacramento pœnitentiæ, in quo dari poteſt abſolutio aliquo tempore poſt confeſſionem peractam.

Nec verum eſt quod docet Fauentinus loco citato, licet confeſſio præcedat tempore abſolutionem, aliquem tamen illius actum nempe contritionem vel attritionem debere eam comitari aliàs ſacramentum non eſſe validum. Hoc, inquam, falſum eſt, nam ſi quis poſt confeſſionem incidat in phreneſim, validè abſolui poterit, & tamen ille tunc non eliciet actum contritionis, vel attritionis vt notum eſt. Et idem dicendum eſt de illo qui mente diſtrahitur, quandiu impenditur ipſi abſolutio.

Dices. Quandò Sacerdos profert verba illa, *Ego te baptizo*, &c. ſi tunc puerum non abluat aliquo modo, falſa erit enunciatio: ergo vt vera ſit, debet illum ſimul abluere.

Reſpondeo, prædictam enunciationem non fore falſam ſi ſtatim ac Miniſter verba protulit puerum aquæ immergat, aut illum abluat: hæc enim propinquitas ſufficit vt, ſecundùm humanum vſum, verba prædicta in ablutionem cadere, eamque determinare cenſeantur.

Itaque dicendum eſt cum aliis, inter materiam & formam ſacramentorum eam propinquitatem moralem ſufficere, quæ requiritur vt, ſecundùm humanum loquendi morem, forma dicatur vniri materiæ, & cum ea vnum integrum ſignum conſtituere, iuxta varias formarum ſignificationes, & conditiones actionum quibus ſacramentum perficitur. Vnde quia ſacramenta quoad materiam & formam diuerſa ſunt, diuer-

ſa etiam in illis requiritur partium coniunctio: ita vt in vno debeat eſſe maior, in alio minor ſufficiat. Et ſic in iis ſacramentis in quibus materia proxima eſt actio quædam ipſius miniſtri, quæ denotatur per verbum indicatiui modi, diſiunctio Phyſica inter materiam & formam debet eſſe exigua: tunc enim requiritur vt Miniſter, dum verba profert, cenſeatur talem actionem, vnctionem verbi cauſa, aut lotionem efficere: quod verum non eſſet, etiam iuxta moralem æſtimationem, ſi inter verba & actionem longa quædam mora interciperetur.

Quando autem materia indicatur per pronomen demonſtratiuum *hic* vel *hoc*, ea debet eſſe præſens dum profertur forma, aliàs nullum eſſet ſacramentum: & ſic qui proferret verba illa *hoc eſt corpus meum*, non præſente pane, nihil efficeret, etſi ſtatim poſt verborum prolationem panis illi porrigeretur.

Quia verò ſacramentum pœnitentiæ ſe habet per modum iudicij, vt docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. ad illius compoſitionem ſufficit ea vnio, quæ neceſſaria eſt inter accuſationem rei, & ſententiam iudicis, vt ex vtraque integrum iudicium cenſeatur perfici. Vnde qui hodie ſufficienter dolens peccata confitetur cuidam ſacerdoti, craſtina die ab eodem validè abſolui poterit. Denique in matrimonio ea tantùm neceſſaria eſt coniunctio quæ ad alios contractus ſufficit.

## SECTIO III.

*Qualia debeant eſſe verba quæ in ſacramentis requiruntur.*

SVMMARIVM.

*Ad eſſentiam ſacramenti non requiritur verbum concionale, quo ſcilicet ſuſcipiens ſacramentum inſtruatur; alias non poſſent validè baptizari infantes, cum rationis vſu præditi non ſint; ſed neceſſarium eſt verbum conſecratorium, quod videlicet referatur ad conſecrandam, ſeu benedicendam materiam.*

REcentiores hæretici affirmant ad eſſentiam ſacramenti requiri verbum concionale, quo ſcilicet ſuſcipiens inſtruatur: Catholici hoc negant. E conuerſo Catholici docent in ſacramentis neceſſaria eſſe verba quædam conſecratoria, quæ nimirum proferantur ad conſecrationem materiæ: hæretici verò eò impudentiæ delapſi ſunt, vt eiuſmodi verba magicæ arti aſcribant.

Prima aſſertio. *Ad eſſentiam ſacramenti non requiritur verbum concionale.* Probatur tripliciter. Primò, quia vt ipſi hæretici docent, nihil credendum eſt niſi quod in ſcriptura continetur; ſed ex nullo loco ſcripturæ poteſt colligi ad eſſentiam ſacramenti neceſſarium eſſe verbum concionatorium, ergo immeritò id ab ipſis creditur. Prætereà ſacramentum non poteſt ſubſi-

ſtere ſi deſit aliquid pertinens ad illius eſſentiam, ergo ſi verbum concionale ſit de eſſentia ſacramenti, abſque tali verbo ſacramentum valere non poterit: atque ita hæretici illi qui poſt baptiſmum à noſtra fide defecerunt, inualidè fuere baptizati in Eccleſia Romana, quæ inter baptizandum verbo concionatorio vti non ſolet: & conſequenter, contra ipſorum ſententiam & praxim, iterum debent baptizari ſi velint ſalutem conſequi.

Denique ſi verbum concionale eſſet de eſſentia ſacramenti, baptiſmus non poſſet validè conferri paruulis ratione carentibus: eiuſmodi enim verbum debet penetrare in animum ſuſcipientis, eumque ad fidem excitare, ita vt ſacramentum ex Hæreticorum ſententia, nullum ſit niſi ſuſcipiens credat, & intelligat. Cum ergo paruuli non poſſint actu credere, aut intelligere, baptiſmus ipſis collatus eſt irritus; atque adeò ſunt denuò baptizandi, vt ſentiunt Anabaptiſtæ, quod tamen non placet, Luthero, Caluino, eorumque diſcipulis.

Ad hoc argumentum reſpondent Lutherani, infantes, dum baptizantur, intelligere, & internos quoſdam motus experiri, quibus concionem percipiant, eique aſſenſum præbeant; ſicut & Ioannes Baptiſta quando exultauit in vtero. Sed quam ridicula, & contra omnem rationem conficta ſit eiuſmodi reſponſio, ſatis omnes intelligunt. Audiant Sectarij eximium Eccleſiæ Doctorem Auguſtinum epiſtol. 57. ſic diſſerentem. *Vel infantes vtuntur ratione, vel non: ſi non vtuntur, nec intelligunt quidem: & ſi vtantur, rei fierent*

*ingentis ſacrilegij vocis eiulatu, & motibus corporis reluctantes, & baptiſmo obſtrepentes; tantumque abeſt vt ablueréntur, vt inde magis ſordidarentur.* Quo dilemmate acutè oſtenditur pueros dum baptizantur non intelligere, ac proinde non credere, cum ad fidem actualem cognitio ſit omnino neceſſariá.

Quod ſpectat ad exemplum Ioannis Baptiſtæ, idem Auguſtinus loco citato varijs modis reſpondet, ac tandem ita concludit. *Quod ſi vſque adeò in illo puero acceleratus eſt vſus rationis & voluntatis, vt intra viſcera materna iam poſſet agnoſcere, credere, & conſentire, quod in aliis paruulis expectatur vt poſſint; hoc in miraculis etiam habendum diuinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum exemplar naturæ. Nam quando Deus voluit, iumentum mutum rationabiliter eſt locutum (n. 22.) nec ideò ſunt admoniti homines in deliberationibus ſuis etiam aſinina expectare conſilia. Quocirca nec quod factum eſt in Ioanne contemno, nec inde regulam, quid faciendum ſit de paruulis, figo. Imò id in illo propterea mirabiliter prædico, quia in aliis non inuenio.* Ita ille.

Sed aduerſus allatam aſſertionē duo opponunt hæretici. Primò locū illum Math. 28. *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti:* ex quo deducunt requiri concionē vt infantes credant & baptizentur. Verùm imprimis etſi ex hoc loco rectè colligeretur concionem præmittendam eſſe ante baptiſmi adminiſtrationem, non tamen ſequeretur concionem, ſeu verbum concionale eſſe de eſſentia baptiſmi, quod tamen probare debent aduerſarij.

Deinde reſpondeo eo loco agi de ordine quem

Chriſtus ab Apoſtolis obſeruari voluit in cõuerſione gẽtilium; nimirum vt eos priùs de rebus fidei inſtruerent, ac poſteà illis baptiſmum miniſtrarent. Quod ſedulò ab illis obſeruatum eſt, vt liquet exemplo Beati Petri qui Act. 2. concionem habuit ad tria millia hominum quos poſteà baptizauit. Et Philippi qui Act. 8. Samaritanos, & Eunuchum baptizauit poſtquam illos inſtruxit. Quem etiam ordinem ſemper ab Apoſtolorum temporibus Eccleſia religiosè ſeruauit, & etiam nunc obſeruat quoties aliquis ad fidem noſtram conuertitur. Quæ omnia intelligenda ſunt de adultis, cum paruuli, vtpote rationis vſu carentes, prędicationem percipere intellectu nequeant.

Secundò opponũt celebrem locum Aug. tract. 80. in Ioan. vbi poſtquam dixit, *vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur?* paucis interiectis hæc addit. *hoc eſt verbum quod prædicamus, quo ſine dubio, vt mundare poſſit, conſecratur Baptiſmus*, & tandem ſic concludit. *Totum hoc fit per verbũ de quo Dominus ait (Ioan. 19.) Iam vos mundi eſtis propter verbum quod locutus ſum vobis.* Ex quibus verbis conſtat apertè in ſententia Auguſtini, verbum illud quod dat virtutem aquæ vt corpus tangat, & cor abluat, eſſe verbum quod prædicamus, ſeu illud quod hîc à nobis concionale appellatur.

Locus iſte Auguſt. eſt ſatis difficilis, & Doctores non vno modo eum intelligunt. Quidã illum integrè explicant de verbo conſecratorio. Alij de verbo quo Chriſtus ſacramẽta inſtituit. At veriùs meo iudicio ſcopum attingunt, qui docent Auguſtinum generatim loqui de efficacia verbi diuini,

ſiue illud ſit concionale, ſiue conſecratorium: hocque confirmare varijs exemplis, quorum alia de concionali tantùm, alia tantum de verbo conſecratorio poſſunt intelligi. Quærit enim Auguſtinus, cur Chriſtus dixerit diſcipulis, *mundi eſtis propter verbum quod locutus ſum vobis*, non autem propter Baptiſmum quo abluti eſtis, cum Baptiſmus non minorem, imò maiorem vim mundandi habeat quam prædicatio. Et reſpondet Chriſtum ita locutum, vt ea locutione generali efficaciam vtriuſque verbi complecteretur. Siue enim quis per Baptiſmum mundetur, ſiue extra illum, hoc ſemper fit per verbum, aut ſacramentale, aut concionale: & hoc non expreſſiſſet, ſi locutus tantùm fuiſſet de baptiſmo, quia tunc tantùm de verbo ſacramentali, non de concionatorio egiſſet.

Secunda aſſertio. *Ad eſſentiam ſacramenti requiritur verbum conſecratorium, quo materia conſecratur, ſeu benedicitur.* Hoc imprimis ex Scriptura colligitur, nam forma Baptiſmi quæ ſumitur ex cap. 28. Math. continet inuocationem Trinitatis ſuper ablutionem, non autem declarationem myſterij, maximè cum baptizandus non ſolùm inſtrui debeat de Trinitate, ſed etiam de Incarnatione, Paſſione, & alijs fidei noſtræ myſteriis.

Paulus etiam, 1. Cor. 10. agens de ſacramento Euchariſtiæ vocat formam illius verba benedictionis. *Calix*, inquit, *benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* benedictio autem non ſonat inſtructionem vt liquet, ſed conſecrationem; vnde conformiter huic

huic loquendi modo Patres dicunt panem, & vinum in Euchariſtia conſecrari, ſanctificari, benedici.

Igitur ſecundo loco ſuaderi poteſt allata aſſertio ex Patribus. Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 12. *Sicut* (inquit) *credimus in patrem, & filium, & Spiritum Sanctum; ſic & baptizamur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* & Auguſtinus lib. 6. contra Donatiſtas cap. 29. *Dicimus* (inquit) *Baptiſmum Chriſti verbis Euangelicis conſecratum vbique eundem eſſe.* & libr. 20. contra Fauſtum cap. 13. agens de ſacramento Euchariſtiæ, *Noſter* (inquit) *panis & calix certa conſecratione myſticus fit nobis.* Similia dicunt alij.

Tertiò idem oſtenditur ratione ſumpta ex fine ſacramentorum. In eum enim finem ſunt à Chriſto inſtituta, vt per illa homo ſanctificetur: non poſſunt autem hominem ſanctificare, niſi ipſa in ſe ſancta ſint ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & conſequenter ſecundum materiam; quare oportet vt verba ex quibus conſtant, ad benedictionem ſeu ſanctificationem materiæ referantur.

Obijciunt hæretici eiuſmodi conſecrationem per certa verba eſſe incantationem magicam. Sed ſi hoc verum eſſet, ſequeretur verba illa quæ num. 5. aquis virtutem dabant mulieres adulteras interficiendi, fuiſſe Magica. Petrum Apoſtolum qui Act. 3. claudum in nomine Ieſu ſanauit, inſignem magum fuiſſe. Imò Chriſtum ipſum, eò quod verbo ſuo dæmonia eiecerit Marci 9. aut quod ſputo, & luto viſum cæco reſtitue-

rit Ioan. 9. Magiæ damnandum eſſe, quæ eſt impudentiſſima blaſphemia.

Verùm, vt directè reſpondeam, dico tunc Magiam habere locum, quando ad effectum aliquem aſſumitur cauſa quæ non habet vim illum producendi, atque adeò talis effectus expectatur ex Dæmone ob expreſſum, vel tacitum pactum cum illo initum. Verba autem quæ vſurpantur in ſacramentis, etſi ex ſe non habeant vim materiam conſecrandi, eam tamen habent ex inſtitutione Chriſti; vnde ex Chriſto expectatur talis conſecratio, non ex Dæmone.

---

## SECTIO IV.

*An omnia ſacramenta in tota Eccleſia conſtént eadem materia & forma.*

### SVMMARIVM.

*Materia & forma ſacramentorum ſunt determinatæ ex Chriſti inſtitutione, licet non in omnibus eodem modo. Et quæ ſufficiunt in vna Eccleſia, ſufficiunt in omnibus: vnde Latinus vtens forma Græcorum in baptiſmo, baptizaret validè, etſi non legitimè, quia peccaret mortaliter.*

PRima aſſertio. Res & verba ſeu materia & forma ſacramentorum ſunt determinatæ ex inſtitutione diuina. Probatur, nam materia baptiſmi eſt aqua, vt patet ex verbis illis Chriſti

Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, forma verò ſumitur ex loco illo Math. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Materia Euchariſtiæ eſt panis, forma verò verba illa, *hoc eſt corpus meum*, & vtriuſque fit mentio Math. 26. & eodem modo opinandum eſſe de aliis ſacramentis oſtendemus, Deo bene fauente, agendo de ſingulis.

Sed hîc duo obſeruanda ſunt. Primò in ſacramentis duplicem reperiri materiam, remotam, & proximam. Materia remota, & proxima baptiſmi ſunt aqua naturalis, & ablutio: Confirmationis, Chriſma, & Vnctio. Pœnitentiæ peccata, eorumque Confeſſio. Euchariſtiæ ſubſtantia panis & vini, eorumque ſpecies. Ordinis vaſa ſacra, & eorum traditio. Extremæ vnctionis oleum, & vnctio. Matrimonij corpora contrahentium, eorumque traditio.

Secundò obſeruandum eſt determinationem materię non eſſe eiuſdem rationis in omnibus ſacramentis: in nonnullis enim materia eſt determinata ſecundum ſpeciem vltimam, in aliis ſecūdum genus: exemplum prioris determinationis ſit baptiſmus, cuius materia eſt aqua elementaris: poſterioris pœnitentia, cuius materia eſt cōfeſſio cum dolore de peccatis, ſiue dolor ille ſit attritio, ſiue contritio quæ ſpecie differunt. Non etiam eadem eſt determitatio formæ in ſacramentis; nam in omnibus, excepto matrimonio, requiruntur propriè verba, eaque determinata ad certum ſenſum: in matrimonio autem ſufficiunt quælibet ſigna quibus conſenſus contrahentium ſufficienter declarari poteſt, vt ſupra aduertimus.

Secunda aſſertio: *Eadem res, & verba eſſentialia ſacramentorum quæ ſufficiunt in vna Eccleſia, ſufficiunt in omnibus.* Ratio eſt, quia nullæ res, nullaque verba ad conficiendum ſacramentum in vna Eccleſia ſufficiunt præter ea quæ inſtituta, & determinata ſunt à Chriſto: Chriſtus autem non inſtituit diuerſas res, aut verba pro varijs Eccleſiis, ſed eadem pro omnibus: quæ igitur in vna ſufficiunt, in reliquis etiam ſufficient. Maximè cum nemo poſſit immutare res, aut verba à Chriſto inſtituta, aut alia ad libitum inſtituere.

Dices primò. Græci vtuntur in collatione baptiſmi certa forma verborum, quæ ad verum ſacramentum conficiendum apud illos ſufficit, quæ tamen apud nos eſſet inutilis. Item conficiunt Euchariſtiam in pane fermentato quod Latini legitimè præſtare nequeunt: ergo materia, & forma ſacramentorum quæ ſufficiunt in vna Eccleſia non ſufficiunt in omnibus. Reſpondeo aliud eſſe valide baptizare, aliud baptizare legitime. Latinus vtens forma Græcorum in baptiſmo validè quidem baptizaret, non tamen legitimè, quia peccaret mortaliter; & idem dicendum ſi ad Euchariſtiam panem fermentatum ſumeret.

Dices ſecundò. Conſenſus priuatus in quibuſdam locis ſufficit ad validitatem matrimonij, non autem in aliis; talis autem conſenſus ſi ſit mutuus, & verbis, aut nutibus exprimatur, eſt materia & forma matrimonij: Ergo, &c. Reſpondeo. Sacramentum matrimonij fundatur in contractu humano qui legitimè fiat, vt autem eiuſmodi contractus alicubi ſit legitimus, ſatis eſt quod pri-

uatim fiat; alibi verò opus eſt vt fiat coram Parocho, & teſtibus; vndè formaliter loquendo eadem eſt vbique materia & forma matrimonij, nempe contractus legitimus; materialiter verò paulò diuerſa ſunt, quia plura requiruntur ad legitimum conſenſum in vno loco quam in alio.

---

# SECTIO V.

*An quandò verba formæ in alia transmutantur irritum ſit Sacramentum.*

SVMMARIVM.

*Quandò verba ordinaria ſacramentorum mutantur in alia alterius idiomatis, quæ eandem habent ſignificationem, ſacramentum tenet. Item quandò intra idem idioma mutantur in verba idem ſignificantia, ſeu ſinonima; dummodò æquè clarè & explicitè idem ſignificent. Quòd ſi mutentur in verba diuerſa ſignificationis ſacramentum nullum eſt.*

TRibus modis contigere poteſt mutatio iſta verborum formæ, Primò vt voces conſuetæ mutentur in alias eiuſdem ſignificationis, ſed alterius linguæ. Secundò vt intra eandem linguam mutentur in alias quæ idem ſignificant. Tertiò vt mutentur in alia verba quæ habeant diuerſum ſignificatum, ſiue ſint eiuſdem, ſiue diuerſi idiomatis.

Prima aſſertio. *Quandò verba ordinaria ſacra-*

*mentorum mutantur in alia alterius idiomatis, quæ eandem habent ſignificationem, ſacramentum valet.* Ratio eſt, quia cum remaneat eadem ſignificatio, mutatio aduеniens cenſetur accidentaria, & proinde non eſt contraria ſubſtantiæ ſacramenti, quæ maximè in ſignificatione conſiſtit. Et ſanè aliàs non liceret ſacramenta conficere niſi lingua Hæbraica, vel Syriaca in qua Chriſtus ea inſtituit, quod repugnat communi praxi Eccleſiæ.

Hinc primò collige quodlibet genus idiomatis ſufficere ad valorem ſacramenti, dummodo ſeruetur eadem ſignificatio, atque adeò errare hæreticos noſtri temporis, qui contra traditionem, & vſum Eccleſiæ, exiſtimant ſacramenta vbique in vulgari lingua conficienda eſſe.

Secundò collige ſacramentum tenere quando varia idiomata miſcentur in eadem forma, retento eodem ſenſu: vt ſi quis baptiſmum conferens diceret, *Ego te baptizo, au nom du Pere, du Fils, & du Sainct Eſprit*, & ſic de aliis.

Secunda aſſertio. *Quandò intra idem idioma verba formæ mutantur in alia idem ex communi vſu ſignificantia ſacramentum tenet.* Ratio eſt, quia cum verba non propter ſonum, ſed propter ſenſum proferantur, ſenſus videtur eſſe illorum anima, & ita quandò remanet idem ſenſus, eadem verba remanere cenſentur.

Dixi, ex communi vſu idem ſignificantia, quia ſi quis ex proprio motu imponeret quædam nomina ad ſignificandam apud ſe formam ſacramenti, eiuſmodi verba non ſufficerent ad valorem ſacramenti; quia requiritur vt ha-

beant ſolemnem, & vſitatam ſignificationem apud omnes.

Ex quò deducitur in adminiſtratione baptiſmi ſi pro verbo *Baptizo*, vſurpetur verbum *lauandi*, aut *abluendi*, vel *tingendi* validum fore baptiſmum. Item ſacramentum pœnitentiæ eſſe ratum ſi pro. *Ego te abſoluo à peccatis tuis*, Sacerdos dicat, *Ego remitto tibi peccata tua.* Quod ſimiliter dicendum eſt de ſacramento Euchariſtiæ, ſi pro, *hoc eſt corpus meum*, dicat quis, *iſtud eſt corpus meum*, & ſic de aliis.

Verum etiam erit ſacramentum, ſi quis in ſacramento baptiſmi dicat, *Ego vos baptizo*, etſi vnum tantum baptizet, aut ſi abſoluens virum aliquem nobilem dicat, *Ego abſoluo vos à peccatis veſtris*, vel, *Ego abſoluo dominationem, aut maieſtatem veſtram a peccatis ſuis.* Item ſi Epiſcopus baptizans, vel abſoluens diceret, *Nos baptizamus*, *Nos abſoluimus*, hæc enim verba ex accommodatione vſus idem ſignificant ac illa quæ ordinariè aſſumuntur.

Quo loco aduerte verba in quæ forma communis mutatur, etſi ſecundum vnum ſenſum ſint ſinonima, ſecundum alium eſſe poſſe æquiuoca: & tunc ad valorem ſacramenti oportet vt proferantur iuxta ſenſum quem habent verba communia; iam enim non habentur vt æquiuoca, ſed vt ſinonima: quod ſi verba æquiuoca abſolutè proferantur in ſenſu diuerſo à communis formæ ſenſu, iam mutatio eſt ſubſtantialis, & ſacramentum nullum eſt vt infra explicabitur.

Aduerte rurſus prædictam aſſertionem intelli-

gendam eſſe de ſignificatione æque diſtincta & explicita; nam ſi quis, verbi cauſa, inter baptizandum diceret, *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*, nihil efficeret, quia nomen, *Trinitas*, non ſignificat diſtinctè tres perſonas, ſed tantùm confusè: oportet autem iuxta inſtitutionem Chriſti in baptiſmi forma tres perſonas diſtinctè exprimere, vt dicetur vbi de baptiſmo.

Tertia aſſertio. *Quandò verba formæ mutantur in alia quæ diuerſum habent ſignificatum, ſacramentum non tenet.* Sequitur ex dictis, forma enim ſacramentorum eſt determinata ex Chriſti inſtitutione, ergo vt ſtet ſacramentum non debet illa immutari ſecundum ſubſtantiam: at quando pro verbis ordinariis aſſumuntur alià diuerſum ſenſum referentia, non dubium eſt quin forma quantùm ad ſubſtantiam immutetur; ergo cum tali immutatione ſacramentum validè perfici non poteſt.

Ex quo poteſt intelligi Baptiſmum non valere, ſi quis diceret inter baptizandum, *Ego te mundo à peccatis tuis*, quia in baptiſmo peccata mundantur, non quomodocumque, ſed per modum ablutionis qui in forma debet exprimi. Item ſi quis in ſacramento pœnitentiæ diceret, *Ego te abluo a peccatis tuis*, nihil efficeret; quia non pertinet ad hoc ſacramentum peccata remittere per modum ablutionis, ſed per modum abſolutionis, ſeu ſententiæ iudicialis, qui modus in prædicta forma non exprimitur. Idem cum proportione de reliquis ſacramentis dicendum eſt.

# SECTIO VI.

*An ſacramentum teneat quando aliquid formæ additur vel ſubtrahitur.*

SVMMARIVM.

*Quando verbis ſacramentorum aliquid additur quod ſenſum formæ variat, ſacramentum nullum eſt. Si verò per additionem ſenſus formæ non immutetur, ſacramentum tenet. Et idem iudicium de ſubtractione alicuius particulæ ferendum eſt.*

DVobus modis fieri poteſt additio verbis formæ. Primò, ita vt quod additur debitum ſenſum formæ verborum deſtruat. Secundò, ita vt ſenſus formæ non varietur. Et de ſubtractione idem aſſerendum eſt.

Aſſertio prima. *Quando aliquid additur quod ſenſum formæ variat, ſacramentum non valet*; *ſecus ſi ſenſus formæ ſubſtantialis non immutetur.* Patet ex dictis, nam ſubſtantialis integritas ſacramenti in ſenſu verborum conſiſtit : ſi ergo per additionem tollatur ſenſus verborum, ſacramentum non tenebit. Si verò ſeruetur ſenſus, ſacramentum erit validum.

Hinc, ſi quis baptiſmum cum Arrianis conferat. *In nomine Patris majoris, & Filij minoris, & Spiritus ſancti*, nihil efficit; quia talis additio æqualitatem perſonarum tollit. Et è conuerſo ſi

quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij eius vnigeniti, & Spiritus ſancti paracleti*, baptiſmus tenet, quia verba addita non tollunt debitum ſenſum formæ, ſicut neque iſta *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus ſancti.*

Et ſimiliter ſi quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Mariæ Virginis, & Filij, & Spiritus ſancti*, baptiſmum non confert: quia hæc forma ſignificat baptiſmum conferri in nomine Virginis, ſicut confertur in nomine trium perſonarum quod tamen falſum eſt. Quod ſi dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & beatæ Virginis*, difficultas eſt an ſacramentum teneat: cui reſpondemus cum diſtinctione. Si enim baptizans intendat æquare beatam Virginem tribus perſonis diuinis, quantùm ad virtutem, & efficaciam ſacramenti, quaſi verò illa dependeat à nomine beatæ Virginis, non minùs quàm à nomine trium perſonarum, ſacramentum non valet. Quod ſi verba prædicta addat eo tantùm animo, vt auxilium beatæ Virginis imploret baptizato, ſacramentum conficiet. Ita S. Thom. 3. part. quæſt. 60. art. 8. in corpore, & cum eo alij communiter.

Vbi nota aliter immutari formam quando verba prædicta aut ſimilia ponuntur in medio, aliter quando ponuntur in fine. Quando enim ponuntur in medio, corrumpunt formam quandiu profertur, & impediunt ne illa vnquam verum ſenſum habere poſſit, & ita ſacramentum irritant. Quando autem ponuntur in fine, non corrumpunt formam; quia antequam addantur, forma

iam eſt integrè prolata, & totam ſuam ſignificationem habet,& conſequenter in illo priori effectum ſuum operatur, qui per ſequentem additionem impediri non poteſt, niſi miniſter intendat poſteriora verba proferre vt partem formæ;in tali enim caſu non cenſetur velle ſacramentum perficere, niſi poſtquam forma per ſequentem additionem penitus corrupta eſt.

Aſſertio ſecunda. *Quando de verbis formæ aliquid ſubtrahitur quod ſenſum illorum tollit,nullum eſt ſacramentum. Si verò per ſubtractionem non immutatur ſenſus, ſacramentum eſt validum.* Hoc totum ex dictis ſatis perſpicuum eſt.

Ex quo collige baptiſmum eſſe nullum, ſi quis omittat particulá,*Baptizo*,vel,particulam,*Te*,quia cum hoc ſacramentú conſiſtat in fieri, ſeu in vſu, & applicatione materiæ ad ſubiectum, tam actus baptizandi, quam perſona baptizata in forma illius neceſſariò exprimi debet.Et idem dicendum eſt ſi omittatur aliquod nomen trium perſonarum, non autem ſi omittatur præpoſitio, *In*, vel coniunctio, *Et*, de quibus omnibus agetur ex profeſſo vbi de forma baptiſmi.

Si quis etiam in conſecratione Euchàriſtię omittat particulam *Eſt*,vel,*Corpus*,vel,*Meum*, nihil efficiet;omnes enim illę particulę ad eſſentiam formæ pertinent.Secus eſt de particula *Enim*,quia eâ ſublatâ remanet ſenſus qui per ſe intentus eſt in illa forma, nimirum vt ſignificet conuerſionem panis, & vini in corpus Chriſti & ſanguinem, quæ proprius eſt illius effectus.

Denique, ſi vel ex velocitate linguæ, vel ex balbutie, aut ex inaduertentiâ omittatur quæ-

dam littera, ſacramentum valebit : vt ſi quis inter conſecrandum diceret, *Hoc eſt corpus meum*, vel inter baptizandum, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, quod ſane multis contingit, iſta enim ex accomodatione vſus ſeruant legitimum ſenſum formæ integræ.

## SECTIO VII.

*An ſacramentum valeat quando verba formæ interrumpuntur, vel tranſponuntur, vel corrumpuntur.*

### SVMMARIVM.

*Quando verba formæ ita interrumpuntur, vt ex communi vſu non ſit vnus & continuus orationis ſenſus; aut ita tranſponuntur, vel corrumpuntur, vt verus ſenſus mutetur, ſacramentum non valet. Si verò verba priora cum poſterioribus vnam efficiant orationem, vnumque ſenſum; aut tranſpoſitio, vel corruptio verborum ſenſum non deſtruat, ſacramentum tenet.*

PRima aſſertio. *Quando in prolatione formæ intercipitur aliqua mora adeo notabilis, vt verba poſteriora, ex communi ſenſu, non videantur vnam efficere orationem cum anterioribus, mutatio eſt ſubſtantialis, & ſacramentum non tenet: econtra verò ſi interruptio adeo exigua ſit, vt orationis ſenſus ſit vnus, & continuus, mutatio eſt accidentalis.* Hæc aſſertio perſpicua eſt ex dictis.

Hinc ſi quis inter baptizandum prolatis illis

verbis, *Ego te baptizo*, Pſalmum aliquem recitaret, & poſtea diceret, *In nomine Patris*, *& Filij*, *& Spiritus ſancti*, non validè baptizaret. Quod ſi poſt verba illa tuſſiret, & ſtatim reliqua adderet, ſacramentum perficeret.

Et eodem modo ſi in conſecratione Euchariſtiæ poſt verba illa, *Hoc eſt*, Sacerdos ſternutaret, & deinde adderet, *Corpus meum*, verè conſecraret. Secus ſi mora eſſet adeo notabilis vt ſenſum integrum formæ non continuaret. Quando autem interruptio prioris, vel poſterioris generis cenſenda ſit, ex alijs hominum locutionibus iudicandum eſt.

Secunda aſſertio. *Quando tranſpoſitio verborum ſenſum variat, ſacramentum non valet: quando verò ſenſum non immutat, ſacramentum tenet.* Hæc etiam ita clara eſt ex dictis vt probatione non indigeat. Diximus enim non ſemel formæ ſacramentalis ſenſum eſſe de ſubſtantia, & integritate ſacramenti, atq; adeo ablato ſenſu ſacramentũ nullũ eſſe, eo vero manente ſacramentũ valeret.

Inde ſequitur non valere baptiſmum ſub illa forma, *Ego te & Filij*, *& Spiritus ſancti baptizo in nomine Patris*, quia per eam aut videtur baptiſmus conferri dumtaxat in nomine Patris, aut ſolùm in nomine Filij, & Spiritus ſancti. Si verò quis diceret, *Ego te Filij*, *& Spiritus ſancti baptizo in nomine*, *& Patris*, ſacramentum conficeret, quia ſic intelligeretur dari baptiſmum in nomine trium perſonarum.

Tertia aſſertio. *Quando verba formæ ita corrumpuntur vt ſenſus formæ pereat, non fit ſacramentum: ſi verò ſenſus manet, corruptio non impedit quin*

*ſacramentum valeat.* Hoc totum ex prædictis ſatis probatum relinquitur.

Hinc collige nullum eſſe baptiſmum ſi quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Matris, & filij, & Spiritus ſancti:* quia hæc corruptio omnino variat ſenſum formæ. Si verò quis dicat ex linguæ defectu, aut ex mala conſuetudine, *Ego te vaptizo*, vel, *Ego te aſſoluo*, vel *hoc eſt colpus meum*, ſacramentum valebit, quia eiuſmodi corruptio adeo eſt parui momenti vt ſenſum formę non deſtruat.

Quo loco obſeruandum occurrit, vt corruptio adueniens ſacramenti veritatem non impediat, non eſſe neceſſe vt verba corrupta in rigore eandem habeant ſignificationem ac verba integra: ſed ſatis eſſe quod ex modo quo hîc, & nunc proferuntur, eundem ſenſum generent in animo aſtantium: & ſic nomen illud, *Patria*, etſi non ſignificet ex ſe Patrem, ſed locum in quo quis natus eſt, illum tamen ſignificat vt prolatum in illa forma, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritus ſancta*, quam Zacharias Pontifex olim approbauit vt habetur cap. retulerunt de conſecrat. diſt. 4.

Obſeruandum præterea id quod iam diximus videri verum etſi qui verba profert ea corrumpat de induſtria, dummodo veram habeat intentionem ſacramentum conficiendi: remanet enim vera formæ ſignificatio, ſaltem ex vſus accommodatione, quòd ſatis eſt. Illa tamen corruptio voluntaria, & malitioſa, ſufficeret, vt meritò de veritate ſacramenti dubitari poſſet, vnde in tali caſu baptiſmus deberet iterari, niſi aliunde conſtaret de vera intentione baptizantis.

Quòd ſi baptizans verba datâ operâ corrumperet, animo iocandi potius quam baptizandi; ille nihil efficeret, ob defectum legitimæ intentionis. Porrò ſi intenderet verum formæ ſenſum immutare,& alium falſum formâ corruptâ exprimere, ille etiam non baptizaret; quia iam ageret contra intentionem Eccleſiæ prædicto errori contrariam. Sed de hoc agemus poſtea.

---

# SECTIO VIII.

## *An pendeat ex intentione miniſtri quòd mutatio formæ ſit ſubſtantialis.*

### SVMMARIVM.

*Quando ſeruatur debitus ſenſus formæ, ſacramentum tenet, etſi miniſter peculiarem aliquem errorem introducere velit. Quòd ſi verba formæ ita mutentur vt ambigua remaneant, & miniſter velit ſenſum erroneum ſignificare, ſacramentum vt plurimum erit nullum defectu intentionis, & formæ; nonnunquam tamen poterit eſſe validum.*

NOnnulli dicunt mutationem eſſe ſubſtantialem, & nullum confici ſacramentum, quoties miniſter addit aliquid ad formam non neceſſarium, tanquam neceſſarium, ſeu intendens nouum introducere ritum in Eccleſia, etſi legitimus formæ ſenſus remaneat. Ità Antoninus, Richardus, Aliacenſis, & alij apud Vazquez diſp. 129. cap. 6.

Alij exiſtimant tunc nullum eſſe ſacramentum, quando ſeruata ſignificatione formæ aliquid in ea immutatur ad introducendum errorem in ritu ab Eccleſia non tolerato. Quòd ſi eiuſmodi ritus ſit ab Eccleſia toleratus, tunc volunt ritè ſacramentum perfici. Ita Dominicus Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 8. §. ad hoc autem.

Sunt alij qui docent tunc verè perfici ſacramentum, quando miniſter formam immutans, habet intentionem faciendi quod facit vera Chriſti Eccleſia, quæcumque illa ſit; etſi peculiarem aliquem errorem introducere velit circa formam, modò legitimus illius ſenſus ex mutatione non deſtruatur. Ita poſt Durandum, Paludanum, & Martinum Ledeſma, Vaſquez loco proximè citato, Suarez diſp. 2. ſect. 5. & alij. Vt autem pateat quid in hac varietate probabilius exiſtimemus.

Prima aſſertio hæc ſit. *Quando ſeruatur debitus ſenſus formæ, ſacramentum tenet; etſi miniſter peculiarem aliquem errorem introducere velit.* Ratio eſt, quia cum priuato errore poteſt ſimul exiſtere generalis intentio faciendi quod vera facit Eccleſia; illæ enim duæ intentiones non habent objecta contraria, neque opus eſt vt vna aliam excludat: aliunde verò ad valorem ſacramenti tria illa ſufficiunt, materia, forma, & miniſter intendens facere quod facit Eccleſia: ergo cum ſupponamus in dicto caſu materiam, & formam legitimam adeſſe, nulla ſuppetit ratio cur dicamus ſacramentum non tenere ob priuatum illum errorem.

Confirmatur, nam Græci exiſtimant formam illam

illam baptiſmi, *Baptizatur ſeruus Chriſti*, eſſe eſſentialem, & noſtram, in qua perſona baptizans exprimitur, non eſſe legitimam. Putant etiam panem fermentatum eſſe eſſentialem materiam Euchariſtiæ, & conſequenter Latinos qui pane fermentato non vtuntur, non conſecrare, & ſimilia. Etſi autem ipſi velint hos errores defendere, & introducere, hoc non impedit quin verè baptizent, verè corpus Chriſti conficiant, quia ſcilicet veram materiam & formam apponunt, & intendunt facere quod Chriſtus inſtituit, quodque vera facit Eccleſia: ergo non obſtante priuato errore poterit verum confici ſacramentum, ſi ſenſus formæ non immutetur, & cætera neceſſaria adſint.

Sed contra hanc noſtram aſſertionem obijcies primo, ex Zachar. Papa in cap. retulerunt de conſecrat. diſt.4. eum qui baptizauit *In nomine Patria, & Filia, & Spiritus ſancta*, non errorem introducens, aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis, validè baptizaſſe: Ex quo videtur colligi à contrario ſenſu, nullum futurum fuiſſe baptiſmum, ſi miniſter ita baptizaſſet intendens introducere errorem aliquem, aut hæreſim.

Reſpondeo, hoc intelligendum eſſe de errore qui in forma exprimatur, & ſit contrarius vero ſenſui verborum: vt ſi præfatus miniſter nomine filia ſignificaſſet filiam aliquam Dei, non filium; & nomine Spiritu ſancta ſpiritualem aliquam fœminam, qui ſenſus pugnat cum illo qui à Chriſto in forma communi, & non corrupta intenditur: nos autem in aſſertione locuti ſumus

dumtaxat de errore qui verum ſenſum formæ non deſtruit.

Quod ſi miniſter errorem ſuum verbis exteriùs non exprimat, & debitam formæ ſignificationem non mutet, verum ſacramentum conficit; quia poteſt cum tali errore habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia. Vnde ſi Arrianus formam baptiſmi proferat cum abſoluta voluntate ſignificandi, & faciendi quod Chriſtus per eam ſignificari, & fieri voluit, baptiſmus tenebit; eſto ille interiùs credat tali forma non ſignificari æqualitatem perſonarum. Et eiuſmodi baptiſmum ab Arrianis collatum, approbauit Concil. Arelat. I. cap. 8.

Cæterùm ſi per formam baptiſmi nullo modo vellet Arrianus ſignificare æqualitatem perſonarum, tunc baptiſmus eſſet irritus, non quidem defectu formæ, quia cum ſignificatio non pendeat à priuata cuiuſque voluntate, ſed à legitima & communi impoſitione, nunquam Arrianus efficere poterit vt verba illa, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, inæqualitatem perſonarum ſignificent; erit ergo inualidus defectu legitimæ intentionis, quæ præter materiam, & formam ad valorem ſacramenti neceſſaria eſt.

Obijcies ſecundò. S. Thom. 3. part. quæſt. 60. art. 7. docet eum qui data opera verba formę corrupta profert, vel per additionem, aut detractionem intendit introducere nouum ritum ab Eccleſia non receptum, non videri perficere ſacramentum. Reſpondeo, S. Doctor non dicit talem non perficere ſacramentum, ſed tantùm videri non perficere, quod verum eſt: quia cum ex in-

duſtria mutet verba formæ, non videtur habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia: abſolutè tamen non repugnat eum eiuſmodi intentionem habere, & conſequenter verè ſacramentum conficere.

Secunda aſſertio. *Quando verba formæ ita mutantur, vt illorum ſignificatio ambigua remaneat, ſi miniſter velit ſenſum falſum & erroneum ſignificare, ſacramentum regulariter erit nullum ex defectu intentionis, & etiam ex defectu formæ.* Prior pars probatur, nam qui v. c. inter baptizandum dicit, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia,* &c. intendens filiam Dei inuocare ad conferendum baptiſmum, non habet intentionem conformem intentioni Chriſti, & Eccleſiæ, quæ non in nomine filiæ ſed filij baptizare ſolet.

Poſterior pars oſtenditur, quia tunc contingit defectus ſubſtantialis ex parte formæ, quando verba determinatè habent ſenſum alienum à ſenſu quem Chriſtus intendit, tunc enim mutatur formaliter ſignum à Chriſto inſtitutum: hoc autem contingit in propoſito, nam licet verba ſint ex ſe ambigua,& poſſint habere ſenſum verum & falſum, vt tamen hîc proferuntur à miniſtro, determinantur ad ſenſum erroneum, & conſequenter ad veritatem ſacramenti non ſufficiunt: maximè ſi aſtantes intelligant ea intentione proferri vt falſum ſignificent; quia apud illos habent tantùm hanc falſam ſignificationem, quæ cum vero formæ ſenſu non conſiſtit.

Confirmatur. Nam cum in omnibus fere vocibus reperiri poſſit ambiguitas aliqua, & æquiuocatio, nemo negare poteſt quin pendeat ex



Digitized by Google

intentione miniſtri, vt eiuſmodi voces ad ſubſtantiam ſacramenti poſſint ſufficere; ſi nimirum illas abſolutè in debito ſenſu proferre intendat. A contrario ergo ſi illas abſolutè pronunciet animo falſum ſignificandi, eæ tunc ad veritatem ſacramenti non ſufficient ex defectu ſignificationis debitæ.

Et hæc regulariter ita ſe habent vt in aſſertione dixi. Proponi tamē ſolet caſus aliquis in quo ſaluari poteſt veritas ſacramenti, etſi miniſter vtatur verbis ambiguis, eaque in ſenſu falſo proferat, & intendat inducere errorem formæ ſenſui contrarium. Vt ſi Sacerdos exiſtimans Chriſtum habere corpus ex natura ſua ſpirituale, inter conſecrandum dicat, *Hoc est corpus meum ſpirituale*, etſi enim intendat ſignificare corpus Chriſti eſſe natura ſua ſpirituale, qui ſenſus eſt hæreticus; ſi tamen ſimul putet ſe fortè decipi, & abſolutè intendat facere, & ſignificare quod Chriſtus verbis eſſentialibus fecit, & ſignificauit, verè conſecrat. Quia licet hæ duæ intentiones videantur inter ſe aliquo modo contrariæ, non tamen propriè ſecum pugnant; cum prior ſit conditionata, & poſterior abſoluta, quæ proinde effectum ſuum conſequitur.

Cæterum quia regulariter loquendo, ij qui errorem aliquem introducere volunt, exiſtimant id quod ſentiunt eſſe verum, illudque per formam qua vtuntur abſolutè ſignificare intendunt, nulla adhibita conditione; ideo vix credi poteſt eos habere abſolutam voluntatem faciendi quod Chriſtus inſtituit: & ſic non niſi rariſſimè contingit, vt ita ſentientes ſacramentum conficiant.

# SECTIO IX.

*De mutatione materiæ ſacramentalis.*

SVMMARIVM.

*Quando materia ſacramenti mutatur ſecundum ſpeciem phyſicam, aut non poteſt aſſumi ad vſum ad quem ab Eccleſia vſurpatur, eſto ſecundum ſpeciem non immutetur, mutatio cenſetur ſubſtantialis, & ſacramentum non tenet. Si verò tantùm mutetur ſecundùm quædam accidentia, & retineat ſpeciem, & vſum prædictum, ſacramentum valet.*

SIcut forma ſacramentorum, ita eorum materia duobus modis immutari poteſt, vel ſubſtantialiter, vel accidentaliter. Dicitur mutari ſubſtantialiter, vel quando mutatur ſecundum ſpeciem, vel quando non poteſt aſſumi ad vſum ad quem materia ſacramenti ab Eccleſia vſurpari ſolet. Dicitur verò mutari accidentaliter, quando remanet ſecundum ſpeciem phyſicam, & quantum etiam ad vſum ad quem materia ſacramenti aſſumi ſolet.

Ex hac diſtinctione facile intelligi poteſt in quibus caſibus ſacramentum ſit nullum defectu materiæ, & in quibus valeat, etſi materia paululum ſit immutata. Nam vt exemplis res illuſtretur, ſi quis v. c. ad baptizandum pro aqua elementari, quæ eſt materia baptiſmi à Chriſto

inſtituta, vt dicetur ſuo loco, aſſumat aquas ex floribus, vel herbis arte ſtillatas, cereuiſiam, lachrimas, phlegma, & alia eiuſmodi nihil efficiet, quia hæc corpora ab aqua naturali ſpecie differunt.

Quamuis autem iuxta communem Philoſophorum ſententiam nix, grando, glacies, & ſimilia corpora metheorologica eſſentialiter, & ſpecifice ab aqua elementari non differant; qui tamen ea ad baptizandum aſſumeret, ſacramentum non perficeret; quia ſecundum communem vſum Eccleſiæ, materia baptiſmi eſt aqua elementaris, non quæcunque, ſed talis quæ ſit apta proximè ad corpus abluendum.

Et ſimiliter ſacramentum eſſet nullum, ſi quis in maſſa farinæ aquâ ſubacta Euchariſtiam conficere vellet, licet fortè eiuſmodi maſſa nondum cocta, ſecundum ſpeciem phyſicam à pane non diſtinguatur: quia ſecundum communem vſum Eccleſiæ, materia legitima Euchariſtiæ eſt panis triticeus, qui proximè hominibus in cibum cedere poſſit, quod prædictæ maſſæ non competit.

Denique, immutatio quædam materiæ ſecundum accidentia non irritat ſacramentum: vnde non refert quod aqua baptiſmi ſit calida, aut frigida: quod per venas ſulphureas, aut cineres tranſierit: quod puluere infecta ſit: his enim non obſtantibus retinet ſpeciem, & vſum aquæ elementaris.

Vbi nota quod ſi corpus aliquod aquæ admiſceretur in tanta quantitate vt periret aquæ denominatio, ſacramentum eſſet nullum. Hinc baptiſmus conferri non poteſt in luto, aut in vino lim-

phato, aut in iure vltra naturam aquæ adden-ſato, ob craſſiores partes decoctæ carnis ibi re-lictas. Si quis tamen arte ex prædictis aquam exprimere poſſet, ea ad baptiſmum ſufficeret. Sed de his aliàs.

# SECTIO X.

*An ſit peccatum, ſacramentorum formam, vel materiam immutare.*

## SVMMARIVM.

*Materiam, aut formam ſacramentorum de induſtria, vel ex craſſa ignorantia ſubſtantialiter immutare, vel etiam accidentaliter in re graui, aut ſine neceſſitate, vel rationabili cauſa materiam, aut formam dubiam, omiſſa certa, aſſumere peccatum eſt mortale.*

PRima aſſertio. *Qui de induſtria, aut ex craſſa ignorantia formam, aut materia ſacramentorum ſubſtantialiter immutat, ita vt per eam mutationem irritum reddatur ſacramentum, peccat mortaliter.* Ratio eſt, quia hoc cedit in maximum contemptum ſacramenti. Quod ſi hoc faciat ex inaduertentia, obliuione, aut animi perturbatione, peccatum erit dumtaxat veniale.

Secunda aſſertio. *Qui animi gratia, & nulla neceſſitate, aut rationabili cauſa compulſus, aſſumit materiam aut formam dubiam in adminiſtratione alicuius ſacramenti, peccat mortaliter.* Ratio eſt, quia

abſque vlla ratione exponit ſe periculo non conficiendi ſacramentum, quæ maxima eſt irreuerentia.

Quod ſi neceſſitas vrgeat adminiſtrandi ſacramentum, & non adſit materia certa, aut forma certa ignoretur, miniſter dubijs vti poteſt. Et ſic qui in graui neceſſitate baptiſmum puero conferret, nec vllus adeſſet qui certam formam teneret, aut qui non dubitaret an eâ ſit legitima; tutò & abſque periculo irriſionis rerum diuinarum forma dubia vti poſſet.

Sic etiam poſſet aliquando conferri confirmatio in oleo, quod eſt materia probabilis; ſi non haberetur copia chriſmatis, quod eſt materia certa illius ſacramenti. Cæterùm ea vocatur materia, aut forma probabilis, quę ex Doctorum ſententia, aut iudicio viri prudentis iudicatur ſufficiens ad perficiendum ſacramentum.

Obijcies, in confeſſione materia certa eſt contritio, materia verò probabilis eſt attritio cognita: poteſt autem quis confiteri cum ſola attritione, etſi contritionem habere poſſit; ergo in ſacramentis, omiſſa materia certa vti licet probabili. Reſpondeo, in ſacramento diſtinguendum eſſe effectum ſacramenti, & ſacramentum ipſum: etſi ergo attritio cognita ſit materia tantùm probabilis reſpectu effectus ſacramenti, in ordine tamen ad ſacramentum ipſum eſt materia certa: quod eſt dicere, certum eſſe apud Theologos, quando homo cum prædicta attritione confitetur, ſacramentum valere, etſi in opinione poſitum ſit, an ille tunc effectum abſolutionis, gratiam nimirum, & peccatorum remiſſionem recipiat.

Tertia aſſertio. *Qui de induſtria mutationem aliquam valde notabilem, licet alioqui accidentalem inducit, peccat mortaliter.* Ratio eſt. Quia tranſgreditur præceptum in re graui, & ſacramentum irridere cenſetur.

Hinc ſi quis ſcienter inter baptizandum dicat, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritu ſancta*, lethaliter peccat. Item ſi quis in conſecratione calicis proferat tantùm verba priora, *hic eſt enim calix ſanguinis mei*, & reliqua, quæ ex probabiliori ſententia non ſunt eſſentialia, prætermittat. Si quis autem ſponte omitteret particulam, *enim*, peccaret tantùm venialiter, niſi accederet ſcandalum, aut contemptus; quia paruitas materiæ à peccato lethali vt plurimum excuſat.

*Finis diſputationis ſecundæ.*

# DISPVTATIO TERTIA.

## *De inſtitutione, & neceſsitate ſacramentorum in varijs ſtatibus.*

### Quinque ſectiones complectens.

HACTENVS *explicatum eſt per varias diſputationes quid ſit ſacramentum, nunc videndum eſt an ſit, ſeu an facta fuerit in varijs naturæ humanæ ſtatibus illius inſtitutio. Quinque ergo circa hanc difficultatem inueſtiganda occurrunt per quinque ſectiones, quarum prima ſit, De inſtitutione ſacramentorum in ſtatu innocentiæ. Secunda, de inſtitutione & neceſſitate ſacramentorum in lege naturæ. Tertia, De inſtitutione & neceſſitate ſacramentorum antiquæ legis. Quarta, De inſtitutione ſacramentorum in lege gratiæ. Quinta, De eorundem neceſſitate.*

# SECTIO I.

*De inſtitutione ſacramentorum in ſtatu innocentiæ.*

SVMMARIVM.

*In ſtatu innocentiæ nulla de facto fuere ſacramenta, neque vlla fuiſſent ſi ſtatus ille perduraſſet, quamuis potuiſſent congruenter a Deo inſtitui: futurus tamen fuiſſet cultus externus erga Deum, non ille ſolùm qui fit per actiones quaſdam corporis, ſed ille etiam qui in oblatione rerum externarum conſiſtit.*

SAcramentum duobus modis ſpectari poteſt, vel ſecũdum vltimam & ſpecificam rationem ſacramenti, vel ſecundum generalem rationem cultus externi erga Deum. Cultus autem iſte duplex eſt, alius qui fit per ſolas actiones corporis, vt cum Deum voce laudamus: alius qui conſiſtit in oblatione rerum externarum, vt cum cereos accendimus in honorem Dei.

Hoc poſito multa quæri poſſunt in iſta ſectione, primò an de facto ſacramenta quædam inſtituta fuerint in ſtatu innocentiæ pro breui tempore quo ſtatus ille perdurauit. Secundò an poſito quod Adam non peccaſſet, & ſtatus innocẽtiæ longo tẽpore perduraſſet, inſtituta fuiſſent à Deo aliqua ſacramẽta. Tertiò an poſito quod inſtituta de facto non fuiſſent, potuiſſent ſaltem oportunè, & cõgruenter tali ſtatui inſtitui. Quartò an in eo

ſtatu futurus ſaltem fuiſſet cultus externus erga Deum.

Prima aſſertio. *Nulla de facto inſtituta fuerunt ſacramenta pro ſtatu innocentiæ.* Probatur,quia adcò breue fuit tempus quo ſtatus ille perdurauit, vt vix primi parentes ſacramentis vti potuerint: cur ergo Deus ſacramenta pro eo tempore inſtituiſſet? maximè cum ſacramentum debeat eſſe ſignum ſolemne, & ſtabili lege inſtitutum,ac longo tempore durans, vt prima diſputatione dictum eſt.

Confirmatur. Nam primò ſacramenta non erant tunc neceſſaria ad producendam gratiam in primis parentibus, quia illi in gratia creati fuerunt:neque ad eam augēdam, quia cum primi parentes ſtatim poſt creationem ad Deum conuerſi fuerint, & ea conuerſione augmentum gratiæ promeruerint;neceſſe non erat vt in tam breui ſpatio, inſtrumentum aliquod adaugendæ gratiæ illis concederetur: neque etiam ad eam poſt peccatum recuperandam, quia primi homines per peccatum è prædicto innocentiæ ſtatu deciderunt. Vnde etſi ſacramenta ipſis poſtea conceſſa fuiſſent ad recuperandam gratiam, ea non potuiſſent dici neceſſaria pro ſtatu innocentiæ, ſed potiùs pro ſtatu peccati; præſertim quia nulla ſupererat ſpes recuperandi iuſtitiam originalem,aliaque dona in quibus conſiſtebat ſtatus innocentiæ.

Deinde neceſſaria etiam non erant tunc ſacramenta ad aſſequendam cognitionem rerum ſupernaturalium; quia primi parentes vt gratia infuſa, & virtutibus ſupernaturalibus, ita & ſcien-

tia rerum ſupernarum ſufficienter pro eo ſtatu inſtructi erant.

Poſtremò. Sacramenta non erant neceſſaria in ſtatu innocentiæ ad profeſſionem fidei: quandoquidem externa fidei profeſſio ſub ſignis ſacramentalibus,requiritur vt fideles ab infidelibus diſtinguantur, & vnam Eccleſiam conſtituant: in ſtatu autem prædicto vna tantùm erat Religio, & primi parentes cum duo tantum eſſent, Eccleſiam propriè loquendo conſtituere non poterant. Nulla igitur ratio afferri poteſt cur ſacramenta in eò ſtatu congruè deberent inſtitui.

Neque his obſtat. Primò illud Pauli ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*; hoc enim non ideò dixit Apoſtolus, quod matrimonium primorum parentum, de quò ibi loquitur, ad dignitatem ſacramenti eleuatum fuerit; ſed quia per coniunctionem illam, vnio futura diuini verbi cum humanitate prænotata fuit; quod ad rationem ſacramenti non ſufficit, vt ex diſputatione prima manifeſtum relinquitur: ad hoc enim præterea requiritur, vt ſit ſignum ad ſanctificationem hominis per ſe ordinatum.

Neque etiam refert quod tradit Auguſtin. lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 20. vbi agens de ligno vitæ ait illud fuiſſe ſacramentum, non enim hoc dicit, quaſi exiſtimet lignum eiuſmodi habuiſſe veram rationem ſacramenti; ſiquidem illud non erat ſignum rei ſacræ, vt ſacrantis, ſeu ſanctificantis homines; ſed quia rem aliquam myſticam ſignificabat, nempe, vt ſic fuiſſe accipiatur lignum vitæ in paradiſo corporali, ſicut in ſpi-

rituali,hoc eſt intelligibili paradiſo ſapientia Dei, de qua ſcriptum eſt. (Proueb. 3.) *Lignum vitæ eſt omnibus amplectentibus eam.*

Secunda aſſertio. *Si Adamus nō peccaſſet, & ſtatus innocentiæ longo tempore perduraſſet incertum eſt an futura fuiſſent ſacramenta nec ne.* Ratio eſt,quia inſtitutio ſacramentorum pendet à voluntate diuina, quæ nobis hac in parte ſiue per ſcripturam, ſiue per traditionem,ſiue alio quouis modo ſufficienter non innoteſcit, vt certò dicere poſſimus ſacramenta futura, aut non futura.

Et quamuis ex congruentiis variis quas poſtea afferemus,probabiliter colligi poſſit,de facto tūc quædam ſacramenta inſtituenda fore, Deus tamen alias forte rationes, & efficaciores habuiſſet, ob quas nullum ſacramentum vellet inſtituere. Præſertim cum ſæpe contingat, Deum ea non efficere quæ ſecundum ratiocinationem humanam magis congruere videntur.

Si tamen rationibus probabilibus,& coniecturis agere liceat,exiſtimo valdè probabile eſſe Deū nulla inſtituturum ſacramenta:Siquidem Adamo non peccante,magis congruum eſſet tam ex parte Dei, quam ex parte hominum, vt Deus fieret homo,quam vt ſacramenta inſtitueret: per incarnationem enim magis manifeſtaretur virtus diuina, quam per ſacramentorum inſtitutionem; & illa multò magis vtilis eſſet hominibus quam hæc: nihilominus tamen in eo ſtatu non eſſet futura incarnatio ex communiori ſententia, ergo etiam nec ſacramentorum inſtitutio.

Quod ſpeciatim confirmatur de ſacramentis quę hactenus inſtituta ſunt, ea enim ordinātur ad

ſignificandum Chriſtum, & peccata expellenda, ac gratiam conferendam ex ipſius merito: ſi ergo Chriſtus qui eſt ſacramentorum omnium cauſa, & vniuerſalis peccatorum medicus venturus non fuiſſet, nec etiam medicina fuiſſet inſtituta.

Quod ſi ſupponamus verbum Adamo non peccante fuiſſe incarnandum, dicunt aliqui nulla futura fuiſſe ſacramenta ante incarnationẽ: poſt incarnationem verò probabilius exiſtimant futurã fuiſſe Euchariſtiam: quia hoc ſacramentum eſt maximè expetibile propter vnionem animæ cum Chriſto quam operatur in nobis, & alioqui à peccato non pendet. Idẽ aſſerunt de ſacramento Ordinis propter habitudinẽ quam habet ad Euchariſtiam, quod tamen magis incertum eſſe dicunt. Quod ſpectat ad baptiſmum, confirmationem, & reliqua ſacramenta, ea omnino excludunt à prædicto ſtatu, ſi futurus fuiſſet; imò & ſacramentum pœnitentiæ etiam poſito quod nonnulli eſſent peccaturi mortaliter. Ita Suarez tom. 3. in 3. partem diſp. 3. Sect. 3.

Verùm hæc doctrina nobis non placet. Imprimis enim dico veriſimilius eſſe, in ea hypotheſi, quod Chriſtus Adamo nõ peccante věturus eſſet, nulla inſtituenda fore ſacramenta ex noſtris, ſiue ante, ſiue poſt incarnationem. Cuius ratio eſt, quia ſacramenta noſtra quotquot ſunt, inſtituta fuerunt à Deo ob meritum ſolum paſſionis, & mortis Chriſti, vtque eſſent ſigna illius rememoratiua, quod ſpeciatim conuenire Euchariſtiæ patet ex verbis illis Chriſti Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* At Chriſtus ſi, Adamo non peccante, veniret; non eſſet paſſibilis, nec pro

nobis mortem obiret; Ergo Deus nihil eorum nobis daret quæ intuitu meritorum, & mortis Chriſti nobis conceſſit; & conſequenter nullum ſacramentum ex noſtris inſtitueret.

Deinde ſi aſſeramus in eo ſtatu inſtituendum fuiſſe ſacramentum Euchariſtiæ, eadem probabilitate id affirmandum eſt de ſacramento Ordinis: neque debet Suarez magis de hoc dubitare quam de illo, ſi quidem non decuiſſet omnes homines indiſcriminatim fuiſſe miniſtros auguſtiſſimi ſacramenti Euchariſtiæ, ſed eos tantùm qui ſpeciali conſecratione, & ordinatione ad tantum munus deſtinati fuiſſent, vt nunc etiam ſit.

Idem etiam in illa ſententia iudicandum eſt de ſacramento pœnitentiæ. Nam ſi admittitur Euchariſtia ad conferendam gratiam ſecundam, ſeu ad perficiendam vnionem animæ cum Chriſto; cur non etiam admittetur pœnitentia, quæ per ſe primariò inſtituta eſt ad peccata ab animo expellenda, & conferendam primam gratiam, cum ſupponatur homines in eo ſtatu mortaliter peccaturos?

Nec refert quod, vt ait Suarez, peccatores poſſent amore, vel contritione abſque ſacramento remiſſionem peccatorum conſequi; Similiter enim, imo potiori iure dici poteſt, quod etiam viri iuſti variis actibus meritoriis, quos facillimè quouis tempore exercerent, poſſent augmentum gratiæ abſque Euchariſtia conſequi; atque adeò non eſſe magis veriſimile, hoc ſacramentum futurum fuiſſe, quam pœnitentiam.

Tertia aſſertio. *Si ſtatus innocentiæ perſeueraſſet, potuiſſent*

*potuiſſent in illo nonnulla ſacramenta congruenter inſtitui.* Probatur primò, nam vt docet Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum cap. ij. *In nullum nomen Religionis ſeu verum, ſeu falſum coadunari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel ſacramentorum viſibilium conſortio colligantur:* atqui ſi ſtatus innocentiæ longo tempore perſeueraſſet, viguiſſet inter homines vera aliqua Religio, veruſque Dei cultus; ergo in eo ſtatu ſacramentorum inſtitutio ſufficientem cauſam, & congruentiam habuiſſet.

Secundò. In ſtatu innocentiæ homines ab obiectis externis, & ſenſibilibus ad cognitionem rerum aſſequendam excitarentur; neque intelligerent res ſpirituales & diuinas in ſe, ſed tantùm per ordinem ad corporalia: Ergo hominibus in eo ſtatu congruerent ſacramenta aliqua, quæ per res ſenſibiles ad notitiam gratiæ homines veluti manu ducerent.

Confirmatur. Nam ex communi Theologorum ſententia, beati in corporibus aſſumptis multa intelligent extra verbum, per ſpecies, ſeu phantaſmata corporea, quæ per beatificam viſionem in verbo clarè perſpicient: potiori igitur ratione vſus ſacramentorum, quæ ſunt ſigna quædam ſenſibilia rerum diuinarum, potuiſſet congruere perfectioni ſtatus innocentiæ, quem ſtatus beatitudinis multis partibus ſuperat.

Tertiò. In eo ſtatu homines per bona opera non tantùm interna, ſed etiam externa potuiſſent promereri augmentum gratiæ: quidni ergo potuiſſent etiam congruè per ſignum aliquod exter-

num idem augmentum comparare, citra meritum proprium, & ex opere operato; cum modus iſte gratiam conſequendi ſit valde vtilis, & magnam perfectionem, innocentiæ ſtatui minime repugnantem præ ſe ferat?

Dicunt aliqui, hoc in eo reperiri inconueniens, quod ſic homo in prædicto ſtatu quoad perfectionem ſuam ſpiritualem à rebus corporeis dependeret, quod tamen abſurdum eſſe putant; quia homo tunc rebus omnibus corporeis dominaretur, quantum ad partem animi ſuperiorem, ſecundum quam Deo ſoli ſubiectus eſſet, & ab eo tantum perficeretur.

Sed ſi hæc ratio haberet aliquid momenti, ſequeretur quod in ſtatu innocentiæ homines cognoſcerēt ſine dependentia à phātaſmatibus, nec excitarentur ab obiectis ſenſibilibus ad res intelligendas; & ſpiritualia directè perciperēt prout in ſe ſunt, abſque vlla analogia ad res corporeas, quę omnia falſa ſunt. Si ergo non erat alienum à ſtatu innocentiæ, quod homo per res externas interiùs perficeretur; quæ ratio eſt cur dicamus non potuiſſe Deum conuenienter tali ſtatui inſtituere ſigna aliqua externa, quibus homo interiùs quantùm ad cognitionem, & etiam quantum ad augmentum gratiæ perfici poſſet?

Reſponderi poteſt non eſſe inconueniens ſuperiora perfici ab inferioribus, quando neceſſitas naturæ id poſtulat, vt in exemplis allatis, aut quando occaſione orta ex peccato ita fieri expedit; ordo autem naturæ non poſtulaſſet in ſtatu innocentiæ, vt homines per ſigna ſenſibilia perficerentur quoad augmentum gratiæ: neque etiam

ex peccato modus ille perfectionis occaſionaliter ortum habere potuiſſet ; quia agimus de ſtatu innocentiæ qui Adamo non peccante perduraſſet.

Verùm etſi naturalis ordo non poſtulet vt homo quoad gratiæ augmentum perficiatur per res ſenſibiles, poterit tamen ita perfici ſi Deus voluerit; & modus ille perfectionis licet ſupernaturalis, habere poterit varias congruentias tum ex parte Dei, tum ex parte hominis ; ita vt opus non ſit illum ſola occaſione peccati inſtitui. Ex parte Dei, vt ſi Deus ob manifeſtationem ſuæ ſapientiæ, & bonitatis ( qui finis eſt primarius diuinorum operum , maximè ſupernaturalium) inſtituat ſigna quædam ſenſibilia quibus tribuat vim producendi gratiam. Ex parte hominis , ſi præterea Deus velit vt eiuſmodi ſigna adeo ſint homini vtilia , vt ipſi conferant augmentum gratiæ ex opere operato.

Confirmatur. Nam ante peccatum Deus præcepit primis parentibus, vt ex ligno ſcientiæ boni & mali non comederent ; Quare hoc ? vt ſcilicet ipſi , Deo obtemperarent , eique humiliter vt ſuo creatori ſe ſubijcerent : quod nullus , vt puto, congruè factum negabit. Si ergo congruum fuit ob meritum obedientiæ , & humilitatis , vt vſus rei cuiuſdam ſenſibilis primis parentibus in ſtatu innocentiæ inhiberetur : nonne potuiſſet Deus æquè congruè eorum poſteris præcipere vſum alicuius rei ſenſibilis , ad exercitium obedientiæ, & humilitatis ; & quod maius eſt, vt tali vſu , gratiæ augmentum ex opere operato aſſequerentur ?

Nec refert quod in obiectione, de dominio hominis in res omnes corporeas allatum eſt. Reſpondeo enim quamlibet dependentiam à rebus corporeis, non fuiſſe contrariam dominio homini conceſſo in ſtatu innocentiæ; ſed eam tantùm quæ obſtaret, quo minus homo ad arbitrium vteretur rebus corporeis: nihil autem tunc impediret quin homo vteretur rebus illis ſenſibilibus, quæ in ſacramenta inſtitutæ eſſent. Vnde ex hac parte perfectum in eas dominium retineret: quatenus verò earum vſu augmentum gratiæ reciperet, ſic non tam diceretur ſubiici rebus ſenſibilibus, quam Deo ipſi authori gratiæ, & ſacramentorum, in vſu rerum ſenſibilium: in quo nulla eſt imperfectio etiam pro ſtatu innocentiæ.

Quarta aſſertio. *In ſtatu innocentiæ futurus fuiſſet cultus externus erga Deum.* Explico, duplex eſt cultus externus erga Deum vt dixi initio ſectionis; vnus qui fit per ſolas actiones corporis, alius qui fit per oblationem rerum externarum: de vtroque autem volumus intelligi prædictam aſſertionem.

Et quidem quod prior cultus futurus fuiſſet in ſtatu innocentiæ, patet; quia eiuſmodi cultus non debetur Deo per accidens occaſione peccati, ſed per ſe, quatenus ipſe eſt author naturæ humanæ, quæ ex corpore & anima coaleſcit; hinc enim congruum eſt vt homo, etiam in ſtatu innocentiæ Deum colat vt authorem ſuum actibus tam corporis, quam animæ.

Eò vel maximè, quia homo in eo ſtatu viueret politicè, & non ſolitariè; vita autem ſocialis poſtulat vt homines non ſolùm interiùs credant, ſed

etiam exteriùs per verba, & alias actiones corporis fidem ſuam profiteantur.

Quod etiam poſterior cultus futurus fuiſſet in prædicto ſtatu ea ratione probatur, quia ſicut homo corpus & animam, ita & res externas à Deo accepit: quare ſicut ratio naturalis dictat, Deum ab homine corpore & animo colendum eſſe; ita eadem oſtendit res externas ipſi eſſe offerendas, vt earum oblatione, aut conſumptione homo ſubiectionem ſuam erga Deum, vt rerum omnium authorem, & largitorem, ſupremumque ipſius Dei dominium in res omnes proteſtaretur.

---

## SECTIO II.

*De inſtitutione & neceſsitate ſacramentorum in lege Naturæ.*

### SVMMARIVM.

*In lege naturæ inſtitutum fuit aliquod remedium ad infantium ſalutem, quod debebat illis applicari per ſignum ſenſibile à Deo ſpeciatim determinatum. Vnde tale remedium erat verè ſacramentum, & erat neceſſarium neceſsitate medij reſpectu paruulorum, reſpectu verò parentum neceſsitate præcepti.*

NOnnulla examinanda occurrunt in iſta ſectione, primò vtrum in lege naturæ, id eſt toto illo tempore quod à peccato Adæ vſque ad Circunciſionem effluxit, datum fuerit hominibus remedium aliquod ad peccatum originale de-

lendum. Secundò, vtrum remedium illud fuerit ſignum ſenſibile & externum. Tertiò, vtrum fuerit ſacramentum propriè dictum. Quartò, vtrum fuerit neceſſarium ad ſalutem.

Prima aſſertio. *In lege naturæ fuit aliquod remedium ad infantium ſalutem à Deo inſtitutum.* Ita omnes Theologi. Probatur autem primò ex Patribus: Cyprianus, vel quicumque alius ſit author, ſermone de ratione circumciſionis. *Sanè* (inquit) *originale peccatum, quod a primis patribus in totam generis humani ſucceſsionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari.*

Auguſtin. lib. 5. contra Iulian. cap. 9. *non eſt credendum* (inquit) *ante datam circunciſionem, famulos Dei, quando quidem illis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo ſacramento eius opitulatos eſſe paruulis ſuis; quamuis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa ſacra Scriptura tacere voluerit.*

Beda lib. 1. in Lucam cap. 8. ita ſcribit. *Nam qui vel ante tempora circumciſionis, vel etiam poſt datam circumciſionem, de exteris gentibus extitere fideles, vt exemplar patientiæ Iob, & amici, liberique illius, ſiue victimis hoſtiarum ſe, ſuoſque ab originali peccato, ſeu certè ſola fide ſaluabant.* Similia dicunt Gregorius, & Bernardus infra citandi.

Ratio idem ſuadet, quia cum Deus ſit ſummè pius, & miſericors, velitque quantum eſt ex ſe, omnes homines ſaluos fieri; incredibile eſt illũ infantes omnes, per multa ſæcula, abſq; remedio ſalutis reliquiſſe. Præſertim cum ipſe ea quæ pertinent ad ſanitatem, & conſeruationem corpo-

ris,in omni ſtatu hominibus abũde ſupeditauerit.

Accedit quod in veteri Lege nullum apparet datum fœminis remedium, ad peccatum ipſarum originale purgandum: quod enim dicunt nonnulli eas ab eiuſmodi peccato liberatas fuiſſe, quando præſentabantur in templo, non eſt veriſimile; quia maſculi etiam Deo offerri ſolebant, neque eo ritu à culpa originis liberabantur, ſed per circumciſionem, vt dicetur inferiùs: cum autem valde abſurdum ſit cogitare, Deum remedium aliquod inſtituiſſe pro ſolis maſculis, omnes verò fœminas ſine remedio reliquiſſe;hinc rectè colligunt Theologi,eas tunc eodem modo à peccato originali purgatas fuiſſe,ac in ſtatu naturæ; & conſequenter idem remedium, quodcumque illud ſit,pro ipſis in vtroque ſtatu viguiſſe. Vnde vlteriùs fit eiuſmodi remedium ante inſtitutionem circumciſionis, quæ erat dumtaxat pro maſculis, commune fuiſſe omnibus infantibus, ſiue eſſent maſculi, ſiue fœminæ.

Dices. Si tunc fuiſſet tale aliquod remedium pro paruulis, illud ſola Dei voluntate inſtitutum eſſet;at non conſtat nobis de eiuſmodi voluntate, ſiue ex ſcriptura,ſiue ex definitione Eccleſiæ,ſiue ex antiqua, & perpetua traditione ab eo tempore ad nos deriuata; præſertim cum in libris Patrum Auguſtino,& Gregorio antiquiorum, nihil de ea re ſcriptum legatur. Fruſtrà ergo aſſerimus prædictum remedium in ſtatu naturæ viguiſſe.

Reſpondeo, nobis ſufficere quod Patres mox citati, & omnes ſcholaſtici, eorum veſtigijs inſiſtentes, non ſpernenda ratione moti fuerint ad prædictam aſſertiorem aſtruẽdam;vt videlicet de

prouidentia, & miſericordia Dei erga genus humanum rectè, vt par eſt, ſentirent; eſto neque ex ſcriptura, neque ex traditione perpetua, vel Eccleſiæ determinatione de eiuſmodi veritate conſtet.

Secunda aſſertio. *Remedium illud non conſiſtebat in ſolo actu interno fidei, ſed debebat applicari infanti per actum aliquem ſenſibilem, ſeu profeſſionem externam internæ fidei.* Vt hoc clariùs intelligatur, aduertendum eſt in confeſſo apud omnes eſſe, prædictum remedium quo infantes in lege naturæ à culpa originali ſanabantur, poſitum fuiſſe in aliqua actione, ſeu cultu religioſo quo paruulus diuino cultui dicabatur, ex fide & intentione offerentis.

Dubium eſt autem vtrum eiuſmodi actus eſſet merè internus, & ſpiritalis, an verò potiùs adiunctam haberet aliquam actionem ſenſibilem, quæ ſe haberet per modum cuiuſdam profeſſionis fidei. Et quidem non deſunt qui priorem partem ſequantur, aſſerentes fidem ſolam interiorem offerentis abſque vllo ſigno externo paruulis profuiſſe, in qua ſententia ſunt Bonauent. Richardus, Soto, & quidam alij quos citat, & ſequitur Vazquez diſp. 165. cap. 3.

Poſterior tamen pars, quæ ſtatuit actum fidei internæ nihil profuiſſe, niſi ſigno aliquo externo expreſſa infantibus applicaretur, eſt multò communior, eamque poſt Alexandrum, Scotum, Durandum, Paludanum, Gabrielem, Maiorem, Adrianum, Armacanum, Eckium, Richardum, Canum & alios non paucos amplectuntur Suarez diſp. 4. de ſacram. ſect. 2. Valentia diſp. 3. quæſt. 2.

puncto 2. Sayrus lib. 3. de Sacramentis in genere, cap. 3. quæſt. 3. art. 2. Fauentinus in 4. diſp. 4. cap. 5. Syluius 3. part. quæſt. 61. art. 3. & ibidem Ægidius Coninck dub. vnico, quibus adde Vincentium Fernandes de Heredia repetitione de Sacramentis in genere, parte 4. dub. 2. Filliucium tract. 1. de Sacramentis, cap. 3. quæſt. 4. & Paulum Layman tract. 1. de Sacramentis, cap. 3. num. 3. Et hæc ſententia nobis videtur probabilior.

Suaderi autem poteſt varijs congruentijs, quarum prima hæc ſit. In lege naturæ paruuli ſanctificabantur virtute Chriſti, eique per gratiam acceptam coniungebantur vt capiti, vt intelligitur ex S. Thoma 3. part. quæſt. 68. art. 1. ad 1. cum ergo Chriſtus eſſet caput homogeneum, & ſenſibile reſpectu hominum, congruum omnino videbatur vt infantes per remedium aliquod ſenſibile illi vnirentur.

Secunda. Sicut nunc per ſuſceptionem baptiſmi homines fiunt membra Eccleſiæ, ita in lege naturę paruuli per aplicationem remedij prædicti, membra Eccleſiæ fiebant: Eccleſia autem erat non minus tunc viſibilis quam nunc ſit; ergo ſicut iam homines Eccleſiæ vniuntur per baptiſmum, qui conſiſtit in actione quadam ſenſibili, ita valde congruum erat, vt in lege naturæ paruuli Eccleſiæ viſibili vnirentur per medium aliquod ſenſibile. Præſertim cum dicat Auguſtinus, vt non ſemel notauimus, in nullum religionis nomen adunari homines ſine ſacramentorum viſibilium conſortio.

Tertia. Si remedium illud fuiſſet merè ſpiri-

tuale, vt aduerſarij volunt, potuiſſet applicari infantibus ad quamcumque diſtantiam, quod ſatis abſurdum eſt: imo & ipſis in vtero matris exiſtentibus, & ita omnes potuiſſent ſanctificari in vtero, quod non minus ridiculum eſt. Neque dicas hominem non poſſe renaſci quin priùs natus ſit; hoc enim eatenus dumtaxat verum eſt, quatenus ſacramentum non poteſt applicari infanti in vtero exiſtenti: nam ſi puer poſſet baptizari nondum natus, non dubium eſt quin gratiam ſanctificantem reciperet, vt dicetur aliàs.

Quarta. Vel fides parentum habebat vim iuſtificandi paruulos ex natura ſua, vel ex inſtitutione Dei: prius dici non poteſt, cum fides iam non ſit minùs perfecta quam in lege naturæ, neque talem efficaciam habeat: ſi poſterius affirmetur, cum talis inſtitutio non habeatur per ſcripturam, aut traditionem, ſed ex ſola authoritate aliquorum Patrum non omnino clara, & certa; potiori iure nos dicere poterimus, Deum inſtituiſſe ſignum aliquod externum, per quod fides parentum paruulis applicaretur, quodque eſſet quædam proteſtatio fidei; cum ille ſit modus ordinarius quo Deus homines ſanctificat, vt liquet ex ſacramentis nouæ, & antiquæ legis: & aliunde hoc ſit conſentaneum doctrinæ Auguſtini (cuius præcipuè authoritate nititur aſſertio remedij prædicti) vt iam videbimus.

Denique, his rationibus addenda eſt ſententia Auguſt. qui, loco ſuperius allegato, duo dicit ex quibus non obſcurè ſuadetur iſta aſſertio. Primò, famulos Dei ante circunci-

ſionem aliquo ſacramento paruulis ſuis opitulatos fuiſſe : vbi nomine ſacramenti ſignum aliquod ſenſibile intelligi debet, cum hoc ſit de ratione ſacramenti in genere vt diſp. 1. ex ſententia ipſius Auguſt. oſtenſum eſt. Secundò, dicit ſcripturam voluiſſe nos latere quid illud ſacramentum eſſet, quod dici non poteſt niſi de aliquo actu ſenſibili, & externo, cum certum ſit apud omnes neceſſarium fuiſſe actum internum fidei.

Neque dicas Auguſt. lib. 15. de ciuit. cap. 16. dubitanter loqui. Non enim ita eſt, ſed tantùm monet ſcripturam tacere, an fuerit corporale ſignum regenerationis ante diluuium; & ſi fuit, quale illud fuerit. Ipſe verò ex propria ſententia loquens loco citato lib. 5. contra Iulianum, diſertè affirmat tale aliquod ſignum in ſtatu naturæ viguiſſe.

Sed opponet primò aliquis illud Gregor. lib. 4. moral. cap. 2. *Quod apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificij*, &c. quibus verbis apertè docet ſolam fidem paruulis profuiſſe.

Reſpondeo. Nomine fidei Gregorius eo loci comprehendit tam actum internum fidei, quam externam illius profeſſionem : quare dum dicit pro paruulis ſolam fidem ſuffeciſſe, ijs verbis non excludit externam proteſtationem internæ fidei, ſed tantum ſacrificia quæ docet adultis neceſſaria fuiſſe, videlicet ad expianda ex opere operantis peccata actualia quibus erant obnoxij. Eodem modo intelligendus

eſt noſter Bernardus epiſt. 77. dum ait paruulis in lege naturæ ſolam fidem fuiſſe neceſſariam.

Et hæc explicatio confirmari poteſt alia ſimili quam aduerſarij approbare coguntur; cum enim Nicolaus Pontifex 27. quæſt. 2. can. *Sufficiat*, & Alexander 3. cap. *Cum locum*, *De ſponſalibus & matrimonijs*, docent ſolum conſenſum internum ſufficere ad matrimonium, hac ratione loquendi nolunt excludere ſignum ſenſibile, & externum conſenſus interni, cum de fide ſit tale ſignum requiri; ſed tantùm conſenſum in carnalem copulam, aut quid ſimile vt ſupra aduertimus. Ita ergo dici poteſt Gregorium Pontificem, cum ait ſolam fidem neceſſariam fuiſſe ad iuſtificationem paruulorum, non excludere ſigna quælibet externa quibus ea fides paruulis applicaretur, ſed tantùm ſacrificia vt dictum eſt.

Opponi etiam poteſt S. Thom. qui 3. part. quæſt. 70. art. 4. ad 2. hæc verba ſcribit. *Ad ſecundum dicendum, quod ſicut ante inſtitutionem circunciſionis, ſola fides Chriſti futuri iuſtificabat tam pueros quam adultos, ita etiam & circunciſione data.*

Sed ex hoc loco nihil colligitur contra ea quæ diximus: ſiquidem ſanctus Doctor eodem modo loquitur de adultis, ac de paruulis vt patet: At vt ipſemet docet in 4. diſt. 1. quæſt. 3. adultis in ſtatu naturæ neceſſaria erant ſacrificia ad remiſſionem peccatorum actualium, quod etiam aperte colligitur ex S. Gregorio loco citato: quando ergo ait ſolam fidem eis ſuffeciſſe ad iuſtificationem, non excludit pro illis ſacrificia; ergo etiam nec ſigna ſenſibilia pro paruulis.

Et hoc apertè confirmatur ex ijs quæ ſtatim poſt verba in obiectione citata addit, ſic enim ait. *Probabile tamen eſt, quod parentes fideles pro paruulis natis, & maximè in periculo exiſtentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam ſignaculum fidei) ſicut adulti pro ſeipſis preces, & ſacrificia offerebant.*

Confirmatur rurſus, nam ibidem habetur ſolam fidem eodem modo iuſtificaſſe ante ac poſt circunciſionem; ſed poſt circunciſionem neceſſarium erat paruulis ſignum externum proteſtatiuum fidei: ergo idem affirmandum eſt de tempore præcedenti.

Denique, vt multa alia prætercam S. Thom. 3.part. quæſt.68. art.1. ad 1. hæc habet. *Sed ante aduentum Chriſti homines Chriſto incorporabantur per fidem futuri aduentus, cuius fidei ſignaculum erat circunciſio vt Apoſtolus dicit*, Roman.4. *Ante vero quam circunciſio inſtitueretur ſola fide (vt Gregorius dicit) cum ſacrificiorum oblatione, quibus ſuam fidem antiqui Patres profitebantur, homines Chriſto incorporabantur.* Quibus verbis, fidei ſacrificiorum oblationem adiungit.

Tertia aſſertio. *Remedium inſtitutum in ſtatu naturæ, ad delendum peccatum originale in paruulis, erat verum ſacramentum.* Ita S. Auguſt. loco citato ex lib.5. contra Iulian. cap.9. vbi ait fideles ante circunciſionem aliquo ſacramento paruulis ſuis opitulatos fuiſſe.

Ratio autem eſt, quia remedium illud imprimis erat cæremonia quædam externa, & ſenſibilis, ordinata ad ſanctificationem paruulorum,

vt ante diximus : deinde illa cæremonia paruulis applicata ſignificabat gratiam à Deo ipſis infuſam ; ad hoc enim ſignificandum inſtituta erat : ergo nihil ei deerat ad rationem ſacramenti.

Quo loco aduertendum eſt Deum potuiſſe duobus modis inſtituere hoc ſacramentum. Primò, reuelando Adamo quo ritu in ſpecie vtendum eſſet ad paruulos ſanctificandos, & iubendo vt tam ipſe, quam eius poſteri talem ritum vſurparent. Secundò, non determinando in ſpecie quo ritu ad eiuſmododi effectum vterentur, ſed generatim inſtituendo cæremoniam aliquam ſenſibilem, & ſacram, quam deinde ipſi pro arbitrio ad certum modum definirent.

Eſt autem difficultas quonam ex his modis prædictum ſacramentum inſtitutum fuerit. Nonnulli enim exiſtimant ex diuina inſtitutione non fuiſſe determinatam cæremoniam, ſeu actionem ſenſibilem ad ſignificandum impoſitam; ſed ex hominum arbitrio ad certum actionis modum definitam fuiſſe. Et ita tenet Suarez diſp.4. ſect. 3. Et cum eo quidam alij.

Verùm (pace ſapientiſſimi Doctoris dixerim) ſententia oppoſita videtur probabilior. Primò, quia regulariter loquendo Deus in ſacramentorũ inſtitutione determinat materiam, & formam, vt patet in ſacramentis veteribus, & nouis; neque vlla eſt ratiò efficax quæ moueat nos ad credendum aliter ſacramentum legis naturæ à Deo fuiſſe inſtitutum, vt facilè patebit ex ſolutione argumentorum quæ in medium adducit Suarez:

ergo dicendum eſt, Deum eodem modo determinaſſe materiam ſenſibilem in ſacramento naturæ, ac in reliquis.

Deinde, ſacramentum eſſentialiter eſt ſignum ſenſibile, & pro varietate ſigni ſenſibilis variatur etiam ſacramentum. Si ergo in lege naturæ potuiſſent homines ad libitum vſurpare quodcumque ſignum ſenſibile, ſacramentum inſtitutum ad remiſſionem peccati originalis, non fuiſſet vnius rationis ſed multiplicis, iuxta varia ſigna externa quibus homines vſi fuiſſent: quod valdè abſurdum videtur.

Tandem quod ſacramentum naturæ fuerit in ſpecie à Deo determinatum, ſatis clarè innuere videtur Auguſtinus cum ait loco non ſemel citato lib. 5. contra Iulian. cap. 9. ſcripturam aliqua neceſſaria cauſa voluiſſe nos latere, quidnam id ſacramentum fuerit. Non enim ignoramus quid fuerit ſacramentum illud in genere, cum certum ſit fuiſſe quandam cæremoniam ſacram, ad ſanctificationem paruulorum inſtitutam: ſed ignoramus qualis fuerit in particulari eiuſmodi cæremonia; an ſcilicet in quadam oratione, aut oblatione, aliaue ſimili re poſita eſſet.

Sed contra hanc ſententiam Suarez imprimis opponit S. Thom. qui 3. part. quæſt. 60. art. 5. ad 3. & quæſt. 61. art. 3. ad 2. clarè docere videtur non fuiſſe determinatum à Deo quibus rebus homines vterentur in ſacramento legis naturæ.

Reſpondent nonnulli S. Thomam ideo negare determinata fuiſſe ſigna ſenſibilia in lege naturę,

quia exiſtimat in eo ſtatu nullum fuiſſe inſtitutum ſacramentum, ſed ſuffeciſſe interiorem applicationem fidei à parentibus factam abſquè aliquo ſigno exteriori & ſenſibili.

Verùm reſponſio iſta ex antedictis refellitur, oſtenſum quippe eſt S. Thomam in ea eſſe ſententia, vt exiſtimet in ſtatu naturæ fuiſſe verum ſacramentum, atque adeo ſignum aliquod ſenſibile ad delendum peccatum originale in paruulis à Deo inſtitutum.

Vt igitur S. Doctoris mens intelligatur, notandum eſt valde rationi conſentaneum eſſe, vt ſacramentum quod eſt ſacra quædam legis ceremonia, eodem modo inſtituatur ac lex ad quam pertinet, certum eſt autem in ſtatu de quo agimus, legem fuiſſe interiùs inſtitutam, & promulgatam per modum naturæ, non autem per ſcripturam, vel legiſlationem publicam, ſicut lex Moyſis: quare decuit ſacramentum tali legi proprium eodem modo inſtitui: vnde S. Thom. 1. 2. quæſt. 103. art. 1. *Quia etiam* (inquit) *ante legem fuerunt quidam viri præcipui, prophetico ſpiritu pollentes, credendum eſt quod ex inſtinctu diuino, quaſi ex quadam priuata lege inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum.*

Hinc iam facile eſt reſpondere obiectioni propoſitæ, priori enim loco S. Thom. nihil aliud docet quàm quod iam diximus, vt patet ex ipſo textu qui ita habet. *Sicut in ſtatu legis naturæ homines nulla lege exteriùs data, ſed ſolo interiori inſtinctu mouebantur ad Deum colendum; ita etiam ex interiori inſtinctu determinabatur eis quibus rebus ſenſibilibus ad Dei cultum vterentur.* Ex quibus verbis apertè

apertè conſtat, ſacramentum legis naturæ ex interiori inſtinctu determinatum fuiſſe ad talem rem ſenſibilem iuxta mentem Doctoris Angelici.

In poſteriori autem loco non dicit abſolutè ſacramentum legis naturæ non fuiſſe determinatum; ſed tunc non fuiſſe determinatum ſicut fuit per legem, quod veriſſimum eſt: quia nimirum tempore legis ſcriptæ determinatum fuit per legiſlationem externam, & publicam, quibus ſignis ad cultum Dei homines vterentur: at verò in lege naturæ ea determinatio facta eſt interiùs per modum naturæ, & inſtinctus vt loquitur S. Thomas.

Deinde obijcit Suarez noſtram opinionem affirmare rem incertam ſine fundamento; quia neque in Scriptura, neque in Patribus, neque in traditione vllum habet fundamentum.

Reſpondeo primò hoc argumentum retorqueri poſſe contra ipſum Suarez, quod ſic probo. Non potuiſſent homines vti ad arbitrium ſigno quouis externo, niſi ipſis conſtaſſet per reuelationem, aut nonnullis, aut omnibus factam, tale ſignum Deo placere, & ab eo approbari, illumque determinationem talis ſigni eorum voluntati reliquiſſe. At probari non poteſt, ſiue ex Scriptura, ſiue ex Patribus, ſiue ex traditione eiuſmodi poteſtatem determinandi ſignum ſenſibile in ſacramento naturæ datam fuiſſe hominibus; ergo ſine fundamento aſſeritur eam ipſis fuiſſe traditam.

Reſpondeo ſecundo, noſtram ſententiam ideo non habere fundamentum in ſcriptura, quia vt docet Auguſtinus ſupra citatus, ſcriptura neceſ-

ſaria de cauſa nos latere voluit, quid, & quale eſſet eiuſmodi ſignum: habet tamen fundamentum in Auguſtino, & S. Thoma, quorum authoritas eſt magni momenti, & tandem in ijs rationibus quas in confirmationem illius attulimus.

Præterea arguit determinationem ſigni non fuiſſe neceſſariam ad certitudinem iuſtificationis; quia ſi Deus promitteret ſe remiſſurum peccatum originale per fidem parentum, quocunque actu externo filijs applicaretur; non eſſet minus certa iuſtificatio, quam ſi Deus ipſe actum illum in particulari determinaret.

Reſpondeo hoc totum à nobis facile concedi: quia ſiue Deus ipſe ſignum in ſpecie determinaret, ſiue illud hominibus determinandum relinqueret, ſemper tale ſignum à Deo diceretur inſtitutum, & conſequenter ad ſignificandam, & producendam gratiam ſufficeret. Sed iamop ortet vt nobis oſtendat Suarez Deum promiſiſſe hominibus remiſſionem originalis peccati, quocunque actu externo fides parentum paruulis applicaretur; alias credemus Deum eodem modo ſacramentum in lege naturæ inſtituiſſe, & determinaſſe, ac in lege noua, & veteri.

Rurſus Suarez addit fidem Chriſti in eo ſtatu fuiſſe valde obſcuram, ac proinde non fuiſſe expediens profeſſionem illius adeo eſſe claram, & explicitam.

Reſpondeo, eiuſmodi profeſſionem fidei non ita eſſe claram, quamuis fieret per ſignum determinatum: quia nimirum huius ſigni determinatio non fiebat per aliquam legem externam omnibus promulgatam, ſed interiùs quaſi per mo-

dum inſtinctus, & naturæ, qui modus eſt obſcurus: vndè poſtea neceſſe fuit legem ſcriptam dari hominibus ad expreſſiorem ſignificationem gratiæ Chriſti, per quam humanum genus ſanctificatur vt ait S. Thom. quæſt. 60. citata. art. 5. ad 3.

Item ſubijcit non fuiſſe expediens, ritum ſanctificandi paruulos fuiſſe eundem apud omnes fideles, cùm ipſi in eodem ritu externo colendi Deum non conuenirent.

Reſpondeo, non eſſe parem rationem de hoc ſacramento, ac de alijs cæremonijs quibus homines Deum colere poterant ad arbitrium; illæ enim non erant neceſſariæ ad ſalutem ſicut ſacramentum illud; quare etſi in illis eſſe poſſet aliqua diuerſitas, hoc tamen vnum & idem eſſe apud omnes conueniebat, ſaltem ſecundum ſubſtantiam, etſi quoad ritum accidentalem varietas eſſe poſſet inter fideles, ſicut etiam nunc reperitur inter Catholicos, quantùm ad cæremonias quæ in ſacramentorum adminiſtratione vſurpari ſolent.

Denique, cum fideles in ſtatu naturæ non haberent ſcripturas, & non eſſent perfectè congregati in vnum corpus; difficillimè (inquit Suarez) potuiſſent conſeruare traditionem remedij determinati; & alioqui tale remedium perduraſſet in lege veteri pro fœminis, de qua re tamen non conſtat ex ſcriptura alijſque authoribus Hebræis.

Reſpondeo, non fuiſſe tunc opus ſcriptura, aut lege externa, quia reuelatio ſufficiebat; neq; opus erat iam reuelationem ſingulis fieri ſed tantùm

nonnullis ex præcipuis fidelibus, qui filios ſuos, in ijs quæ ad cultum Dei ſpectabant, poterant inſtruere, & ita facillimum erat prædicti ſacramenti memoriam ſartam, tectam vbique ſeruare.

Licet autem ſcriptura nullibi mentionem faciat talis ſacramenti determinati, inde tamen non licet colligere illud non fuiſſe determinatum; quia vt ex Auguſtino diximus, certa de cauſa ſcriptura tacere voluit quid, & quale illud eſſet.

Præter quam quod ſi ea ratio valeret, ſequeretur in lege naturæ nullum fuiſſe ſacramentum, ſiue determinatum, ſiue indeterminatum ad ſanctificationem paruulorum inſtitutum, cum ſcriptura nullum tale ſacramentum agnoſcat vt dictum eſt.

Quarta aſſertio. *Prædictum ſacramentum erat neceſſarium in lege naturæ, tam neceſſitate medij, quam neceſſitate præcepti.* Primum patet, quia illud dicitur neceſſarium neceſſitate medij, ſine quo finis aliquis obtineri non poteſt: in ſtatu autem naturæ peccatum originale non poterat remitti paruulis ſine prædicto remedio, nec vita æterna obtineri abſque remiſſione peccati originalis: ergo tunc remedium illud erat neceſſarium neceſſitate medij ad talem finem conſequendum.

Secundum etiam facilè oſtenditur, quia parentes tenentur ſub peccato mortali prouidere, ſi poſſint, filijs ſuis in ijs quæ ipſis neceſſaria ſunt ad ſalutem animæ: tale autem erat ſacramentum illud de quo agimus; ergo neceſſarium erat neceſſitate præcepti, ſaltem reſpectu parentum, aut aliorum qui curam eorum gerebant.

Obijcies. Status naturæ non includebat aliqua

Digitized by Google

præcepta, ſed ductum ſolius rationis naturalis; ergo falsò aſſeritur prædictum ſacramentum fuiſſe tunc in præcepto.

Reſpondeo. Diſtinguendum eſt inter ſtatum puræ naturæ, & ſtatum, ſeu legem naturæ: prior enim ſtatus nunquam fuit; & ſi daretur, nulla includeret præcepta præter ea quæ ex ſolo dictamine rationis naturalis ſequerentur. At vero per ſtatum naturæ intelligimus illum qui præceſſit circunciſionem, quique non conſiſtit in illo ſolo dictamine rationis, quod ex natura humana nudè ſumpta oritur; ſed in eo quod ex ratione humana fide illuſtrata procedit: quomodo comprehendit præcepta fidei, ſpei, charitatis, & ſimilia quæ ad vitam rectè inſtituendam, in ordine ad finem ſupernaturalem neceſſaria eſſe poſſunt; quale erat præceptum applicandi paruulis remedium illud quod ad delendum peccatum originale inſtitutum erat. Ideo autem talis ſtatus appellatur naturæ, quia nullum præceptum dabatur ſcriptis, ſed per inſpirationem Dei, qui modus eſt internus, & veluti per modum naturæ.

---

## SECTIO III.

*De inſtitutione, & neceſſitate ſacramentorum antiquæ legis.*

### SVMMARIVM.

*Præter circunciſionem in veteri lege varia erant ſacramenta, quæ omnia ad tria capita reduci poſſunt. Nonnulla autem ex illis erant figuræ ſacra-*

*memorum nouæ legis; non autem omnia, vt docet ſanctus Thomas 1. 2. quæſt. 102. art. 5.*

EX dictis duo colligi debent, primo congruum eſſe in natura lapſa vt nulla ſit Religio abſque ſacramentis. Secundò ſi ſtatus innocentiæ perduraſſet, potuiſſe in eo congrue ſacramenta inſtitui. Et hoc ſenſu intellige Auguſt. cum ait nullam eſſe poſſe Religionem abſque ſacramentis. Dubium ergo non eſt an in veteri lege fuerint ſacramenta. Sed quænam illa fuerint.

Prima aſſertio. *Circunciſio erat verum ſacramentum legis antiquæ.* Probatur, nam imprimis circunciſio erat quædam cæremonia ſacra, inſtituta ad aliquam Iudæorum ſanctificationẽ, quia per eam peculiariter diuino cultui dicabantur, & Deo coniungebantur: vnde Deus volens inſtituere circunciſionem dixit ad Abraham Geneſ. 17. *Et ſtatuam pactum meum inter me, & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis, fœdere ſempiterno, vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.* Ex quibus verbis, alijſque ſequentibus patet circunciſionem fuiſſe inſtitutam vt homines Deo ſpecialiter coniungerentur, & cultui eius manciparentur, & conſequenter ad quandam eorum ſanctificationem.

Deinde, circunciſio ex diuina inſtitutione erat ſignum baptiſmi, & circunciſionis ſpiritualis, atque à Deo gratiæ dandæ per Chriſtum, vt colligitur ex verbis Pauli ad Coloſſ. 2. *In quo* (Chriſto) *& circunciſi eſtis circunciſione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, ſed in circunciſione Chriſti conſepulti, ei in baptiſmo,* &c. vnde Auguſt. lib. 6.

contra Iulian. cap. 3. *Sacramentum* (inquit) *circunciſionis in figura præceſſiſſe baptiſmatis, quis vel mediocriter ſacris litteris eruditus ignoret?* & lib. 16. de Ciuit. cap. 6. *Quid aliud* (inquit) *circunciſio ſignificat, quam vetuſtate exuta naturam renouatam?* ſiue igitur circunciſio gratiam ſanctificantem conferret, ſiue non, de qua re agemus infra vbi de baptiſmo, ſufficienter ea omnia habebat quæ ad rationem ſacramenti pertinent.

Quo loco obſeruandũ eſt ideo circunciſionem vocari veteris legis ſacramentum, quia licet multis annis ante legem inſtituta fuerit, per eam tamen ſpecialis Dei populus cœpit congregari, & ad legem ſuſcipiendam diſponi; lege autem promulgata fuit veluti character quo populus Iudaïcus à cæteris diſtinguebatur, & profeſſio per quam homines ſe legi Moſaïcæ ſubijciebant iuxta illud Apoſt. ad Gal. 5. *Teſtificor autem rurſus omni homini circundenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.* Vnde ſicut in noua lege baptiſmus eſt ianua ſacramentorum, ita in veteri circunciſio erat ianua ad ſacramenta illius legis; nemo enim niſi circunciſus ad legales cæremonias admittebatur, vt docet S. Thom. 1. 2. quæſt. 102. art. 5.

Sed cum dicimus circunciſionem fuiſſe ianuam ſacramentorum, hoc intelligendum eſt reſpectu virorum; nam fœminæ non erant capaces circunciſionis; quia tamen origine pertinebant ad populum illum quem Deus ſpecialiter elegerat, ideo ad alia ſacramenta admittebantur.

Item cum dicimus circunciſos obligatos fuiſſe ad legem ſeruandam, hoc accipiendum eſt de

illis tantùm qui ſubdebantur circunciſioni, quatenus erat profeſſio illius legis: gentes enim quæ ex quadam imitatione, aut conſuetudine circuncidebantur, non propterea tenebantur ſuſcipere alia prædictæ legis ſacramenta. De qua re videndus eſt Hieron. circa illa verba Hierem. 9. *Viſitabo ſuper omnem qui circunciſum habet præputium.*

Secunda aſſertio. *In veteri lege varia erant ſacramenta præter circumciſionem.* Probatur, illud verè ſacramentum dicitur, vt conſtat ex ſect. 4. diſp. 1. quod ſanctitatem aliquam ſaltem externam, & legalem ſuo vſu confert, internam autem animæ ſanctificationem ſignificat: at in veteri lege multæ erant cæremoniæ inſtitutæ ad ſanctificationem legalem Iudæorum, vt patet ex libris Exodi, & Leuitici, quæque gratiam per Chriſtum futuris temporibus dandam ſignificabant, vt latè tradit S. Thom. 1. 2. quæſt. 102. art. 5. ergo nihil deerat eiuſmodi cæremonijs ad veram rationem ſacramenti.

Quo loco duo obſeruanda ſunt ex eodem S. Tho. loco iam proximè citato. Primo ſacramenta omnia antiquę legis ad pauca capita reduci poſſe. Nonnulla enim ordinata erant vt homines inſtituerentur in ſtatu colendi Deum, vel generatim, vel ſpecialiter quoad particulare aliquod officium, verbi cauſa, Sacerdotum, & Leuitarum. Alia ad vſum eorum quæ ad cultum Dei pertinebant, vt ita fideles rebus ſacris participarent, aut beneficia Dei recolerent, &c. Alia denique ad remouenda impedimenta diuini cultus, nimirum immunditias tam externas, quam internas quibus homines à participatione ſacrorum arcebantur.

Primi generis ſacramentum quantùm ad omnes in genere erat circuncíſio, quantùm verò ad ſacerdotes, eorum conſecratio. Secundi generis, reſpectu totius populi eſus Agni Paſchalis; reſpectu autem ſacerdotum eſus panum propoſitionis, oblatio victimarum &c. Tertij denique generis, pro populo purificationes quædam ab exterioribus immundíciis, & expiationes à peccatis: pro ſacerdotibus verò & leuitis, ablutio manuum, pedum, & raſio pilorum.

Secundò obſeruandum eſt, nonnulla ex ſacramentis veteribus fuiſſe figuras eorum quæ in noua lege inſtituta fuerunt: circuncíſio enim erat figurà Baptiſmi, qui eſt ſacramentum fidei; vnde eſt illud Apoſtoli ad Coloſſ. 2. *Circumciſi eſtis in circumciſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo.* Agnus Paſchalis ſacramentum Euchariſtiæ figurabat. Purificationes verò quibus Iudæi vti ſolebant, pœnitentiam repræſentabant. Et tandem ſacerdotum, ac Pontificum conſecrationes reſpondebant noſtro ſacramento ordinis.

Quod ſpectat ad reliqua nouæ legis ſacramenta, ea non fuere figurata per ſacramenta aliqua legis Moſaïcæ. Non quidem confirmatio; quia hæc eſt ſacramentum plenitudinis gratiæ, lex autem antiqua neminem ad perfectum adduxit: neque etiam extrema Vnctio; quia hoc ſacramento homines præparantur immediatè ad introitum gloriæ, tempore autem legis veteris non patebat fidelibus aditus in cœlum, quia nondum ſolutum erat redemptionis noſtræ pretium. At neque ſacramentum matrimonij, quia etſi ab initio inſtitutum eſſet in officium naturæ,

& poſt peccatum in remedium concupiſcentiæ, non tamen ad rationem ſacramenti eleuatum eſt niſi poſt incarnationem verbi diuini.

# SECTIO IV.

*De inſtitutione ſacramentorum in Lege gratiæ.*

SVMMARIVM.

*Congruum fuit ſacramenta in noua Lege à Deo inſtitui, eaque à veteribus diſtincta, & numero ſeptenario comprehenſa, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extram Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, inter quæ alius eſt Ordo naturæ, alius dignitatis.*

DEterminatis iis quæ pertinent ad ſtatus præteritos innocentiæ, Legis naturalis, & Moſaïcæ; videndum ſupereſt quid de Lege gratiæ, in qua nunc verſamur, dicendum ſit. Tria igitur inueſtiganda ſunt in iſta ſectione: Primò, an neceſſe fuerit inſtitui quædam ſacramenta in Lege gratiæ. Secundò, an oportuerit eiuſmodi ſacramenta eſſe diſtincta à veteribus. Tertiò, an ea ſacramenta ſint numero ſeptem.

Prima aſſertio. *Neceſſe fuit quædam ſacramenta à Deo inſtitui in Lege gratiæ.* Hoc variis rationibus, & congruentiis probare ſolent Theologi. Prima ſumitur ex S. Thoma 3. parte, quæſt. 61. art. 4. vbi docet quod ſicut in veteri Lege ne-

ceſſaria erant ſigna ſenſibilia, quibus homines fidem ſuam proteſtarentur de redemptore venturo; ita in noua inſtituenda erant ſignà; quibus Chriſtiani fidem ſuam de Chriſto iam nato, & pro ſalute hominum paſſo, omnibus teſtatam relinquerent.

Secunda congruentia ſumi poteſt ex vnitate Eccleſiæ, & diſtinctione fidelium ab infidelibus: cum enim in noua Lege ſit vera Religio, & homines iam non poſſint commodè in vnum nomen religionis conuenire, niſi aliquo viſibilium ſacramentorum conſortio inter ſe vniantur, neceſſaria videbatur quorundam ſacramentorum inſtitutio, quibus fideles inter ſe, ſancto quodam vinculo ligarentur, & ab infidelibus diſtinguerentur.

Tertia petitur ex partæ naturæ humanæ quæ cum facilè in peccata prolabatur, congruum fuit vt quædam inſtituerentur ſacramenta, tanquam pharmaca quibus homines à peccatis præſeruari, vel ab illis faciliùs reſurgere & gratiam deperditam recuperare poſſint.

Quarta ſumenda eſt ex modo naturali cognitionis humanæ: naturale enim eſt homini non tantùm in aliis ſtatibus, ſed etiam in Lege gratię, vt per ſigna ſenſibilia veluti manu ducatur in cognitionem rerum ſpiritualium; quare æquum erat vt etiam in hoc ſtatu ſacramenta inſtituerentur, quæ ſunt ſigna viſibilia, ſeu ſenſibilia gratiæ inuiſibilis. Multæ aliæ congruentiæ prædictæ inſtitutionis afferri poſſent quas breuitatis cauſa prætereo.

Obiiciet aliquis, ſacramenta ſunt ſigna,

ſeu figuræ veritatis; veniente autem veritate debet ceſſare figura, cum ergo per Chriſtum gratia, & veritas facta ſit, vt dicitur Ioan. 1. videtur quod poſt Chriſtum nulla ſacramenta eſſe debuerint.

Reſpondeo, hac ratione ad ſummum probari adueniente Chriſto debuiſſe ceſſare ſacramenta vetera quæ illius erant figuræ, ſed inde non ſequitur non eſſe inſtituenda in noua lege alia ſacramenta; quin potiùs ex eo quod vetera deficiente lege abrogata fuerint, congruum fuit vt noua inſtituerentur, eaque diſtincta à veteribus, vt iam probabitur.

Secunda aſſertio. *Neceſſe fuit in noua lege à Deo inſtitui ſacramenta diſtincta à veteribus.* Hoc etiam variis congruentiis ſuaderi poteſt. Prima ſumitur ex diuerſa conditione fidelium nouæ, & antiquæ legis: qui enim iugo legis Moſaïcæ ſubdebantur, erant in ſtatu ſeruorum: qui verò agunt ſub noua, ſunt in ſtatu libertatis & filiorum Dei: congruum autem erat vt alia ſacramenta inſtituerentur pro ſeruis, alia pro liberis, vt intelligi poteſt ex loco illo Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum cap. 13. *Alia inſtituta ſunt ſacramenta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam iuſtitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filiis Dei, iugo ſeruitutis ablato quod duro, & carni dedito populo congruebat.*

Secunda, Ex quadam accidentaria diuerſitate fidei: licet enim Patres antiqui crederent in Chriſtum redemptorem, vt iam Chriſtiani credunt, & eatenus eandem cum illis haberent fidem quantùm ad ſubſtantiam, in eo tamen erat

diſcrimen, quòd veteres credebant in Chriſtum venturum; iam verò fideles in eum credunt vt natum, & paſſum: alia autem inſtituenda erant ſacramenta ad ſignificandam rem futuram, alia ad ſignificandam rem præteritam, vt apertè docet Auguſtinus cap. 16. lib. citati his verbis. *Alijs ſacramentis annunciari debuerunt res completæ, quam ijs quibus adhuc complendæ prænunciabantur: ſi enim ſoni verborum quibus loquimur pro tempore commutantur, eademque res aliter enunciatur facienda, aliter facta (ſicut ipſa duo verba quæ dixi, facienda, & facta) quid mirum ſi aliis myſteriorum ſignaculis paſſio, & reſurrectio Chriſti futura promiſſa eſt, aliis iam facta annunciatur; illa Chriſtum naſciturum, paſſurum, & reſurrecturum ſignificabant; noſtra vero quod natus, paſſus ſit, & reſurrexerit ſignificant.*

Tertia, ex diuerſitate morbi. Pertinet enim ad prouidum, & ſapientem medicum, vt iuxta varietatem morborum diuerſa inſtituat, & applicet remedia; minùs quidem efficacia pro morbis leuioribus, perfectiſſima autem & efficaciſſima pro morbis grauiſſimis. In Lege autem veteri non ita graſſabatur peccatorum morbus, ac in noua, in qua homines ſummum malorum omnium faſtigium attigiſſe videntur: quare neceſſum erat vt in noua lege inſtituerentur ſacramenta perfectiora, & efficaciora veteribus.

Hinc egregiè Auguſt. lib. de vera relig. cap. 17. *Vt enim* (inquit) *ars medicinæ cum eadem maneat, neque vllo pacto ipſa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis eſt noſtra valetudo: ita diuina prouidentia, cum ſit ipſa omnino immutabilis,*

*mutabili tamen creaturæ variè ſubuenit, & pro diuerſitate morborum alia aliis iubet, aut vetat, &c.*

Dicet aliquis. Si Deus alia in veteri, alia in noua Lege ſacramenta inſtituiſſet, hoc aliquam mutationem in Deo argueret: cum ergo apud Deum non ſit tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio vt habetur Iacobi primo, dicendum eſt nulla vigere ſacramenta in noua lege, quam quæ in veteri fuere inſtituta.

Reſpondeo primò, hoc argumento æquè concludi Deum non debuiſſe inſtituere aliqua ſacramenta in veteri Lege, diſtincta à ſacramentis legis naturæ; imo non decuiſſe aliquod ſacramentum à Deo inſtitui in ipſa naturæ lege: quia ſi ideo mutatur voluntas Dei, quòd alia in veteri, alia in noua Lege ſacramenta inſtituat; pari ratione mutatum fuiſſe Deum cenſendum eſt, eo ipſo quòd in veteri Lege ſacramenta inſtituerit diſtincta à ſacramentis legis naturæ: imo quod in naturæ lege aliquod ſacramentum inſtituerit, quod in ſtatu innocentiæ non vigebat; & ſic de aliis.

Reſpondeo ſecundò cum S. Thom. 3. parte quæſt. 61. art. 4. ad 3. ex eo ſufficienter non colligi mutabilitatem in voluntate diuina, quod Deus alia ſeruis, alia liberis, item alia paruulis, alia adultis ſacramenta tradat: ſicut nec Pater familias iurè mutabilitatis arguitur, quòd diuerſa præcepta tradat familiæ ſuæ pro perſonarum, ætatum, & temporum varietate; aut medicus quòd pro varietate morborum, & ægrotantium diuerſa remedia adhibeat.

Tertia aſſertio. *Sacramenta à Deo inſtituta in noua Lege ſunt numero ſeptem.* Ita definitum eſt in Concilio Florentino, in inſtructione Armenorum, his verbis. *Noua Legis ſeptem ſunt ſacramenta, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium.*

Item in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. canone primo in hunc modum. *Si quis dixerit ſacramenta noua Legis plura, vel pauciora eſſe quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè, & propriè ſacramentum, anathema ſit.*

Cæterùm vera ratio huius ſeptenarij numeri petenda eſt ex voluntate Chriſti, qui tot, & non plura ſacramenta inſtituere voluit. Congruentia vero illius ſumitur ex ſimilitudine quæ inter vitam corporalem & ſpiritualem intercedit vt docet S. Tho. 3. parte, quæſt. 64. art. 1.

Quod vt intelligas, nota primò ſacramenta eſſe à Chriſto inſtituta ad hominem in vita ſpirituali perficiendum. Secundò aduerte vt homo vita corporali fruatur eamque ad bonum commune tueatur, requiri imprimis vt per generationem illam à parentibus accipiat; deinde vt creſcat, & roboretur in dies; poſtea vt continuò nutriatur ad conſeruationem vitæ; rurſus vt ſi quando in ægritudinem inciderit, ſanitatem recuperet. Præterea vt vires ex præcedenti morbo debilitatas perfectè reficiat: tum, quatenus eſt reipublicæ membrum, vt accipiat poteſtatem

regendi alios, & exercendi actus publicos, ad vitam humanam rectè gubernandam, & instituendam: ac tandem vt procreandæ ſoboli, ad conſeruationem generis humani incumbat.

Hæc autem omnia ſecundum quandam analogiam in vita ſpirituali reperiuntur. Primò enim homo per ſpiritualem generationem in Chriſto renaſcitur, & eſſe quodammodo diuinum acquirit, quod fit in baptiſmo. Secundò, gratia in baptiſmo accepta non parum augetur, & roboratur in confirmatione. Tertiò, poſtquam homo natus eſt, & roboratus, nutritur per ſacramentum Euchariſtiæ. Quod ſi in morbum, ſeu peccatum incidat, ſanatur per pœnitentiam; cui ſuccedit extrema vnctio, quæ peccatorum reliquias aufert, vireſque animi ex priori ægritudine labefactatas reficit.

Et hæc conueniunt homini ſecundum ſe; vt autem membrum eſt reipublicæ Chriſtianæ, per ordinis ſacramentum accipit poteſtatem aliis ſacramenta adminiſtrandi, cæteraque munia Eccleſiaſtica obeundi, ad communem fidelium vtilitatem. Quibus omnibus accedit matrimonium, quod ideo ad dignitatem ſacramenti eleuatum eſt, vt ſoboles ex eo legitimè, & ſanctè procreata in Dei cultu, & amore religiosè educetur.

Obiicies Auguſtinum agnoſcere tantum duo ſacramenta à Chriſto inſtituta nimirum Baptiſmum, & Euchariſtiam: ſic enim ait Epiſt. 118. *Vnde ſacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis ſocietatem noui populi colligauit: ſicut eſt Baptiſmus Trinitatis nomine*

*nomine conſecratus ; communicatio corporis, & ſanguinis ipſius : & ſi quid aliud in ſcripturis canonicis commendatur.*

Reſpondeo. Licet Auguſtinus Epiſt. iam citata agat tantùm de Baptiſmo, & Euchariſtia; inde non poteſt colligi eum alia quinque ſacramenta non agnoſcere, cum ea ibi non excludat, imo in reliquis ſuis operibus vera ſacramenta eſſe fateatur. Sic enim de confirmatione loquitur lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. *In hoc vnguento ſacramentum Chriſmatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignorum ſacroſanctum eſt ſicut ipſe Baptiſmus, ſed poteſt eſſe in hominibus peſſimis.* De pœnitentia lib. 1. de adulterin. coniugiis cap. 26. & 28. *eadem eſt*, inquit, *cauſa baptiſmi, & reconciliationis, ſine quibus ſacramentis homines credunt ſe non debere exire de corpore.* Et in illud Pſalm. 146. *qui alligat contritiones eorum*, Euchariſtiam, & pœnitentiam ſacramenta vocat conſolationis noſtræ in terris.

De Vnctione extrema ſerm. 215. de temp. *Quoties aliqua infirmitas ſuperuenerit, corpus, & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat accipiat, & inde corpuſculum ſuum vngat, vt illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo ; infirmatur aliquis, inducat Presbiteros, & orent ſuper eum vngentes eum oleo*, &c.

De Ordine lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani cap. 13. ſic edisserit, illum cum Baptiſmo conferens. *Nam illud quod quidam eorum veritate conuicti dicere cœperant, baptiſmum quidem non amittit qui recedit ab Eccleſia, ſed ius tamen dandi amittit ; multis modis apparet fruſtra, &*

*inaniter dici. Primo quia nulla oſtenditur cauſa cur ille qui ipſum Baptiſmum amittere non poteſt, ius dandi amittere poſſit: vtrumque enim ſacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur: illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur; ideoque in Catholica Eccleſia vtrumque non licet iterari.* Et poſtea. *Si enim vtrumque ſacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri ſacramento iniuria facienda eſt.*

Tandem agens de Matrimonio lib. de fide & operibus cap. 7. *In Ciuitate Domini* (inquit) *in monte ſancto eius, hoc eſt in Eccleſia nuptiarum non ſolum vinculum, ſed etiam ſacramentum appellatur.* Et libro de bono coniugali cap. 7. *Quem* (inquit) *non faciat intentum quid ſibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis, vt nec cauſa fornicationis, nec procreandi ſolui poſſit, niſi ſacramentum adhiberetur?*

Ex his collige, ſi ordo naturæ ſpectetur, ſacramenta nouæ legis ita numeranda eſſe, vt Baptiſmus primo loco conſtituatur, Confirmatio ſecundo, Euchariſtia tertio, Pœnitentia quarto, Extrema Vnctio quinto, Ordo ſexto, & matrimonium vltimo.

Cuius ratio eſt, quia imprimis ſicut vnitas ſecundum ordinem naturæ eſt prior multitudine, & pars toto; ita bonum partis, ſeu hominis particularis eſt prius natura ſua bono communi totius corporis Eccleſiaſtici; vnde fit vt Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, & Extrema Vnctio quæ ex Concil. Florent. ad ſpiritualem vniuſcuiuſque hominis in ſeipſo perfe-

ctionem ſunt ordinata, præcedant ex natura rei Ordinem & Matrimonium: quæ duo ſacramenta ad totius Eccleſiæ regimen, & multiplicationem ſunt inſtituta, vt monet idem Concilium.

Rurſus inter illa quinque priora ſacramenta, alia ſunt quæ per ſe reſpiciunt propriam cuiuſque perfectionem ſpiritualem, ſeu vitam, augmentum, & nutritionem animæ; nempe Baptiſmus, Confirmatio, & Euchariſtia. Alia quæ eam reſpiciunt tantùm per accidens, quatenus ſunt ordinata ad morbos depellendos, nimirum pœnitentia, & Extrema vnctio. Porro, quia ea quæ ſunt per ſe, naturæ ordine præcedunt ea quæ ſunt per accidens, ideo hæc duo ſacramenta tribus aliis poſtponuntur.

Præterea inter tria illa priora primus locus tribuitur baptiſmo, ſecundus confirmationi, tertius Euchariſtiæ: quia ſcilicet per Baptiſmum homo accipit vitam ſupernaturalem, ſeu eſſe diuinum: per confirmationem autem roboratur, & quaſi in ſtatu virili conſtituitur, vt ita ad Euchariſtiam, quæ eſt cibus perfectorum meliùs accedere poſſit. Inter duo autem poſteriora prior locus conceditur pœnitentiæ, quæ peccata remittit: poſterior Vnctioni Extremæ, quæ reliquias ex peccatis relictas expellit.

Et hæc ita ſe habent in quinque illis ſacramentis, quæ ad bonum cuiuſque particulare attinent: quod verò ſpectat ad illa duo quæ bonum commune reſpiciunt; prior locus aſſignatur Ordini, poſterior Matrimonio; quia ille ad filios ſpirituales, hoc ad corporales generandos ordinatur.

Dixi, ſi ordo naturæ ſpectetur, nam ſi attenda-

mus ordinem dignitatis, alius ordo inter ſacramenta ſeruari debet. Imprimis enim Euchariſtia abſolutè præſtantior eſt reliquis omnibus ſacramentis; tum quia eſt eorum finis, & conſummatio; tum quia ſimul eſt ſacramentum & ſacrificium: tum denique quia, vt ait Concilium Trid.ſeſſ.10.cap. 3.alia ſacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis vtitur; At in Euchariſtia ipſe ſanctitatis author ante vſum eſt.

Baptiſmus reliquis eminet quatenus peccatum originale remittit, imo peccata actualia ſi adſint, & totam pœnam illis debitam, vt docet Concil. Florent. in decreto de Armenis his verbis. *Huius ſacramenti effectus eſt remiſsio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ quæ pro ipſa culpa debetur; propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda eſt pœnitentia.* Idem habet Concil. Trident.ſeſſ.6.cap.14.vt dicetur inferiùs.

Confirmatio præſtat Baptiſmo, quia præſupponit gratiam in illo acceptam, & vberiorem addit: vnde à Patribus vocatur perfectio,& conſummatio Baptiſmi. Pœnitentia verò omnibus antecellit, quantùm ad neceſſitatem remittendi peccata mortalia, quæ poſt Baptiſmum commiſſa ſunt.At Extrema Vnctio eſt nobilior pœnitentia, qua parte ſupponit gratiam ab ea collatam, & ampliorem addit.Quòd ſi peccata per ſacramentum pœnitentiæ deleta non ſint, ea aufert Vnctio cum peccatorum reliquiis, eo modo quo ſuprà ex communi ſententia aduertimus.

Sacramentum Ordinis reliquis præfertur, tum quia homines conſtituit in gradu perfectiori quàm cætera ſacramenta: tum quia illius miniſter, ſaltem ſi agamus de ſacerdotio, nullus eſſe poteſt præter Epiſcopum; cum tamen ex Papæ diſpenſatione ſimplex Sacerdos Confirmationem adminiſtrare poſſit.

Denique Matrimonium ratione ſignificationis aliis ſacramentis excellit, quatenus ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia, tanquam ſponſi cum ſponſa, vt colligitur ex verbis illis Pauli ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.* Quæ etiam de ſacramento Matrimonij intelliguntur.

---

# SECTIO V.

## *An ſacramenta noua Legis ſint ad ſalutem neceſſaria.*

### SVMMARIVM.

*Baptiſmus re ſuſceptus eſt neceſſarius paruulis neceſsitate medij, adultis vel in re, vel in voto, ſicut pœnitentia iis qui mortaliter peccauerunt; Euchariſtia neutro modo eſt medium neceſſarium ad primam gratiam, aut gloriam: illius tamen vſus cadit ſub præceptum diuinum. Confirmatio & Vnctio non ſunt neceſſaria ex vllo præcepto: nec tandem Ordo, & Matrimonium niſi reſpectu multitudinis.*

Illud tamquam certũ ſupponendum eſt, ſacramēta nouæ Legis non eſſe neceſſaria abſolutè, ſeu ex natura rei, neceſſitate præcedente eorum inſtitutionē; quaſi verò neceſſum fuerit ea à Deo inſtitui ad hominum ſalutem: ſiquidem poterat Deus homines ſine ſacramentis ſaluare ſi voluiſſet: ſed tantùm neceſſitate quæ ſumitur ex parte finis, ſuppoſita eorum inſtitutione.

Duobus autem modis dici poteſt aliquid neceſſarium ad finem conſequendum vel neceſſitate medij, vel neceſſitate præcepti. Porro illud cenſetur neceſſarium neceſſitate medij, ſine quo finis haberi non poteſt, etſi tali medio ſine tua culpa careas, & hac ratione dicunt Theologi fidem eſſe neceſſariam ad ſalutem, cum ſine illa impoſſibile ſit hominem placere Deo. Illud verò dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti, quod ex præcepto adhiberi debet ad finem aſſequendum, ita tamen vt ſi illo inculpatè careas finem nihilominus conſequi valeas. Hoc poſito dubium eſt an ſacramenta omnia nouæ legis ſint his modis ad ſalutem neceſſaria.

Aſſertio prima. *Baptiſmus in noua Lege eſt neceſſarius neceſsitate medij, & præcepti diuerſimodè tamen quantum ad paruulos, & adultos.* Hoc ita explico. Imprimis infantibus, qui nondum rationis vſu pollent, baptiſmus re ſuſceptus eſt neceſſarius neceſſitate medij, vt omnes Patres, & ſcholaſtici colligunt ex verbis illis Ioan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. quod tamen intellige iuxta ordinariam Legem Dei, non autem iuxta potentiam illius extraordinariam, aut in caſu martirij, per quod ex ſpe-

ciali priuilegio gratia, & ſalus æterna obtinetur.

Deinde Baptiſmus in re, vel in voto eſt adultis neceſſarius neceſſitate medij ad primam gratiam aſſequendam, vt aperte docet Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. vbi agens de tranſlatione à peccati ſtatu ad gratiam ſic habet: *quæ quidem tranſlatio poſt Euangelium promulgatum, ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt; niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

Tandem, Baptiſmus re ſuſceptus eſt neceſſarius omnibus hominibus tam paruulis, quam adultis, neceſſitate præcepti; vnde fit quod etſi adultus iuſtificari poſſit cum voto baptiſmi, id eſt, per actum contritionis, vel amoris Dei ſuper omnia; vt tamen aſſequatur beatitudinem, debet rè ipſa baptizari ſi poteſt, propter præceptum diuinum de ſuſceptione baptiſmi, quod per ſe loquendo omnes obligat.

Quo loco aduerte, id quod dixi, Baptiſmum re ſuſceptum eſſe neceſſarium etiam paruulis ex præcepto, hoc non ita intelligendum eſſe, quaſi verò ipſi infantes tali præcepto ligentur; cum enim rationis vſu non potiantur, præcepti ſunt incapaces: ſed talis obligatio cadit in parentes, qui inſtanti neceſſitate curare debent ſub peccato mortali, vt baptiſmus paruulis adminiſtretur, ſi fieri poſſit. Porro de his latiùs infra vbi de Baptiſmo.

Aſſertio ſecunda. *Sacramentum pœnitentiæ, ijs qui poſt Baptiſmum mortaliter peccarunt, eſt*

*neceſſarium neceſsitate medij, idque in re, vel in voto.* Quod ſit neceſſarium neceſſitate medij eiuſmodi peccatoribus, patet; quia illud eo modo dicitur neceſſarium ſine quo ſalus haberi non poteſt; ſed ſuppoſito peccato mortali poſt Baptiſmum patrato, gratia, & ſalus haberi non poſſunt abſque ſacramento Pœnitentiæ: ergo eiuſmodi ſacramentum eſt medium ad ſalutem neceſſarium.

Quod autem ſufficiat pœnitentia in re, vel in voto hinc perſpicuum eſt; quia homo iuſtificari poteſt per actum contritionis: ſi autem poſtea moriatur, antequam habere poſſit copiam Sacerdotis, cui peccata confiteatur, votum abſolutionis ad illius ſalutem ſufficiet: quia apud Deum voluntas pro facto reputatur.

Si verò poſſit peccata per contritionem deleta confiteri, & ab illis recipere abſolutionem; tenetur ex iure diuino ea ſubiicere clauibus Eccleſiæ: non quidem ſtatim poſt actum contritionis elicitum, ſed quo tempore præceptum confeſſionis vrgebit: Chriſtus enim ita hoc ſacramentum inſtituit, vt velit peccata mortalia poſt Baptiſmum patrata non deleri, niſi in ordine ad confeſſionem ſacramentalem, & cum obligatione ad eam accedendi.

Aſſertio tertia. *Sacramentum Euchariſtiæ non eſt medium abſolutè neceſſarium in re, aut voto ad primam gratiam aſſequendam, neque ad conſequutionem gloriæ; datur tamen præceptum diuinum de ſuſcipienda Euchariſtia.* Prima pars oſtenditur, quia nullum ſacramentum dici poteſt medium neceſſarium ad illum effectum ad quem obti-

nendum per ſe non eſt inſtitutum: ſed Euchariſtiâ non eſt per ſe inſtituta ad conferendam primam gratiam, quin potius illam ſupponit in ſuſcipiente, multo magis quam alia ſacramenta viuorum: ergo hoc ſacramentum re ſuſceptum non eſt medium neceſſarium ad conſequutionem primæ gratiæ, ſeu remiſſionis peccatorum.

Ex his ſecunda pars colligitur, qua diximus, Euchariſtiam non eſſe medium neceſſarium ad iuſtificationem, etiam in voto, quia tunc ſolùm votum alicuius ſacramenti cenſetur medium neceſſarium ad primam gratiam obtinendam, quando realis ſuſceptio illius ſacramenti eſt medium per ſe inſtitutum ad talem finem: atqui realis ſuſceptio Euchariſtiæ non eſt medium ordinatum per ſe ad primam gratiam conſequendam, vt iam dictum eſt, ergo nec votum illius cenſeri debet medium ad talis gratiæ aſſecutionem neceſſarium.

Tertia pars ſuadetur, quia ſi Euchariſtia in re, aut voto eſſet medium neceſſarium ad aſſecutionem gloriæ, nunquam poſſet obtineri gloria ſine reali ſuſceptione Euchariſtiæ, aut ſaltem ſine illius voto: hoc autem falſum eſſe patet exemplo illius qui in extremis poſitus, poſt ſumptum viaticum peccat mortaliter; ille enim ſi cum attritione abſolutionem recipiat, ſaluabitur, etſi Euchariſtiam re ipſa non ſuſcipiat; imo neque habeat votum illius, ſed potiùs expreſſam voluntatem ampliùs non communicandi, vt ex communi ſententia ſuppono.

Vltima denique pars ex eo oſtenditur, quia

etſi Euchariſtia non ſit medium abſolutè neceſſarium, eſt tamen vtiliſſimum, & valde efficax, ita vt moraliter dici poſſit neceſſarium: vnde homo quaſi naturaliter tenetur ad illius receptionem, poſita eiuſmodi morali neceſſitate. Porro quia inſtitutio huius ſacramenti à Deo facta eſt, ad ipſum referri debet neceſſitas illius moralis, atque adeo præceptum in ea fundatum, quod ex conſequenti diuinum erit.

Aſſertio quarta. *Sacramenta Confirmationis, & Extrema Vnctionis non ſunt neceſſaria ex præcepto ſiue Diuino, ſiue Eccleſiaſtico.* Hoc patet quia in ſcriptura non extat aliquod præceptum de recipienda Confirmatione, vel Extrema Vnctione, ſicut de ſuſcipiendis Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramentis: & aliunde ex iure canonico, aut Doctrina Patrum, vel etiam ex Traditione certa, & perpetua non cogimur agnoſcere aliquod præceptum Eccleſiaſticum, obligans ſub mortali, ad recipienda hæc ſacramenta.

Aſſertio quinta, & poſtrema. *Reliqua duo ſacramenta, nempe Ordo, & Matrimonium, non ſunt neceſſaria reſpectu particularium hominum, ſed reſpectu totius Eccleſiæ.* Ordo quidem eſt neceſſarius toti Eccleſiæ, tum ad Hierarchiam componendam: tum ad ſacramenta reliqua adminiſtranda; ea enim vel omnino non poſſunt confici ſine ordine, vel ſi confici poſſunt, non tamen modo debito, vt patet in baptiſmo, qui à laïcis quidem adminiſtrari poteſt in caſu neceſſitatis, non tamen cum ſolemnitatibus requiſitis.

Similiter matrimonium neceſſarium eſt ad conſeruationem Eccleſiæ per generationem carnalem filiorum. Vnde in Eccleſia datur præceptum communitatem, & Principem obligans vt neceſſitate occurrente(ſi verbi cauſa maior regni pars bello, aut peſte interijſſet)ſubditos compellat ad matrimonium contrahendum : ſicut etiam in graui Eccleſiæ neceſſitate poſſet vir aliquis pietate, & doctrina inſignis , authoritate ſuperioris compelli ad Epiſcopatum vt docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 185. art. 1. ſed de his omnibus plura in propria cuiuſque ſacramenti materia.

*Finis diſputationis tertiæ.*

Digitized by Google

# DISPVTATIO QVARTA.

## *De cauſa principali ſacramentorum.*

Triplici Sectione comprehenſa.

POSTQVAM *actum eſt de inſtitutione ſacramentorum, ſeu de quæſtione an ſint ſacramenta, ordo doctrinæ exigit vt de cauſa eorum inſtituente breuiter diſſeramus. Quæritur ergo imprimis in iſta diſputatione quarta, à quo ſacramenta inſtituta fuerint. Secundò, an aliqua creatura ſacramenta nouæ legis, aut ſimilia inſtituere potuerit. Tertiò, an poteſtas excellentiæ quæ Chriſto vt homini competit in ordine ad ſacramenta, alicui puræ creaturæ communicari potuerit.*

## SECTIO I.

### *A quo ſacramenta inſtituta fuerint.*

SVMMARIVM.

*Sacramenta omnia antiqua immediatè à Deo inſtituta fuerunt: noua verò à Chriſto qui omnium ſa-*

*cramentorum formas inſtituit, & tradidit Apoſtolis; licet non omnium fiat mentio in ſcriptura; & ex iis quæ in illa continentur, aliæ clarè, aliæ ſubobſcure tradantur.*

PRima aſſertio. *Sacramenta omnia antiqua immediatè à Deo inſtituta fuerunt.* Probatur primò ex ſcriptura. Genel. 17. Circuncìſio à Deo inſtituitur verbis illis, *Circuncidetur ex vobis omne maſculinum*, &c. Exodi 12. ab eo inſtituitur ſacramentum Agni Paſchalis,& Leuit. 8. conſecratio Sacerdotum, & ſic de aliis.

Secundò ratione. Nam ſacramenta vetera etſi gratiam vi ſua non conferrent, eam tamen figurabant, & promittebant: quare in eorum inſtitutione neceſſaria erat diuina ſapientia, quæ futura myſteria perfectè cognoſceret, iiſque ſigna proportionata accommodaret; item diuina authoritas quæ ſignis ſenſibilibus vim gratiam ſignificandi conferret, quæque talem gratiam futuris temporibus conferendam promitteret: quare Deus ſolus poterat, vt cauſa principalis, eiuſmodi ſacramenta inſtituere.

Obijcies fortè nobis illud Ioan. 1. *Lex per Moyſem data eſt*: ex quo videtur ſequi ſacrificia, & ſacramenta antiqua non à Deo immediatè, ſed à Moyſe, vt & ipſam legem, inſtituta fuiſſe.

Reſpondeo, nec legem, nec ſacrificia, aut ſacramenta antiqua à Moyſe inſtituta fuiſſe; ſed illum tantùm fuiſſe præconem, & promulgatorem legis, & ſacramentorum; quod ex modo loquendi ipſius ſcripturæ colligitur: ea enim non raro hæc verba repetit: *Dixit Dominus ad*

*Moyſem*, ex quibus conſtat illum fuiſſe dumtaxat Dei miniſtrum, & internuncium.

Secunda aſſertio. *Chriſtus Dominus per ſe immediatè ſacramenta omnia nouæ legis inſtituit.* Ita Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1. his verbis. *Si quis dixerit ſacramenta noua legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, anathema ſit.* Quo loco haud dubiè agitur de inſtitutione immediata ſacramentorum; tum quia nullus vnquam in dubium vertit, quin ſacramenta omnia nouæ legis à Chriſto ſaltem mediatè inſtituta fuerint; tum quia Chriſtus non ſolet dici eorum inſtitutor quæ Eccleſia per ſe immediatè, authoritate ab illo accepta inſtituit, vt patet in ſacramentalibus: tum denique quia ſi ſacramenta ab alio quam à Chriſto fuiſſent inſtituta, maximè ab Apoſtolis: at idem Concil. ſeſſ. 14. cap. 1. diſertè ait Extremam Vnctionem (quod ſimiliter de alijs ſacramentis affirmandum eſt) à Chriſto inſtitutam, & à Iacobo promulgatam fuiſſe.

Imo ipſe Paulus 1. Corinth. 4. agens de Apoſtolis vocat eos miniſtros, & diſpenſatores, non autem inſtitutores myſteriorum Dei, id eſt ſacramentorum. Cæterùm quo tempore hæc ſacramenta à Chriſto inſtituta fuerint, dicetur vbi de ſingulis.

Dices 1. Auguſt. lib. 3. de Doctr. Chriſt. cap. 9. agens de Sacramentis, *Ipſe Dominus*, inquit, *& Apoſtolica tradiditdiſciplina:* quibus verbis inſinuare videtur alia ſacramenta à Chriſto, alia ab Apoſtolis fuiſſe inſtituta.

Verùm non ea eſt mens Auguſtini: vult enim

tantùm ſacramenta quidem quoad ſubſtantialia à Chriſto fuiſſe inſtituta, eorum verò omnium inſtitutionem etſi fundatam in ſcriptura, haberi Apoſtolorum traditione, quia ſufficienter ſcriptura non exprimitur. Quo ſenſu S. Thom. 3.part. quæſt.64. art.2. ad 2. *Ea verò* ( inquit ) *quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti, ab ipſo Chriſto inſtituta ſunt, qui eſt Deus, & homo: & licet non ſint omnia tradita in ſcripturis, habet tamen ea Eccleſia ex familiari Apoſtolorum traditione.*

Dices 2. qui ſacramenta inſtituit, debet eorum materiam, & formam tràdere: Chriſtus autem non tradidit formas omnium ſacramentorum, cum nullibi omnes reperiantur in ſcriptura; ergo non omnia ſacramenta ipſe inſtituit.

Reſpondent nonnuli Chriſtum quidem omnia ſacramenta inſtituiſſe, ſed Apoſtolis hanc curam demandaſſe, vt ipſi ſacramenta à ſe inſtituta in certam verborum formam redigerent.

Sed hæc ſolutio non probatur; nam vel Chriſtus formas ſacramentorum inſtituit, vel Apoſtoli: poſterius dici non poteſt, quia iam Chriſtus non eſſet dicendus inſtitutor ſacramentorum, ſed potius Apoſtoli; cum forma in ſacramentis, vt & in alijs rebus, potiores partes obtineat: prius ergo affirmandum eſt, & conſequenter Apoſtolos à Chriſto, & Eccleſiam ab Apoſtolis accepiſſe qua forma vtendum eſſet in ſingulis ſacramentis.

Reſpondeo igitur, etſi in ſcriptura non reperiantur formę omnium ſacramentorum, inde non ſequi eas à Chriſto prolatas non fuiſſe; vt enim

multa fecit Chriſtus quæ ſcripta non ſunt, vt teſtatur Ioan. cap.20. & 21. ita multa dixit quorum ſcriptura non meminit, quæ tamen Apoſtoli ab illius ore accipere potuerunt, & Eccleſiæ poſtea promulgare, è quorum numero ſunt ſacramentorum formæ.

Quo loco obſerua formam baptiſmi expreſsè haberi in ſcriptura: item formam Euchariſtiæ; nam de illa dicitur Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: de iſta verò Matth. 26. *Hoc eſt corpus meum.* At verò forma pœnitentiæ inſinuatur, etſi non ita claré, in illis verbis Ioan.20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, vbi remitto idem eſt ac abſoluo; vnde quolibet ex verbis illis vtatur miniſter, ſacramentum tenet ex regulis ſecunda diſp. traditis.

Quod ſpectat ad formas Confirmationis, Ordinis, & Extremæ Vnctionis, eæ in ſcriptura non continentur: vt tamen à Chriſto inſtitutas, & prolatas ex conſtanti Apoſtolorum traditione eas vbique obſeruat, & retinet Eccleſia. Denique, voluit Chriſtus ad formam matrimonij ſufficere quælibet ſigna, quibus conſenſus mutuus vtriuſque partis exprimitur.

Dices 3. Hugonem à S. Victore, Magiſtrum ſententiarum, & quoſdam alios docere ſacramentum Extremæ Vnctionis ab Apoſtolo Iacobo inſtitutum fuiſſe: Alenſem verò aſſerere Confirmationem neque à Chriſto, neque ab Apoſtolis, ſed à Concilio Meldenſi fuiſſe inſtitutam.

Verùm Doctores iſti in hac parte errarunt; nam Concil. Trident. loco citato aſſerit Vnctionem

nem Extremam à Chriſto inſtitutam, & à Iacobo promulgatam fuiſſe. Multi etiam Patres Concilio Meldenſi antiquiores ſacramenti Confirmationis meminerunt, vt alias probabitur; quod manifeſto indicio eſt hoc ſacramentum ante Concil. Meldenſe fuiſſe inſtitutum.

# SECTIO II.

*An aliqua creatura ſacramenta nouæ legis, vel ſimilia inſtituere potuerit.*

## SVMMARIVM.

*Nulla creatura poteſtate quam vocant authoritatis, inſtituere poteſt ſacramenta, quia ſic eſſet independens à Deo, quod repugnat. At neque poteſt ea ex commiſſione Dei inſtituere, quantùm ad certitudinem & infallibilitatem gratiæ; cum hæc conditio gratiæ, non à creatura, ſed ab ipſius Dei potentia, & fidelitate dependeat.*

CErtum eſt apud omnes Theologos, nullam creaturam potuiſſe inſtituere eiuſmodi ſacramenta poteſtate quam vocant authoritatis; quia ad talem poteſtatem requiritur, vt qui ea præditus eſt, effectus ſuos producat independenter à quouis alio agente, iiſque ad illum vltimò referantur: qui modus agendi alicui creaturæ conuenire nequit, vt perſpicuum eſt; ſiquidem oporteret vt creatura per vim ſibi connaturalem pro-

duceret gratiam, quæ eſt effectus ſacramenti; aut ſaltem efficaciter, & authoritate ſua determinaret voluntatem diuinam ad producendum eiuſmodi effectum, quod nemo dixerit.

Dubium eſt ergo an creatura aliqua, dici poſſit inſtituere ſacramenta, ſecundum poteſtatem quandam miniſterialem dependentem à Deo: ſeu an poteſtas ſacramenta inſtituendi, alicui creaturæ tanquam cauſæ inſtrumentariæ communicari valeat.

Scotus in 4. diſt. 1. quæſt. 3. Fauentinus ibid. diſp. 4. cap. 2. Vazquez diſp. 125. cap. 2. & quidam alij docent nulli creaturæ, poteſtatem ſacramenta inſtituendi, etiam ex commiſſione Dei conuenire poſſe. Oppoſitum tradunt Suarez diſputatione 12. ſect. 2. Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 5. art. 4. Sayrus lib. 2. de Sacramentis, cap. 2. quæſt. 8. Vincentius de Sacramentis in genere, parte 5. dub. 1. Syluius 3. parte, quæſt. 64. art. 4. & nouiſſimè Puteanus ibidem dubit. 1.

Noſtra ſententia hæc ſit. *Non poteſt propriè loquendo communicari alicui creaturæ, quæcunque illa ſit, poteſtas inſtituendi ſacramenta.* Ratio eſt, quia vt aliquis propriè ſacramentum, de quo hic agimus, inſtituere dicatur; duo ſunt neceſſaria: Primò, vt deſignet rem aliquam, vel actionem ſenſibilem, vt ſignum gratiæ: Secundò vt rei, vel actioni deſignatæ adiungat virtutem, & efficaciam qua certò, & ſemper gratia conferatur: at nulla quantumuis perfecta creatura hæc duo præſtare poteſt; ergo nulla creatura ſacramentum propriè loquendo inſtituere valet.

Maior conceditur ab authoribus vtriuſque ſententiæ; minor vero probatur, quia licet poſſit creatura ex commiſſione Dei determinare rem aliquam, vel actionem ſenſibilem vt ſit ſignum gratiæ; non tamen poteſt illa tali rei, vel actioni efficienter adiungere virtutem, & efficaciam qua certò, & infallibiter gratia conferatur, quaſi verò talis effectus in illius poteſtate ſit poſitus; ſemper enim illius collatio pendebit ex promiſſione, & voluntate Dei, quod ſatis eſt vt ſacramentum non dicatur inſtitutum à tali creatura, ſaltem quoad prædictam infallibilitatem, & certitudinem, ſed à Deo dumtaxat.

Confirmatur. Nam ſi quis ex commiſſione Dei deputaret aliquam materiam ad ſignificandam infallibiliter gratiam, eiuſmodi materia non aliter eſſet ſignum certum gratiæ, niſi quatenus homo eam determinans, à Deo obtineret vt tali ſigno à ſe inſtituto gratiam infallibiliter adiungeret, Deuſque ſe id effecturum promitteret: Certitudo autem alicuius promiſſionis non debet referri ad eum qui alium adegit ad promittendum, ſeu cui facta eſt promiſſio; ſed potiùs ad promittem: Siquidem promiſſarius certitudinem non tribuit promiſſioni, ſed potius eam expectat à fidelitate, & potentia illius qui promiſit; quod maximè verum eſt quando effectus eſt in ſola poteſtate promittentis, vt hîc contingit. In prædicto ergo caſu, non homo cui facta eſſet promiſſio, ſed Deus ipſe promittens deberet dici ſacramenti inſtitutor.

Tandem, rem aliquam inſtituere, nihil aliud eſt quam ei initium dare aut eam primò decer-

nere; nulla autem poteſtas inſtituendi ſacramenta communicari poteſt creaturæ, quæ non pendeat à primo quodam Dei decreto, quo Deus ſtatuit conferre efficacitatem actioni, vel cæremoniæ ſenſibili ab homine deſignatæ; & conſequenter poteſtas inſtituendi ſacramenta nulli creaturæ communicari poteſt, ſed ea ſoli Deo propriè eſt adſcribenda.

Dices 1. S. Thom. 3.part. quæſt.64. art.4. in corpore docet Chriſtum potuiſſe communicare hominibus poteſtatem excellentiæ, quam habebat inquantum homo, dando eis ſcilicet tantam gratiæ plenitudinem, vt & ipſi poſſent ſacramenta inſtituere.

Reſpondeo. Huic teſtimonio, in quo non conſtat an ſermo ſit de vera inſtitutione ſacramenti, vt de ea hîc agimus, an verò de ſola deſignatione materiæ, nos aliud opponimus ex eodem S. Doctore, in quo perſpicuè ſententiæ noſtræ ſuffragatur: articulo enim ſecundo eiuſdem quæſtionis, in argumento ſed contra, ait eum inſtituere aliquid qui dat ei robur, & virtutem; ſacramenti autem virtutem eſſe à Deo ſolo, atque adeo ſolum Deum poſſe inſtituere ſacramenta. Quid clarius dici potuit?

Idem concludit in corpore articuli his verbis. *Cum igitur virtus ſacramenti ſit a ſolo Deo, conſequens eſt quod ſolus Deus ſit ſacramentorum inſtitutor.* Vides ex S.Thom. eum non poſſe dici ſacramenti inſtitutorem, à quo non eſt virtus ſacramenti: cum ergo aſſerat virtutem ſacramenti eſſe à Deo ſolo, neceſſariò admittere debet inſtitutionem ſacramenti creaturæ non poſſe competere.

Dices 2. Auguſtinum nobis aduerſari tractatu quinto in Ioan. vbi hæc ſcribit. *Potuit autem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſi vellet, dare poteſtatem alicui ſeruo ſuo, vt daret baptiſmum ſuum tanquam vice ſua, & transferre à ſe baptizandi poteſtatem, & conſtituere in aliquo ſeruo ſuo, & tantam vim dare baptiſmo tranſlato in ſeruum, quantam vim haberet baptiſmus datus à Domino.*

Reſpondeo, ex hoc loco Auguſt. ſatis intelligi eum non agere de baptiſmo ita tranſlato à Chriſto in ſeruum, vt ſeruus ipſe, non Chriſtus eum inſtitueret; dicit enim quod ipſe Chriſtus tali baptiſmo virtutem tribueret, quo ipſo oſtendit à Chriſto fore inſtituendum. Agit ergo de poteſtate quam Chriſtus tribuere poterat alicui homini, vt baptiſmum ſuo proprio, & non Chriſti nomine valide conferret; quam tamen nemini conceſſiſſe dicit, ne ſeruus in ſeruo ſpem ſuam poneret. Ex quo patet prædictum Doctorem nequidem attingere difficultatem de qua hoc loco agimus.

Dices 3. Si Deus ſe obligaret ad conferendam gratiam in vſu rei ſenſibilis, quam homo aliquis pro libito eligeret, & deſignaret; talis homo poſſet promittere gratiam, eamque conferre; ergo tunc nihil deeſſet ad inſtitutionem ſacramenti.

Reſpondeo negando conſequentiam, nam homo ille poſſet quidem alijs promittere gratiam per modum teſtificantis, & affirmans nimirum fore vt gratiam infallibiliter accipiant ſi ſignum à ſe determinatum, cui Deus gratiam alligauit, vſurpent; non tamen ita poſſet promittere, ac ſi ipſe ſigno inſtituto infallibilitatem per ſe adnecteret.

Quamuis autem idem homo eſſet cauſa gratiæ, non tamen propterea efficeret vt ſignum à ſe determinatum certò gratiam ſignificaret: Certitudo enim & infallibilitas effectus, non pendet per ſe à virtute cauſæ proximæ, & inſtrumentalis, ſed à veracitate, & potentia cauſæ principalis, nempe Dei. Quod verum eſt, ſiue cauſa proxima ſit efficiens phyſicè reſpectu gratiæ productæ, ſiue tantùm moraliter; par enim eſt quoad hoc vtriuſque conditio: quod aduerto contra Fauentinum, qui diſp. 5. cap. 2. ex eo quod humanitas Chriſti non ſit inſtrumentum phyſicè efficiens gratiam, colligit Chriſtum vt hominem non potuiſſe conferre ſacramentis certitudinem gratiæ; ex quo deducitur à contrario ſenſu, quod ſi Chriſtus vt homo eſſet cauſa phyſica gratiæ ſacramentalis, certitudinem ſignificationis effectus ſacramentis tribueret; quod ego verum non exiſtimo propter rationem iam dictam.

Dices 4. Iuxta modum loquendi ſanctorum Patrum & Conciliorum, Chriſtus non tantum vt Deus, ſed etiam vt homo ſacramenta inſtituit; ergo non eſt impoſſibile creaturam aliquam ſacramentum ex commiſſione Dei inſtituere.

Reſpondeo. Etſi Chriſtus vt homo non dederit certitudinem effectui ſacramentorum, poteſt tamen dici aliquo modo ſacramentorum inſtitutor: tum quia illorum inſtitutionem, & efficaciam de condigno nobis promeruit; quæ ratio eſt cur ſacramenta ex latere Chriſti in cruce pendentis orta dicantur: tum quia diuinam ſacramentorum inſtitutionem cum poteſtate excellentiæ ho-

Digitized by Google

minibus promulgauit: tum denique quia deſignatio materiæ,& formæ ſacramentorum voluntati illius humanæ relicta fuit.

# SECTIO III.

*An poteſtas excellentiæ quæ Chriſto vt homini competit in ordine ad ſacramenta alicui puræ creaturæ communicari potuerit.*

## SVMMARIVM.

*Purus homo non poteſt habere poteſtatem excellentiæ circa ſacramenta, tam perfectè quam Chriſtus, ſed modo aliquo inferiori; quatenus gratiam alijs de congruo mereri poteſt. Hæc tamen poteſtas nulli vmquam homini de facto à Chriſto communicata fuit, ſed illa dumtaxat quæ eſt purè miniſterialis, ad conficienda ſacramenta à Chriſto inſtituta.*

TRiplex poteſtas aſſignari ſolet à Theologis circa Sacramenta, eorumque effectus. Prima dicitur authoritatis, de qua initio ſectionis præcedentis egimus. Secunda excellentiæ. Tertia miniſterij. Prima ſoli Deo competit: Secunda Chriſto vt homini: Tertia reliquis hominibus qui ſacramentorum adminiſtrationi operam dant.

Poteſtas excellentiæ in quatuor conſiſtit ex S. Thom. 3. part. quæſt. 64. art. 3. Primò in eo quod virtus, & meritum paſſionis Chriſti opera-



Digitized by Google

tur in ſacramentis. Secundò, in hoc quod in Chriſti nomine ſacramenta ſanctificantur; ſeu quod nobis ſacramenta adminiſtrentur iuxta poteſtatem quam Chriſtus conceſſit miniſtris ea conficiendi & adminiſtrandi. Tertiò, in eo quod ipſe poſſit inſtituere ſacramenta, non quidem dando illis certitudinem, & infallibilitatem ſignificationis, & efficaciæ; ſed deſignando formam, & materiam iuxta ea quæ in præcedenti ſectione diximus. Quartò, quod Chriſtus potuerit effectum ſacramentorum ſine externo ſacramento conferre vt patet exemplo Magdalenæ, Paralitici, & aliorum quos ſolo verbo à peccatis mundauit. Iam quæſtio eſt vtrum hæc poteſtas excellentiæ, quoad illas quatuor prærogatiuas, puro homini, ſeu qui non ſit etiam Deus, communicari poſſit.

Aſſertio 1. *Purus homo non poteſt habere poteſtatem excellentiæ circa ſacramenta tam perfectè ac Chriſtus.* Ita omnes communiter. Ratio eſt, quia Chriſtus meruit de condigno, & ex toto rigore iuſtitiæ, vt aiunt, gratiam nobis in ſacramentis collatam: non poteſt autem purus homo, ſeu qui non ſimul ſit Deus, ex defectu dignitatis, ſecundum illum iuſtitiæ rigorem mereri, aut ſatisfacere pro alijs; ergo fieri non poteſt vt purus homo poteſtatem excellentiæ quæ meritum illud inter alia includit, eodem, ſeu æquè perfecto modo ac Chriſtus participet. Maior & minor propoſitiones ſupponuntur tanquam certæ ex tractatu de Incarnatione, atque adeò vera ab omnibus cenſeri debet concluſio.

Dices, S. Tho. 3. p. quæſt. 64. art. 4. in corpore huic aſſertioni videri contrarium; ait enim Chriſtum potuiſſe Miniſtris communicare poteſtatem excellentiæ, dando eis tantam gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operaretur ad ſacramentorum effectus.

Verùm ſi attentè legatur quod ſequitur, facilè erit deprehendere S.Doctorem non loqui de merito condigno, & ſecundum prædictum rigorem iuſtitiæ; ſed de merito aliquo inferiori, quod vocant de congruo. Rationem enim aſſignans cur Chriſtus poteſtatem excellentiæ hominibus communicare valeat, *poteſt enim* (inquit) *inſtrumentum coniunctum, quantò fuerit fortius, tantò magis virtutem ſuam inſtrumento ſeparato tribuere, ſicut manus baculo*: ex quo patet Chriſtum ſuam perfectionem hominibus communicare ſicut manus ſuam vim communicat baculo; certum eſt autem manum non omnem ſuam virtutem baculo communicare; ergo nec Chriſtus ſuam hominibus.

Idem apertè colligitur ex reſponſione ad ſecundum argumentum, vbi dicit S. Tho. poteſtatem excellentiæ quæ competit Chriſto, poſſe vocari poteſtatem authoritatis, per comparationem ad alios miniſtros; quod non tantùm de facto verum eſt, ſeu de potentia miniſteriali quam habent, ſed etiam de poſſibili, ſeu de poteſtate excellentiæ, ſi Chriſtus eam illis concederet.

Quod apertè confirmatur ex reſp. ad 3. vbi habetur, quod ſi Chriſtus poteſtatem illam exexcellentiæ miniſtris communicaſſet, ipſe tamen eſſet caput principaliter, alij vero ſecundariò;

quia ſcilicet in ſacramentis non daretur nobis gratia ob illorum meritum, niſi ex congruitate aliqua,& dependenter à Chriſti meritis.

Aſſertio 2. *Poteſt purus homo aliquo modo inferiori habere poteſtatem excellentiæ quæ Chriſto competebat.* Ita S. Thom. loco iam citato, & cum eo omnes Theologi. Probari autem poteſt 1. ex Auguſtin. Tract. 5. in Ioan. vbi quærit cur Ioannes Baptiſta poſtquam dixerat de Chriſto, *Ecce Agnus Dei*, &c. Poſtea dixit, *Et ego neſciebam eum*, & reſpondet hoc modo. *Quod ſciebat Chriſtum Agnum eſſe immaculatum, qui peccatum tolleret: neſciebat tamen quod ſibi ſingulariter reſeruaret baptizandi poteſtatem* (ſcilicet excellentiæ) *& aliis ſolum miniſterium committeret: ſed hoc poſtea didicit, quando deſcendit columba, & de Chriſto ſibi ſingulariter dixit: hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto.* Vides ex Auguſt. Ioan. Baptiſt. ignoraſſe an Chriſtus poteſtatem baptizandi ſibi reſeruaret, an verò eam aliis communicaturus eſſet: hoc autem non ignoraſſet, ſi eiuſmodi poteſtas non eſſet communicabilis.

Deinde idipſum ratione oſtenditur, nam poteſt Deus tantam homini conferre gratiam, vt mereatur aliis ex congruitate aliqua gratiam illis communicandam, quoties verbi cauſa, nonnullis ſignis externis, quæ ipſe deſignauerit, vſi fuerint: hoc autem eſt tali homini conferre poteſtatem excellentiæ, aliquo inferiori modo quàm Chriſtus eam obtinuerit: ergo fieri poteſt vt purus homo poteſtatem excellentiæ ſub ea ratione obtineat.

Vbi aduerte quod etſi in iſta ratione vnius tantùm prærogatiuæ mentionem faciamus, idem tamen à fortiori iudicium faciendum eſt de aliis tribus, quas ad poteſtatem excellentiæ pertinere monuimus. Itaque poſſet homo ex potentia extraordinaria, ſacramenta validè conferre nomine proprio: poſſet materiam, & formam ſacramentorum determinare: poſſet gratiam, & peccatorum remiſſionem conferre ſola voluntate, nullum applicando exteriùs ſignum ſenſibile: poſſet denique de conguo efficaciam ſacramentis conferre ad gratiam hominibus communicandam, quæ omnia Chriſto excellentiori modo competunt, propter vnionem humanitatis cum verbo.

Aſſertio 3. *Poteſtas excellentiæ nulli puro homini fuit vnquam de facto communicata.* Hæc etiam apud omnes eſt certiſſima. Probari autem poteſt efficaciter à poſteriori, quia hæc poteſtas datur propter vſum, ſed nullus reperitur qui ea vnquam vſus fuerit; ergo nemini datam eſſe credendum eſt.

Minor probatur. Nam nullus vnquam extra ſacramentum peccata remiſit, nullus ſacramenta inſtituit quantùm ad deſignationem formæ, vel materiæ: nullus in proprio nomine ſacramentum contulit: nullus denique aliis promeruit gratiam quæ in ſacramentorum adminiſtratione confertur.

Dices primò. S. Petrus dedit effectum Confirmationis ſine ſacramento, vt colligitur ex cap. 10. Act. Reſpondeo hoc falſum eſſe, non enim Petrus loquens ſuo imperio effectum ſacramenti

contulit, ſed Deus loquente Petro.

Dices 2. Per indulgentias, ſatisfactiones Sanctorum nobis applicantur: ergo etiam per ſacramenta nobis applicantur; & quoad hoc poteſtas excellentiæ ſanctis de facto competit.

Reſpondeo admiſſo antecedente, negandam eſſe conſequentiam; nam in indulgentiis ſatisfactiones Sanctorum nobis applicantur, in remiſſionem pœnæ temporalis, peccatis iam quoad culpam remiſſis debitæ: in ſacramentis autem applicatur Chriſti meritum in remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ, peccato mortali debitæ; quod priuilegium nulli Sanctorum hactenus conceſſum eſt.

Dices 3. Si Chriſtus potuit communicare hominibus poteſtatem excellentiæ, & eam de facto nulli communicanit, inuidus fuit; quod cum impium ſit aſſerere, dicendum potiùs erit eam communicabilem uon eſſe.

Reſpondeo, rationem cur Chriſtus poteſtatem illam nulli vnquam communicauerit, non eſſe quod tantum bonum hominibus inuiderit, ſed ne ſeruus ſpem ſuam in ſeruo collocaret, vt loquitur Auguſt. ne multiplicatio baptiſmatum diſſentiones, & ſchiſmata generaret in Eccleſia: ne de dignitate Chriſti, qui caput eſt Eccleſiæ aliquid detraheretur, &c.

Aſſertio 4. *Poteſtas ſimplicis miniſterij ad conficienda, & adminiſtranda ſacramenta, Eccleſiæ à Chriſto conceſſa fuit.* Hæc etiam eſt Theologorum omnium. Et probatur imprimis ex verbis illis Apoſtoli 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo vt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei,* ac

ſi diceret Paulus, data nobis eſt poteſtas miniſterij, ad diſpenſationem ſacramentorum. Item ex illo loco 2. Cor. 3. *Qui idoneos nos fecit miniſtros Noui Teſtamenti.*

Probatur 2. Authoritate Auguſtini qui tract. 5. in Ioan. docet Chriſtum non dediſſe hominibus poteſtatem excellentiæ, qua poſſent ſacramenta conferre nomine proprio; ſed ſolam poteſtatem miniſterialem conficiendi, & adminiſtrandi ſacramenta ab ipſo Chriſto inſtituta, iiſque mediantibus conferendi gratiam. Et ibidem ponderat verbum illud, *hic eſt qui baptizat*, id eſt Chriſtus, quia licet Petrus baptizet, tamen Baptiſmum non confert niſi vt miniſter Chriſti.

Libro etiam 5. de Baptiſ. cap. 14. aduertit Paulum interdum vocare Euangelium ſuum, numquam tamen appellare Baptiſmum ſuum: quia licet in vtroque eſſet miniſter Chriſti, in illo aliquid poterat addere de ſuo, vel quoad modum dicendi, vel quoad explicationem doctrinæ: in hoc verò ex proprio ſenſu nihil immutare poterat eorum quæ ad ſubſtantiam ſacramenti pertinent, cum hæc omnia à Chriſto ſint inſtituta.

Tandem accedit duplex ratio, nam primò ſacramenta cum ſint res inanimatæ, variis partibus conſtantes, neceſſariò requirunt miniſtros qui partes illas inter ſe connectant; & nobis applicent. Item cum efficere ſacramentum ſit opus ex ſe ſuperans vires naturæ creatæ (idem enim eſt ac efficere ſignum efficax gratiæ) neceſſe erat vt Chriſtus qui ſacramenta noſtri

gratia inſtituerat, nimirum vt eorum vſu ſanctificaremur, & ſalutem tandem conſequeremur, poteſtatem illam miniſterialem ad conficienda, & adminiſtranda ſacramenta nonnullis concederet. Quis autem ſit eiuſmodi Miniſter in ſequenti diſputatione explicabitur.

*Finis diſputationis quartæ.*

# DISPVTATIO QVINTA.

## *De cauſa miniſteriali ſacramentorum.*

### Octo Sectionibus comprehenſa.

QVÆ *ad hanc diſputationem pertinent octo ſectionibus concludi poſſunt. Prima inquirit quis ſit Miniſter ſacramentorum. Secunda, an ad valorem ſacramenti fides miniſtri neceſſaria ſit. Tertia, an ad valorem ſacramenti neceſſaria ſit probitas miniſtri. Quarta, an intentio Miniſtri ad veritatem ſacramenti ſit neceſſaria. In quinta, proponitur, & refellitur ſententia cuiuſdam recentioris de intentione miniſtri ſacramentorum. In ſexta quæritur qualis debeat eſſe intentio miniſtri vt ſacramentum teneat. In ſeptima, an error perſonæ intentionem Miniſtri, atque adeo ſacramentum vitiet. In octaua tandem an Deus ſupleat defectum intentionis.*

## SECTIO I.

### *Quis ſit Miniſter ſacramentorum.*

SVMMARIVM.

*Miniſter ordinarius ſacramentorum non eſt Angelus ſiue bonus, ſiue malus, ſed ſolus homo, non quidem omnis, ſed viator dumtaxat: & inter viatores ij qui ad ſacramenta conficienda, & adminiſtranda peculiariter ſunt conſecrati; ſi excipias Baptiſmum qui validè à quocumque homine viatore adminiſtrari poteſt: item matrimonium, cuius miniſtri ſunt ipſi contrahentes baptizati.*

PRima aſſertio. *Solus homo eſt ordinarius miniſter ſacramentorum.* Ita S. Tho. 3. parte, quæſt. 64. art. 7. Et alij communiter. Probatur autem primò ex Scriptura, quæ vbicunque meminit facultatis conceſſæ ad ſacramenta adminiſtranda, apertè innuit eam ſolis hominibus traditam fuiſſe: ſic enim Chriſtus dixit ſolis hominibus Math. 28. *Eunies docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Sic etiam Lucæ 22. ſolis hominibus dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*: ſic rurſus Ioan. 20. ſolos homines alloquens dixit, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. Illis autem verbis Chriſtus dedit poteſtatem baptizandi, conficiendi ſacramentum Euchariſtiæ, & abſoluendi ſacramentaliter à peccatis: ſoli

ſoli ergo homines ſunt miniſtri ordinarij ſacramentorum.

Huius autem rei nonnullæ congruentiæ afferri poſſunt. Prima, quia ſicut Chriſtus ſolam humanam naturam aſſumpſit,& redemit;ita æquum erat vt ſolus homo eſſet miniſter ordinarius ſacramentorum, quæ ſunt media quædam ad redemptionem hominis inſtituta.

Item, ſicut Chriſtus vt homo eſt primarius ſacramentorum miniſter, oportebat vt miniſter ſecundarius,qui vicem Chriſti hominis gerit, ſolus eſſet homo,ſaltem ordinariè.

Denique, in ſacramentis reperitur aliquid ſpirituale, & aliquid ſenſibile: ergo congruum fuit vt ille miniſter ordinarius eſſet creatura aliqua pollens ſenſu, & intellectu, qualis eſt ſolus homo.

Dices, S.Tho.3.parte,quæſt 64.art.7. in corp. aſſerere quod ſi Angeli boni ſacramentum conficerent,illud ratum eſſet habendum.

Reſpondeo hoc non ideo dici à Doctore Angelico, quod ipſe exiſtimet Angelum eſſe miniſtrum ordinarium ſacramenti; ſed quia talis ſacramenti adminiſtratio, etſi non eſſet conformis ſacramentorum inſtitutioni, eſſet tamen iuxta voluntatem Dei, cuius potentia rebus ſenſibilibus non eſt alligata: credendum enim eſſet eiuſmodi Angelum, qui bonus ſupponitur, id feciſſe iuſſu Dei, & conſequenter Deum velle tale ſacramentum tenere.

Et ſanè quod ſacramentum à bono Angelo collatum ratum aliquando fuerit, conſtat ex hiſtoria Amphilochij, qui vt refert Nicephorus

lib. ij. hiſt. cap. 20. ab Angelo in Epiſcopum conſecratus fuit; quam conſecrationem alij Epiſcopi ratam habuerunt.

Multò autem minùs exiſtimandum eſt Dęmonem eſſe miniſtrum ordinarium ſacramenti: quare ſi quando contingeret vt Dæmon ſacramentum conferret, tale ſacramentum pro rato habendum non eſſet, vt docet S. Doctor loco citato: quia minimè credendum eſſet Deum tale miniſterium illi concedere voluiſſe.

Neque refert quod Iudas, qui erat membrum diaboli, validè ſacramenta confecerit: non enim ex eo bene Lutherus colligit, ipſum etiam Dæmonem poſſe conſecrare; quia Iudas erat membrum Diaboli in quantum peccator, vt autem homo, miniſter erat ſacramentorum; quod vt liquet Dæmoni non poteſt competere.

Secunda aſſertio. *Non quilibet homo eſt ordinarius miniſter ſacramentorum, ſed ſolus viator.* Sequitur ex dictis, nam Chriſtus tale miniſterium conceſſit hominibus ſecum agentibus, quando dedit illis poteſtatem conferendi Baptiſmum, conficiendi Euchariſtiam, abſoluendi à peccatis, & ſic de aliis.

Congruum autem erat vt ſolus viator hanc facultatem haberet: tum quia Chriſtus, qui eſt principalis miniſter, ſacramenta inſtituit quādo viator erat; ergo miniſter minùs principalis eſſe debet ſolus viator: tum quia congruum erat vt miniſtri eſſent viatores, & membra Eccleſiæ militantis, ſicut ij quibus ſacramenta adminiſtrantur: tum denique quia decuit eos qui nobis ſacramenta miniſtrare debebant, nobiſcum conuerſari, vt

præſto eſſent quoties neceſſitas poſtularet.

Hinc collige animam beatam non eſſe miniſtrum ordinarium ſacramentorum,etiamſi v.c.aſſumat corpus aëreum; quia hoc totum conſtans anima rationali, & corpore aëreo non eſſet verus homo. Quod ſi anima reſumeret proprium corpus mortale, ita vt homo ad ſtatum viatorum reuocaretur, vt contigit Lazaro, poteſtas ordinaria ſacramenta adminiſtrandi illi competeret. Si autem aſſumeret corpus proprium, ſed beatum probabile eſt hominem ex anima,& corpore beatis conſtantem, non fore miniſtrum ordinarium ſacramenti;quia vbique in ſcriptura adminiſtratio ſacramenti tribuitur ſolis viatoribus, quemadmodum ſoli viatores ſacramenta recipere poſſunt. Si tamen aliquis beatus ſacramentum conferret,cenſeretur validè illud contuliſſe: quia credendum eſſet eum à Deo extraordinariè miſſum ad id munus obeundum.

Dices; hoc quod iam aſſeruimus videri contra mentem S. Tho. qui 3. parte, quæſt.64.art.7.ad ſecundum ita ſcribit. *Ad ſecundum dicendum quod ſancti qui ſunt in cœlo, ſunt ſimiles Angelis quantùm ad participationem gloriæ, non autem quantùm ad conditionem naturæ,& per conſequens neque quantùm ad ſacramenta.* Ex quibus verbis videtur colligi Sanctos, qui ſunt in cœlo, eſſe miniſtros ordinarios ſacramentorum.

Sed non ea eſt mens S.Doctoris,vult enim tãtùm dicere ſanctis hominibus potiùs conuenire facultatẽ ſacramenta adminiſtrandi,quam Angelis,propter conditionem naturæ quam habent ſimilem naturæ humanæ Chriſti,non autẽ Angeli.

Tertia aſſertio. *Quilibet homo viator non eſt miniſter ordinarius omnium ſacramentorũ, ſed ille tantùm qui ſpecialiter à Deo ad id munus deputatus fuit.* Hæc eſt contra Lutherum, qui ſæpe docet baptizatos omnes poteſtatem æqualem habere ſacramenta omnia adminiſtrandi, & omnes æqualiter eſſe Sacerdotes: monet tamen non eſſe promiſcuè hac poteſtate vtendum niſi in neceſſitate, ſed expectandam eſſe vocationem, & electionem factam à multitudine.

Cæterùm noſtra aſſertio ſuadetur inprimis ex Paulo qui docet cap. 12. Ep. ad Rom. & 12. prioris ad Corinth. & cap. 4. ad Epheſios, non omnes eſſe Apoſtolos, non omnes Prophetas, aut Doctores: ex quo intelligitur diuerſa eſſe membra, ſeu officia in Eccleſia, quæ non omnia eundem actum habent; quod ſanè falſum eſſet, ſi Chriſtiani omnes eſſent ex æquo ſacerdotes, & eandem haberent potentiam in ordine ad ſacramenta adminiſtranda,

Deinde communis ſenſus Doctorum eſt, Apoſtolos omnes fuiſſe baptizatos, etſi non certum ſit an à Chriſto, an à ſeipſis mutuo baptizati fuerint: ſicut enim Chriſtus baptizatus fuit antequam prædicaret, ita æquum erat vt Apoſtoli ipſi antequam prædicarent, & baptiſmum conferrent, baptizarentur vt docet Auguſtin. Epiſt. 108. ad Seleucianum. Præterquam quod cum Chriſtus Ioan. 3. dixerit neminem ſaluandum abſque baptiſmo, credibile non eſt Apoſtolos, qui poſt Euangelij promulgationem victuri erant, tantæ neceſſitatis ſacramentum prætermiſiſſe. Si ergo omnes baptizati ex æquo ſunt

Sacerdotes, & habent eo ipſo æqualem potentiam ad ſacramenta adminiſtranda; quæro ab aduerſariis, cur Chriſtus Apoſtolis iam baptizatis conceſſit poteſtatem abſoluendi à peccatis Ioan. 20. Et poteſtatem conficiendi ſacramentum Euchariſtiæ Luc. 22? Et authoritatem prædicandi Euangelium omni creaturæ Marci 16. hæc ſane & ſimilia ſuperflua erant, ſi Apoſtoli erant Sacerdotes, & eandem in verbo, & ſacramentis poteſtatem habebant, vt loquitur Lutherus, eo ipſo quod baptizati fuerant.

Rurſus veritàs iſta probatur inductione. Nam etſi quilibet homo, ſiue vir, ſiue fœmina; ſiue Sacerdos, ſiue Laïcus: ſiue Gentilis, ſiue hæreticus, poſſit eſſe baptiſmi miniſter propter ſummam eius neceſſitatem, vt dicetur vbi de hoc ſacramento item licet ſacramenti Matrimonij miniſtri ſint ipſi contrahentes, ſi modo ſint baptizati: In aliis tamen omnibus ſacramentis verus miniſter non eſt quilibet homo, etiam baptizatus; ſed ille dumtaxat qui ad tale munus rite ab Ecſia eſt conſecratus.

Et quidem ordinarius Confirmationis miniſter eſt ſolus Epiſcopus, ſimplex verò Sacerdos tantùm ex commiſſione ſummi Pontificis eam conferre poteſt. Sacramentum Euchariſtiæ ſoli Sacerdotes validè conficere poſſunt, & ſacramentaliter abſoluere à peccatis; ita vt in nulla neceſſitate Eccleſia diſpenſare poſſit, vt aliquis non Sacerdos ſacramentaliter abſoluat, aut Euchariſtiam conficiat. Rurſus ſolus Sacerdos Extremæ Vnctionis miniſter eſſe poteſt: ac denique ordinarius miniſter ordinis eſt ſolus Epiſcopus,

quæ omnia latiùs perſequi non eſt huius loci ; plura dicentur vbi de ſingulis ſacramentis.

Tandem in confirmationem noſtræ ſententiæ afferri poteſt definitio Concilij Trident. ſeſſ. 7. can. 10. de ſacramentis , quæ eſt huiuſmodi. *Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo , & omnibus ſacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem , anathema ſit.* Quibus verbis apertè damnatur ſententia Lutheri , quatenus ſtatuit omnes homines , eo ipſo quod ſunt baptizati , habere poteſtatem validè adminiſtrandi omnia ſacramenta.

Et quamuis ille docuerit neminem debere ſibi arrogare miniſterium prædicandi Euangelium, & conferendi ſacramenta abſque vocatione, Quam ipſe legitimam exiſtimat : hoc tamen non dixit , quaſi verò putaret omnes baptizatos non habere poteſtatem , vt factum ab illis ſacramentum ſit validum ; ſiquidem hanc ipſam poteſtatem non ſolum hominibus , ſed ipſi etiam concedit Dæmoni, quem putat valide baptizare poſſe,celebrare miſſam, & abſoluere à peccatis : hoc ergo dixit ad vitandam confuſionem quæ oriretur in Eccleſia, ſi omnes promiſcuè hac poteſtate vterentur.

Aduerſus Catholicam hanc aſſertionem Lutherus multa obijcit. Primò,nonnulla ſcripturæ loca in quibus Chriſtiani omnes dicuntur Sacerdotes.

Verùm hæc intelligi debent de ſacerdotio ſpirituali , quo offeruntur Deo laudes , & preces , aliaque bona opera , quæ ſacrificia ſunt

ſpiritualia. Quod autem ſermo ſit de eiuſmodi ſacrificiis ſpiritualibus, atque adeo de ſacerdotio ſpirituali, conſtat tum ex eo quod B. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. vbi Chriſtianos vocat Sacerdotium ſanctum, & regale Sacerdotium, addit; *offerentes Spirituales Hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum:* tum etiam quia ibidem Chriſtianos vocat non tantùm Sacerdotes, ſed etiam Reges; ſicut ergo non omnes ſunt Reges propriè, ita nec ſacerdotes, ſed tantùm myſticè, & ſpiritualiter.

Porro præter hoc Sacerdotium quod eſt myſticum, & ſpirituale, eſt aliud proprium, quo verum ſacrificium corporis, & ſanguinis Domini offertur in altari; & hoc non competit omnibus Chriſtianis, ſed illis dumtaxat qui ad id munus rite ſunt ordinati, & conſecrati.

Secundò obiicit hoc modo. Chriſtus eſt Sacerdos ex Pſalmo 109. omnes Chriſtiani ſunt fratres Chriſti ex Pſal. 21. ergo omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes.

Hoc argumentum æquè concludit ac iſtud, Petrus eſt ſummus Pontifex: Andræas eſt frater Petri; ergo Andræas eſt ſummus Pontifex. Vel iſtud, Chriſtus eſt natus ex Virgine, & multa miracula patrauit: Chriſtiani omnes ſunt fratres Chriſti, ergo omnes ſunt nati de Virgine, & miracula multa faciunt. Hæ conſequentiæ, vt liquet, ſunt omnes ridiculæ; quaſi verò omnia fratribus ex æquo conueniant.

Et quamuis id locum haberet in fratribus naturalibus, non tamen in adoptiuis, quales ſunt Chriſtiani omnes reſpectu Chriſti: quem ideo vnxit

Deus oleo Lætitiæ præ participibus ſuis, vt habetur Pſalmo 44.

Tertiò ſic obijcit. Verba illa Lucæ 22. *hoc facite in meam commemorationem*, item illa Math. 18. *quæcumque alligaueritis ſuper terram*, ad omnes Chriſtianos dicta fuere; Ergo omnes habent poteſtatem conficiendi Euchariſtiam, & abſoluendi à peccatis.

Sed negatur antecedens; ſiquidem, vt docet Concilium Trid. ſeſſ. 22. cap. 2. per priora verba Chriſtus præcepit Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt ſacrificium corporis, & ſanguinis ſui offerrent; non dicuntur autem ſucceſſores Apoſtolorum in Sacerdotio, niſi qui ab illis rite ordinati ſunt: quare ij tantùm, vt verè ſunt Sacerdotes, ita habent ſoli poteſtatem, & præceptum conficiendi Euchariſtiam.

Quod ſpectat ad poſteriora verba, idem Concil. ſeſſ. 14. cap. 16. & can. 10. definit ea non omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dicta, ſoloſque Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis; quod ſane ex facto Chriſti ſatis perſpicuè colligitur; nam volens Ioan. 20. dare Apoſtolis poteſtatem abſoluendi à peccatis, inſufflauit in eos, & dixit, *accipite Spiritum Sanctum.* Et illico addidit, *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, ſignificans ſe iis tantùm hanc poteſtatem tradere, qui ad eam rite exercendam ſpecialem gratiam reciperent; quales ſunt ſoli Sacerdotes, qui in ſua ordinatione (in qua prædicta verba illis ab Epiſcopo dicuntur) ſingularem Spiritus Sancti gratiam accipiunt.

# SECTIO II.

*An ad valorem ſacramenti fides miniſtri neceſſaria ſit.*

SVMMARIVM.

*Aſſertio fidei eſt definita in varijs Concilijs à Summis Pontificibus, & Eccleſiæ Doctoribus confirmata, & à Scholaſticis omnibus approbata, aduerſus Agrippinum, Cyprianum, alioſque eiuſdem ſæculi viros pios, & Catholicos; item aduerſus Donatiſtas, & Luciferianos hæreticos, ſacramenta ab hæreticis cum materia, forma, & debita intentione adminiſtrata eſſe valida; & gratiam in non ponentibus obicem producere.*

VEtus error fuit ſacramenta ab hæreticis, vel ſchiſmaticis collata irrita eſſe, & nullius valoris. Ita olim ſenſuit Agrippinus quidam Epiſcopus Carthaginenſis, & Cyprianus eius ſucceſſor, & quam plures alij Africani Epiſcopi. Hos ſecuti poſtea Donatiſtæ eundem errorem cum pertinacia docuerunt, & poſt Donatiſtas Luciferiani, ſaltem ex parte, quatenus baptiſmum ab hæreticis collatum, non ordinationem approbabant.

Aduerſus hunc errorem fides Catholica ſtatuit, *Hæreticos poſſe valide ſacramenta miniſtrare atque adeo fidem miniſtri, vt ſacramentum ſit ratum*

*non eſſe neceſſariam.* Hæc veritas definita fuit in varijs Concilijs, & contrarius error damnatus, nimirum in Concilio Nicæno I. Carthaginenſi I. Arelatenſi I. & II. Laodiceno, Conſtantienſi, &c. ac tandem in Concilio Tridentino quod ſeſſ. 7. de baptiſmo can. 4. damnat eos qui dicunt baptiſmum, qui datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſmum.

Eadem veritas confirmatur varijs decretis Summorum Pontificum. Nicolaus Papa relatus in can. *A quodam Iudæo*, De conſecrat. diſt. 4. docet baptiſmum etiam à pagano collatum non eſſe iterandum, ſi tamen in nomine ſanctæ Trinitatis collatus fuerit, id eſt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Pelagius ibid. can. *Si vero* tradit eos qui baptizati fuerint ab hæreticis in nomine Domini, iterum eſſe baptizandos; non autem eos qui ab illis baptizati fuerint in nomine Trinitatis, id eſt, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vt iam dixi, & infra latiùs explicabitur.

Denique, Leo Papa relatus eadem diſt. can. *Hi de quibus.* Docet eſſe iterandum baptiſma cuius formam conſtat integrè prolatam, etſi baptizati neſciant quam fidem profiteantur ij à quibus baptiſma ſuſceperunt.

Idipſum docent Eccleſiæ Doctores. Auguſtinus relatus de conſecrat. diſt. 4. can. *Si qui.* Ita ſcribit in libro de Eccleſiaſticis regulis cap. 52. *Si qui apud illos hæreticos baptizati ſunt, qui in ſanctæ Trinitatis confeſſione baptizant, & ve-*

*niunt ad nos, recipiantur quidem vt baptizati, ne ſanctæ Trinitatis inuocatio, vel confeſſio annulletur.*

Et lib. 65. quæſt. 59. vt refertur loco citato in can. *Quamuis*, expreſsè ait eos non rebaptizari, qui baptiſmum acceperunt ab hæreticis ſub eadem forma qua Catholici vtuntur, nempe in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Et lib. 1. contra Donatiſtas cap. 1. *Sacramentum* ( inquit ) *baptiſmi eſt quod habet qui ordinatur; ſicut autem baptizatus, ſi ab vnitate receſſerit, ſacramentum baptiſmi non amittit: ſic etiam ordinatus, ſi ab vnitate receſſerit, ſacramentum dandi baptiſmi non amittit.* Idem ſcribit ſæpiſſimè aliàs.

His conſonant quæ ſcribit Iſidorus relatus in can. *Romanus.* diſt. prædicta de conſecrat. *Romanus Pontifex* ( inquit ) *non hominem iudicat qui baptizat, ſed ſpiritum Dei ſubminiſtrare gratiam baptiſmi, licet paganus ſit qui baptizat.*

Et venerablis Beda homil. 36. ad cap. 3. Ioan. hæc habet, vt refertur in can. *Siue hæreticus*, diſt. citata de conſecrat. *Siue* ( inquit ) *hæreticus, ſiue ſchiſmaticus, ſiue facinoroſus quiſque in confeſſione ſanctæ Trinitatis baptizet; non valet ille qui ita baptizatus eſt a bonis Catholicis rebaptizari, ne confeſſio, vel inuocatio tanti nominis videatur annullari.*

Vltimo duplici ratione probatur allata aſſertio. Prima eſt quia cum miniſter in ſacramentis non aliter operetur niſi vt eſt inſtrumentum Dei, hoc illi tantùm in adminiſtratione ſacramentorum

neceſſarium eſt, quod ſufficit vt ſit inſtrumentum Dei: atqui miniſter hoc ipſo cenſetur ſufficienter inſtrumentum Dei, quod humano quodam & deliberato actu vſurpat materiam, & formam à Chriſto præſcriptas, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia; ergo ad perfectionem ſacramenti materia, & forma, & intentio dumtaxat neceſſaria ſunt: & conſequenter miniſtri fides ad talem effectum cenſetur ſuperflua. Maximè cum ſacramenta ſuam vim, & efficaciam deſumant à Chriſto, eiuſque meritis, non autem à fide miniſtri.

Alia eſt ratio à poſteriori, quia character non amittitur propter hæreſim: nam ſi Catholicus baptizatus, poſt quam in hæreſim lapſus eſt, reſipiſcat; non opus eſt vt iterum baptizetur, quod ipſi etiam hæretici fatentur: quia videlicet character per baptiſmum animæ impreſſus eſt indelebilis. Similiter ergo ſi Sacerdos incidat in hæreſim, retinet characterem ordinis, & conſequenter poteſtatem conficiendi ſacramenta: poterit ergo verum ſacramentum perficere, ſi materiam,& formam à Chriſto præſcriptas, cum debita intentione vſurpet; & ita fides illius ad valorem ſacramenti non eſt neceſſaria.

Dices 1. Intentio eſt neceſſaria ad validitatem ſacramenti, ergo & fides. Sequela patet, quia vt docet Auguſt. prefat. in Pſal. 31. *Fides intentionem dirigit.*

Reſpondeo negando conſequentiam, ad probationem diſtinctione vtendum eſt: fides intentionem dirigit in operibus quæ ab agente referuntur ad finem ſupernaturalem concedo; in

operibus verò quæ ad alium finem diriguntur, nego: poteſt enim qui fide caret operari propter finem malum, aut etiam propter bonum moraliter, non autem propter eum qui abſolutè bonus dicendus eſt. Vide quæ hac de re ſcripſimus in tract. de gratia diſp. 2. ſect.4. & 5.

Dices 2. Gregorius relatus 1. quæſt. 1. cap. *Superueniente*, docet Euchariſtiam ab Arriano Epiſcopo confectam, eſſe conſecrationem ſacrilegam.

Reſpondeo. Gregorius hoc ideo dixit, non quod Epiſcopus Arrianus rite ordinatus verè non conſecraret, ſed quia conſecrando grauiter peccabat, & ſacrilegium perpetrabat.

Dices 3. Ambroſ. lib. *De his qui initiantur myſteriis*, cap.4. *Non ſanat* (inquit) *baptiſmus perfidorum, non mundat, ſed polluit.*

Reſpondeo, ſenſus eſt baptiſmum ab infideli collatum eſſe quidem validum, non tamen ſemper ſanctificare, quia contingit interdum vt qui ab hæretico baptiſmum petit, peccet moraliter, & ponat obicem gratiæ.

Dixi, non ſemper ſanctificare, quia ſi quis bona fide recipiat ſacramentum ab hæretico, ille procul dubio ſanctificatur, & tantam gratiam recipit, quanta illi daretur per ſacramentum à fideli miniſtro acceptum: non enim eſt melior baptiſmus qui per meliorem datur vt monet Auguſt. lib. 3. contra Creſc. cap.6. quando quidem, vt idem docet lib.4. contra eundem Creſc. cap. 16. ſacramenta valent ex opere operato, non ex dignitate miniſtri, quod nos etiam ex

communi Catholicorum doctrina probabimus inferiùs.

Atque hinc intelligis quæ hactenus dicta ſunt in iſta ſectione procedere non tantùm de ſubſtantia ſacramenti, ſed etiam de illius effectu, ita vt hæreticus non ſolum verum ſacramentum conferat, ſed etiam effectum ſacramenti, ſi ſuſcipiens impedimentum non apponat.

Dices 4. multos olim qui ab hæreticis ordinati fuerant, à Summus Pontificibus iterum ordinatos fuiſſe, quod manifeſto indicio eſt, ordinem ab hæreticis collatum fuiſſe irritum.

Reſpondeo hoc ideo factum eſſe, quia hæretici illi non fuerant ritu Eccleſiæ ordinati, vnde nec poteſtatem habebant alios ordinandi.

Dices 5. qui ſacramentum adminiſtrat gerit perſonam Eccleſiæ: non poteſt autem gerere perſonam Eccleſiæ ſi ſit extra Eccleſiam, ergo &c.

Reſpondeo. Vt miniſter gerat perſonam Eccleſiæ, quantum quidem neceſſarium eſt ad validitatem ſacramenti, ſatis eſt quod intendat facere quod facit Eccleſia, & materia, ac forma à Chriſtò inſtitutis vtatur: quanquam ad rectè, & ſine peccato gerendam talem perſonam, per fidem deberet eſſe membrum ipſius Eccleſiæ.

Digitized by Google

# SECTIO III.

## *An ad valorem ſacramenti neceſſaria ſit probitas miniſtri.*

SVMMARIVM.

*Definitum eſt in varijs Concilijs, ac maximè in Tridentino aduerſus Donatiſtas, & alios quoſdam hæreticos qui dicebantur Apoſtolici, quorum meminit ſanctus Bern. ſerm. 66. in cant. & item aduerſus VVicleſiſtas; ſacramentum à prauo miniſtro collatum eſſe validum, dummodo debita materia, forma, & intentio faciendi quod facit Eccleſia non prætermittatur.*

PArtem affirmatiuam defendebant olim Donatiſtæ, quatenus ſaltem peccatores publicos à ſacramentorum adminiſtratione arcebant, vt teſtis eſt Auguſt. lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 10.

Vlteriùs progreſſi ſunt Apoſtolici qui tempore ſancti Patris noſtri Bern. dicebant nullum peccatorem, ſiue dandis, ſiue recipiendis ſacramentis eſſe idoneum, vt ipſe teſtatur ſerm. 66. in cant. In quo etiam errore verſati ſunt poſtea Albigenſes, vt ex Antonino refert illuſtr. Bellar. lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 26.

Tandem VVicleſiſtæ errorem errori addentes docuerunt non tantùm peccatores omnes ſiue occultos, ſiue publicos, non poſſe conficere ſacra

menta;ſed ne illos quidem qui quoad præſentem iuſtitiam ſunt boni, & aliquando mali futuri ſunt, quos præſcitos, ſeu reprobos appellamus.

Aduerſus hos omnes hæreticos, hæc ſit noſtra, quæ eſt communis omnium Catholicorum aſſertio. *Ad validitatem ſacramenti non eſt neceſſaria miniſtri probitas.* Hæc ſumitur tum ex alijs Concilijs, tum ex Trident. ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere, can. 12. vbi talis definitio continetur. *Si quis dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia quæ ad ſacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent ſeruauerit; non conficere, aut conferre ſacramentum, anathema ſit.*

Sumitur etiam prædicta aſſertio ex 1. quæſt. 1. can. *Si iuſtus fuerit*, vbi hæc verba habentur. *Qui verò fuerit ſuperbus miniſter cum Diabolo computatur, ſed non contaminatur donum Chriſti, quia per illum purus fluuius tranſit, & venit ad fertilem terram. Scio quia lapis ex aqua fructum ferre non poteſt, & ſi per lapideos canales tranſit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generatur, ſed tamen hortus plurimum fructum affert; ſpiritualis enim virtus ſacramenti ſicut lux pura ab illuminandis excipitur, ſed per immundos tranſiens non coïnquinatur.* Ex quibus verbis apertè conſtat ſacramenta à prauis miniſtris collata, non tantùm eſſe rata, ſed etiam ſuſcipientibus gratiam conferrre.

Idem tertiò affirmant S. Patres. Auguſt. totus eſt in hac veritate propugnanda, tractatu 5. in Ioan. ſic habet, vt refertur à Gratiano in can. *Dedit*, 1. quæſt. 1. *dedit baptiſmum Iudas, & non baptizatum eſt poſt Iudam: dedit Ioannes, & baptizatum*

*ptizatum eſt post Ioannem; quia qui datus eſt à Iuda baptiſmus Chriſti erat; qui autem à Ioanne datus eſt, Ioannis erat, non Iudam Ioanni, ſed baptiſmum Chriſti, etiam per Iudæ manus datum, baptiſmo Ioannis, etiam per manus Ioannis dato rectè præponimus.*

Et paulo poſt. *Quos baptizauit Ioannes, Ioannes baptizauit: quos autem baptizauit Iudas, Chriſtus baptizauit: ſic ergo quos baptizauit ebrioſus, quos baptizauit homicida, quos baptizauit adulter, ſi baptiſma Chriſti erat, Chriſtus baptizauit.*

Denique eodem tract. *Frater*, inquit, *quid tibi facit malus miniſter, vbi bonus eſt Dominus?* ac ſi diceret, ſacramentum collatum à miniſtro nequam eſſe bonum, & vtile ſuſcipienti; quia nimirum vim ſuam habet à Deo qui bonus eſt, non autem à miniſtro prauo.

Bernardus etiam ſerm. 66. in cant. de nonnullis ſui temporis hæreticis ſic loquitur. *Peccatores*, inquiunt, *ſunt Apoſtolici, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbiteri, ac per hoc nec dandis, nec accipiendis idonei ſunt ſacramentis.*

Tandem ratio idem demonſtrat. Nam cum miniſter in ſacramentis non aliter operetur niſi vt eſt inſtrumentum Dei vt diximus, ea tantùm ipſi neceſſaria ſunt ad perfectionem ſacramenti, quæ requiruntur vt habeat rationem talis inſtrumenti: ad hoc autem non eſt neceſſaria illius bonitas, ſicut nec fides; ſed ſatis eſt quod ea quæ ſunt eſſentialia ſacramento non prætermittat: quod facile præſtare poteſt etſi malus ſit; quemadmodum medicus aliàs

improbus, poteſt ſanitatem ægroto reſtituere, ea applicando quæ ad morbum depellendum ſunt neceſſaria.

Aliæ rationes adduci poterant ad prædictam aſſertionem confirmandam. Porro cum res de qua agitur pendeat ex inſtitutione diuina præcipua illius ratio ſumenda eſt ex voluntate Chriſti, qui ita poterat ſacramenta inſtituere, vt ad eorum validitatem, & fidem, & probitatem miniſtri exigeret: eum tamen aliter ſacramenta inſtituiſſe ex allata ratione alijſque ſimilibus congruè, & probabiliter colligitur.

Verùm obijcies 1. illud Eccleſiaſtici 34. *Ab immundo quis mundabitur?* quaſi diceret fieri non poſſe vt quis miniſterio peccatoris à peccatorum ſordibus emundetur.

Reſpondeo, qui ſacramentum ſuſcipit à prauo miniſtro, non mundatur ab immundo; quia ſcilicet miniſter non agit virtute propria, ſed virtute Chriſti; neque operatur vt peccator, aut immundus, ſed vt eſt homo quo Chriſtus vtitur vt inſtrumento. Vnde non opus eſt vt miniſter aſſimiletur effectui quem in ſuſcipiente producit; ſed ſatis eſt quod cauſa principalis cum eo effectu habeat ſimilitudinem.

Obijcies 2. Deum odio habere non ſolum Sacerdotes prauos, ſed etiam eorum ſacrificia, iuxta illud Iſaï. 1. *Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra, incenſum abominatio eſt mihi.*

Reſpondeo, diſtinguendum eſſe inter ſacrificia, & ſacrificantes: nam illa quidem Deo placent, quia in ſe bona ſunt: iſti verò diſplicent, quia praui ſunt, & ſine debita diſpo-

ſitione ſacrificia offerunt : vnde oblatio quæ fit quotidie in altari , non poteſt non eſſe Deo gratiſſima , etſi ex hypotheſi Sacerdos ſit ipſi valde exoſus.

Obijcies 3. Peccatorem eſſe indignum poteſtate ſacramenta conferendi.

Reſpondeo hoc eſſe verum, non tamen propterera eiuſmodi poteſtate priuari : ſicut enim peccator non priuatur vita, alijſque bonis corporeis , eſto ijs indignus ſit ; ita quamuis ſit indignus poteſtate conferendi ſacramenta , ea tamen non orbatur propter peccatum. Eo vel maximè quia facultas illa non tam ſpectat vtilitatem ipſius miniſtri , quam aliorum quibus ſacramenta adminiſtrantur.

Obijcies 4. Nemo dat quod non habet, miniſter prauus non habet gratiam , ergo illam dare non poteſt ; ergo non poteſt valide conficere ſacramenta, quæ ad collationem gratiæ, & peccatorum remiſſionem inſtituta ſunt.

Reſpondeo, maiorem propoſitionem eſſe veram de cauſa principali, quæ ſi ſit vniuoca continet formaliter effectum, ſi æquiuoca eminenter, & nobiliori modo. Cauſa verò inſtrumentaria non debet continere in ſe effectum; quia non producit illum virtute propria , ſed per motionem agentis principalis : & ſic videmus ſerram non habere formam ſcamni, aut cathedræ quam efficit, nec calorem animalis habere in ſe formam carnis quam producit.

## SECTIO IV.

*An intentio miniſtri ad veritatem ſacramenti ſit neceſſaria.*

SVMMARIVM.

*Cum Deus poteſtatem dederit hominibus ſacramenta conficiendi, qua homines ſunt, & humano modo, ad illorum perfectionem neceſſaria eſt miniſtri intentio: neque ſufficit intentio faciendi opus externum materialiter ſpectatum, ſed ea qua miniſter intendit celebrare myſterium quod Chriſtus inſtituit.*

SEntentia eſt Lutheri, & Caluini, vt ſacramentum teneat, intentionem faciendi quod facit Eccleſia in miniſtro non eſſe neceſſarium, ſed ſufficere ſi miniſter materiam apponat, & verba proferat, etſi irriſoriè, aut animo iocandi id faciat.

At vero Catholici Doctores communi conſenſu docent, ad veritatem ſacramenti miniſtri intentionem eſſe neceſſariam, non qualemcumque, ſed eam qua intendat facere quod vera facit Eccleſia, & Chriſtus inſtituit. Vt autem hæc ſententia clarè à nobis explicetur, duæ aſſertiones proponendæ ſunt.

Prior aſſertio. *Ad veritatem ſacramenti quædam miniſtri intentio eſt neceſſaria.* Eſt de fide,

definita in Concil. Florent. in inſtruct. Armen. vbi hæc verba leguntur. *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & intentione miniſtri faciendi quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquod deſit, non perficitur ſacramentum.*

Et in Concil. Trident. ſeſſ.7. can. 11. eadem definitio continetur his verbis. *Si quis dixerit in miniſtris dum ſacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, anathema ſit.* Ex quibus patet ad veritatem ſacramenti miniſtri intentionem omnino eſſe neceſſariam.

Ratio idem ſuadet, Deus enim tribuit hominibus poteſtatem ſacramenta conferendi, vt homines ſunt; ergo illi debent ſacramenta miniſtrare, & conficere humano modo, & ex deliberatione; quod ſine intentione aliqua & voluntate ea faciendi fieri nequit. Quo refertur illud Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem,* id eſt liberè, & cum intentione vt ipſe feci.

Et in hoc nulla eſt difficultas, nequidem apud hæreticos, qui dicunt requiri in ſacramentis eam intentionem qua quis velit facere exteriorem actum, verbi cauſa, abluere hominem, & verba proferre, etſi nulla ratione ſacramentum facere intendat.

Poſterior aſſertio. *Ad veritatem ſacramenti opus eſt vt miniſter intendat facere quod facit Eccleſia.* Hæc etiam eſt de fide, & eam in terminis approbare debent omnes Catholici, propter determinationes ex Concil. Florent. & Trident. præcedente aſſertione allatas. Dubium autem

eſſe poteſt apud illos, quonam modo explicanda ſit illa intentio faciendi quod facit Eccleſia.

Ambroſius Catharinus in opuſculo de intentione miniſtri ſacramentorum, duplicem intentionem admittit, vt multi recentiores teſtantur; vnam faciendi actum externum quem Eccleſia facit, aliam faciendi talem actum ſacramentaliter, ſeu cum intentione celebrandi myſterium quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia celebrat: & priorem quidem vult eſſe neceſſariam ad perfectionem ſacramenti, non autem poſteriorem; ſed quamcunque aliam ipſi contrariam haberi poſſe. Ita fit vt per intentionem faciendi quod facit Eccleſia, author iſte nihil aliud intelligere videatur, quam intentionem ſeruandi exteriùs ritum Eccleſiæ in verbis, & rebus adhibendis.

Communis tamen Theologorum ſenſus eſt, per intentionem faciendi quod facit Eccleſia, non intelligi dumtaxat intentionem faciendi materialiter actum illum quem Eccleſia facit, ſed faciendi illum aliquo modo formaliter, ſeu vt actum quendam ſanctum, & cæremoniam religioſam ad cultum Dei pertinentem. Ita illuſtriſſ. Bellarm. lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 27. Suarez diſp. 13. ſect. 2. Sayrus lib. 2. de Sacramentis in genere, cap. 4. quæſt. 1. art. 2. Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 5. art. 8. Valentia diſp. 3. quæſt. 5. puncto 3. Vazquez diſp. 138. cap. 3. Syluius 3. parte, quæſt. 64. art. 8. Ægidius ad eundem articulum dub. 1. Vincentius de Sacramentis in genere, parte 9. dub. 1. Filliutius tract. 1.

de Sacramentis, cap. 5. Iacobus Bayus lib. 2. inſtitut. cap.29. Paulus Layman tract.1. de Sacramentis, cap.5. & nouiſſimè Puteanus 3.part. quæſt. 64. dubitatione vltima.

Probari autem poteſt euidenter hæc ſententia ex allata definitione Concil. Trident. ſiquidem can. illo citato ex ſeſſ. 7. damnantur hæretici qui tantùm intentionem faciendi opus externum quod facit Eccleſia requirunt; Cum ergo Concil. ſtatuat contra illos requiri intentionem faciendi quod facit Eccleſia, hinc manifeſtum eſt, vt quis dicatur habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia, non ſufficere intentionem faciendi opus externum quod Eccleſia facit, applicando materiam, & formam; ſed vlteriùs requiri intentionem conficiendi ſacramentum, vel aliquid æquiualens.

Confirmatur. Nam ſi habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia, nihil aliud eſſet quam habere intentionem applicandi exteriùs materiam, & formam, quid opus erat definire in Concil. Trident. in miniſtris ſacramentorum requiri intentionem faciendi quod facit Eccleſia, cum impoſſibile ſit moraliter loquendo, materiam, & formam ſacramentorum à minſtro ſimul coniungi, niſi ipſe aliquam intentionem habeat illas coniungendi? certè eiuſmodi definitio erat inutilis, & impertinens. Cum ergo Concil. expreſsè ſtatuerit, in miniſtro ſacramentorum requiri intentionem faciendi quod facit Eccleſia, idque vt dixi, contra hæreticos huius temporis, qui fatentur

requiri intentionem faciendi opus externum quod facit Eccleſia; quis dubitare poteſt quin præter intentionem illam externam, ſeu operis externi, requiratur alia quædam intentio interna faciendi ipſum ſacramentum.

Confirmatur vlteriùs, nam idem Concil. ſeſſ. 14. de Pœnitentia cap. 6. docet abſolutionem non valere, ſi deſit Sacerdoti animus ſeriò agendi, & verè abſoluendi, & idem ſtatuit can. 9. vbi damnat eos qui aliter ſentiunt; qui ergo haberet interiùs voluntatem iocandi, & non ſeriò abſoluendi, etſi exteriùs audita confeſſione verba abſolutionis voluntariè proferret, reuera non abſolueret. Quod indicio manifeſto eſt eum tunc non habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia, qualis ad veritatem ſacramenti requiritur; atque adeo præter intentionem illam externam applicandi materiam, & formam, ad perfectionem ſacramenti Pœnitentiæ requiri intentionem verè abſoluendi, ſeu verè adminiſtrandi ſacramentum.

Confirmatur rurſus nam locis iam proximè citatis ex ſeſſ. 14. Concil. docet abſolutionem non eſſe nudum miniſterium, ſed eam à Sacerdotibus impendi cum aliqua poteſtate ipſis collata, vt diſpenſatoribus myſteriorum Dei, & iudicibus qui cauſa cognita ſententiam pronunciant: diſpenſator autem debet habere intentionem non tantùm exteriùs diſtribuendi quæ illi commiſſa ſunt, ſed etiam eorum dominium transferendi; aliàs ipſius diſpenſatio nulla erit, quod ſecus contingit in nudo miniſterio: cum ergo adminiſtratio ſacramentorum non ſit nudum miniſterium,

ſed vera diſpenſatio beneficiorum Dei, vt talis adminiſtratio valeat, oportet vt miniſter verè intendat conficere ſacramentum, non autem tantùm materialiter applicare materiam, & formam: hoc enim poſterius non eſt diſpenſare myſteria diuina, ſed illud prius dumtaxat.

Similiter vt ſententia à iudice prolata ſit valida, oportet vt Iudex intendat agere, non animo iocandi, ſed iudicialiter, ſeu ſecundum poteſtatem iudicandi quam habet: quare cum Sacerdos ſit Iudex, & abſolutio ſe habeat vt ſententia Iudicis, hæc valere nequit ſi Sacerdos non agat iudicialiter, ſeu ſecundum poteſtatem ipſi à Deo conceſſam, quæ ſine dubio reſpicit abſolutionem vt cæremoniam ſacram,& religioſam,non autem vt materialiter ex quibuſdam verbis componitur; ad illam enim vt ſic impendendam, ſeu proferendam, vires naturales cuiuſlibet hominis ſufficerent.

Porro idem à paritate rationis dicẽdum eſt de aliis omnibus ſacramentis: in iis enim adminiſtrandis ſe habet homo vt miniſter poteſtatem habens, non autem vt merus nuncius voluntatem Chriſti referens. Et hæc pro noſtra ſententia ſufficiant, videamus iam quibus argumentis oppoſitam defendant aduerſarij. Potiora ſeligam.

Aduerſus communem hanc veritatem variis modis arguitur. Primò adduci ſolet illud Auguſtini ex tract. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum,& fit ſacramentum.* Ex quo colligunt illa duo ad ſacramentum ſufficere.

Sed malè, nam primò ibi Auguſt. non determinat omnia quæ ſunt neceſſaria ad ſacramen-

tum, ſed tantùm ea ex quibus, vt ex materia, & forma intrinſecè componitur.

Adde quod verbum non accedit ad elementum niſi ex intentione miniſtri,qui ea ſimul coniungit; quæ intentio non debet ferri dumtaxat ad res, & verba materialiter ſumpta, ſed ſub alia quadam ratione veluti formali, vt ante ex mente Concil. Trid. oſtendimus.

Secundò arguitur ex eodem Auguſt. qui lib. 7. contra Donatiſtas cap. 57. videtur dubitare an ſacramentum mimicè,& animo iocandi collatum eſſet validum.

Reſpondeo ideo Aug. ea de re dubitare, quia vt ipſe ait ibidem, in nullo Concil.Regionali,aut plenario,nondum fuerat definitum an Baptiſmus ſine intentione collatus valeret; quod ſi iam viueret Auguſt. & videret apertas definitiones Concil.Florent. & Trident.ſuperiùs allatas, nullatenus de ea re dubitaret, ne dum prædictis definitionibus obſtinatè contradiceret,vt faciunt hæretici.

Tertiò affertur idem Aug. qui tract.5.in Ioan. ait in Baptiſmo ſe non timere ebrioſum,aut adulterum,aut homicidam:quaſi dicat eos omnes baptizare validè, quamuis tamen ebrioſus non habeat intentionem baptizandi.

Sed hoc argumentum friuolum eſt, nam per ebrioſum non intelligit Auguſtin. eum qui actu ebrius eſt, ſed hominem vino deditum, & ebrietati aſſuetum,qui dum rationis vſu potitur validè baptizare poteſt. Et ſanè cum ille qui actu ebrius eſt non agat liberè & humano modo, ſi poſſet rite ſacramentum conficere ad perfectionem ſa-

cramenti nulla requireretur intentio, nequidem illa qua miniſter liberè vult materiam, & formam exteriùs applicare; quod qua ratione verum ſit viderint aduerſarij.

Quartò arguitur ex S. Thom. qui quæſt. 64. 3. partis, art. 8. ad 2. docet in miniſtro ſacramentorum non requiri intentionem, ſed ſatis eſſe ſi verba exteriùs proferantur, cum in illis ſufficienter Eccleſiæ intentio contineatur.

Hoc argumentum difficilè eſt, & non parum torquet diſcipulos S. Thom. qui illum benignè interpretari conantur, ne ſententiam tam abſurdam illi tribuant. Quod ergo prædictus ſenſus à Catharino intentus alienus ſit à mente Sancti Doctoris ſuaderi poteſt primo ex argum. Sed contra, eiuſdem art. 8. vbi ideo probat ad ſacramentum requiri intentionem miniſtri, quia quæ fiunt ſine intentione caſualia ſunt, quod (inquit) non eſt dicendum de operatione ſacramentorum.

Verùm ex hoc loco nihil aliud probatur, quàm ad perfectionem ſacramenti requiri intentionem faciendi opus externum quod facit Eccleſia: hoc enim ſatis eſt vt opus non ſit caſuale, ſed humano modo factum.

Idem etiam probari poteſt ex corp. eiuſdem art. vbi Sanctus Doctor ait ea quæ fiunt in ſacramentis eſſe indeterminata ad varias res ſignificandas, atque adeò per intentionem miniſtri determinanda eſſe ad vnum, nempe ad ſacramentalem effectum.

Sed neque hic locus conuincit, quid enim S. Thom. per illam intentionem intelligat, ipſe

ſtatim ſatis clarè innuit verbis ſequentibus, cum ait. *Et hæc intentio exprimitur, per verba quæ in ſacramentis dicuntur, puta cum dicit, ego te Baptizo in nomine Patris*, &c. Vbi tantùm poſtulare videtur intentionem expreſſam in forma quæ continet intentionem Eccleſiæ: quod valdè conſonat cum iis quæ docet poſtea in ſolut. ad 2.

Tertiò adduci poteſt ſolutio primi argumenti, in qua Doctor Angelicus diſcrimen conſtituit inter inſtrumentum inanimatum, & animatum; quod prius illud non indigeat aliqua intentione, ſed ſola motione principalis agentis; hoc verò poſterius egeat propria intentione qua moueat ſeipſum, & ſe ſubiiciat principali agenti, vt ſcilicet intendat facere quod Chriſtus facit, & Eccleſia.

Verùm hic etiam locus non ita apertus eſt, vt propoſitum efficaciter ſuadeat: nam quando miniſter liberè ſe accingit ad applicandam materiam à Chriſto inſtitutam, & ad proferenda verba quibus hæc materia determinatur, & in quibus Eccleſiæ intentio continetur vt ait S. Tho. tunc ſane dici poteſt mouere ſe ipſum, ſe principali agenti ſubiicere, & facere quod Chriſtus, & Eccleſia faciunt.

Meliùs ergo, ni fallor, deprehendi poteſt mens S. Tho. ex iis quæ ipſe tradit eadem qu. 64. art. 10. in corp. vbi docet expreſsè tolli veritatem ſacramenti, quando miniſtri intentio peruertitur reſpectu ipſius ſacramenti, *Puta* (inquit) *cum aliquis non intendat ſacramentum conferre, ſed deriſoriè aliquid agere.* Si autem vera eſſent quæ illi impingit Catharinus, ſacramentum valeret ſi

miniſter debitam formam, & materiam applicaret; æſto animo iocandi id faceret, neque vllam haberet intentionem conferendi ſacramentum. Cum ergo in illo art. 10. oppoſitum perſpicuè doceat, credendum eſt in ſolut.ad 2.art.8.eum non eſſe locutum in ſenſu quem intendit aduerſarius.

Vt autem perſpicuum ſit quænam ibi ſit illius mens, cum ait intentionem Eccleſiæ, quæ exprimitur in verbis formæ, ſufficere ad perfectionem ſacramenti: videndum eſt quodnam fuerit argumentum cui in illa ſolutione reſpondet. Porro argumentum illud ea ratione probat non eſſe neceſſariam miniſtri intentionem ad perfectionem ſacramenti, quia cum non poſſit homini intentio alterius innoteſcere, nemo ſcire poſſet an verè ſacramentum ſuſcepiſſet, & ita nullus poſſet habere certitudinem ſalutis.

Reſpondet autem S.Thom. in verbis quæ miniſter profert exprimi intentionem Eccleſiæ,quæ ſufficit ad perfectionem ſacramenti, niſi contrarium exteriùs exprimatur: quod ita debet intelligi vt ſenſus ſit, tunc ſacramentum æſtimandum eſſe perfectum quoad moralem certitudinem, quando miniſter verba profert, nec ſuam prauam intentionem exteriùs manifeſtat: hoc enim ſufficit ad pacandas conſcientias eorum qui ad ſacramenta accedunt; & Eccleſia quæ non iudicat de occultis, tale ſacramentum approbat, & pro rato habet. Quod ſi prædicta verba intelligerentur de perfectione ſacramenti in ſe, S. Thom. non ſatisfaceret argumento propoſito, quod procedit, non tam de ipſis ſacramentis,

quam de certitudine veritatis illorum vt notum eſt.

Quintò obiicitur in agente inſtrumentario requiri ſolam intentionem cauſæ principalis, cum enim quis per ſeruum vult alteri donare equum, ſatis eſt quod Dominus velit transferre equi dominium, etſi ſeruus id non intendat: atque eodem modo ad perfectionem ſacramentorum non eſſe neceſſariam intentionem miniſtri, ſed Chriſti dumtaxat.

Reſpondeo, duobus modis poſſe vnum hominem eſſe inſtrumentum alterius, primò ſecundum membra corporea, & potentias ſentientes: ſecundò quantùm etiam ad intellectum, & rationem, ita vt actio illius relicta ſit arbitrio. Qui eſt inſtrumentum priori modo, miniſterium ſuum exercere poteſt etſi nullam habeat intentionem niſi faciendi opus externum, vt patet v. c. in ſeruo qui iuſſu ſui Domini alteri equum tradit. In inſtrumentis autem poſterioris generis non ſufficit ſola operis externi executio, ſed inſuper requiritur intentio agendi iuxta præſcriptum cauſæ principalis.

Quò fit vt ſi Dominus nollet transferre dominium equi niſi ſeruo volente, & conſentiente, defectus intentionis in ſeruo impediret tranſlationem dominij. Et idem exiſtimandum eſt de miniſtris ſacramentorum, qui ita ſunt inſtrumenta Chriſti ſecundum intellectum, & voluntatem, vt Chriſtus nolit conferri validè ſacramentum, niſi dependenter ab eorum intentione, ſeu voluntate, vt ſatis conſtat

ex iis quæ hactenus in medium à nobis adducta ſunt.

Sextò poteſt quis obiicere in hunc modum: Res ad ſignificandum impoſita, ſi exhibeatur veram habet rationem ſigni, nullo habito reſpectu ad intentionem exhibentis: ergo ſi miniſter applicet formam ad materiam ſacramenti, cum hæc ſint à Chriſto ad ſignificandam rem ſacram impoſita, verum fiet ſacramentum nulla habita ratione intentionis miniſtri.

Reſpondeo primò, hac ratione probari ad veritatem ſacramenti nullam omnino intentionem etiam faciendi opus externum eſſe neceſſariam, ſed ſatis eſſe ſi caſu, & fortuito materia, & forma ſimul concurrant; vt ſi ebrius, aut amens aliquem abluendo dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti.*

Imo ex ea ſequeretur ratum eſſe ſacramentum ſi vnus aquam infunderet, & alter verba formæ proferret; quia in vtroque caſu exhiberentur, ſaltem materialiter, materia, & forma quæ ad ſignificandum à Chriſto ſunt inſtitutæ.

Reſpondeo ſecundo, rem ad ſignificandum impoſitam tunc habere rationem ſigni, quando exhibetur eo modo quo eſt inſtituta ad ſignificandum; res autem & verba ſacramenti ſunt impoſita ad ſignificandum, quando exhibentur, & applicantur humano modo, & cum intentione faciendi quod Chriſtus inſtituit: quare hoc tantùm modo habent rationem ſigni, & ſacramenti: & ſine hac intentione non poteſt dici miniſtrum applicare formam ad materiam; quia verba ſacramenti non habent rationem formæ, ſi ſumantur

aut materialiter, aut quatenus rem aliquam prophanam ſignificant, ſed tantùm vt ſunt ſignificatiua rei ſacræ, quod citra miniſtri intentionem illis nequaquam competit.

Denique obiicitur Baptiſmum ab Athanaſio, dum puer eſſet, ioco collatum iudicatum fuiſſe ratum; item Baptiſmum à Geneſio mimicè acceptum: in his autem exemplis miniſtros baptiſmi attendiſſe ſolum ad rem externam, nempe ad ablutionem corpoream.

Reſpondeo, duobus modis fieri poteſt vt quis ioco ſacramentum adminiſtret. Primò, ita vt intendat tantùm iocari, vel ſimulare, non autem ſacramentum conferre: Secundò, ita vt verè intendat ſacramentum perficere, idque præſtare quod facit Eccleſia, quamquam non ſine ioco, aut leui aliqua recreatione animi. Sacramentum priori modo collatum nullum eſt, poſteriori vero ratum cenſetur. Vnde baptiſmus ab Athanaſio collatus validus fuit, quia ipſe vt poſtea confeſſus eſt, intendebat facere quod viderat Epiſcopum Alexandrinum facientem, eſto actionem illam ad recreationem quandam animi, vt ad finem extrinſecum referret.

Quod ſpectat ad Geneſium, dico eum coram Diocletiano Chriſtianorum ſacra irridentem, ſubitò conuerſum fuiſſe, & baptiſmum non ioco, ſed ſincero animo petiiſſe vt nonnulli docent ex Antonino 1. parte hiſt. tit. 8. cap. 1. §. 19. Hiſtrionem verò qui eum baptizauit, etſi iocosè agentem, imitatum fuiſſe Chriſtianos, quorum ritus tunc irridebat, intendendo facere quod illi præſtare ſoliti erant.

SECTIO

# SECTIO V.

*In qua proponitur & refellitur ſententia cuiuſdam recentioris de intentione Miniſtri ſacramentorum.*

## SVMMARIVM.

*Ad perfectionem ſacramenti non ſufficit quod miniſter habeat intentionem practicam, & externam; ſed præterea requiritur interna, & ſpeculatiua vt euidenter colligitur ex Concil. Trident. damnante hæreticos, quod non admittant vt neceſſariam intentionem faciendi quod facit Eccleſia.*

PRæcedenti ſectione abſoluta incidi in opera alicuius recentioris qui diſp. 1. de ſacram. in genere, quæſt. 6. in fine dicit Catholicos omnes vnanimi conſenſu docere, ad veritatem ſacramenti requiri in miniſtro intentionem faciendi quod facit Eccleſia. In ſequenti vero quæſt. inquirit, quænam ſit intentio faciendi, quod facit Eccleſia, cui difficultati reſpondet adhibita diſtinctione: ait enim duplicem eſſe poſſe intentionem in miniſtro ſacramentorum, vnam ſpeculatiuam in intimis eius præcordiis reſidentem, de qua nullum prorſus veſtigium exteriùs apparet: aliam ad praxim redactam, & in actum externum proſilientem; & priorem dicit nec obeſſe, nec prodeſſe in ſacramentis conferendis; poſteriorem verò ad eorum perfectionem ſufficere.

Ex his, & ſequentibus patet, in ſententia huius authoris, vt quis dicatur habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia, ſatis eſſe ſi faciat opus externum quod facit Eccleſia, & hanc intentionem ſufficere ad ſacramentum, internam verò, etſi fortè externæ contrariam, ſacramento non obeſſe, niſi ſigno aliquo exteriori manifeſtetur.

Hæc ſententia cum eadem ſit quoad ſenſum cum ea quam ſectione præcedenti impugnauimus, iiſdem argumentis refelli poteſt. Illud ſolum obſeruandum eſt, non ſatis conſequenter loqui præfatum authorem, cum ait interiorem illam, & ſpeculatiuam intentionem obeſſe ſacramento, ſi exteriùs manifeſtetur, non autem ſi penitus lateat, etſi fortè in ſe intentioni externæ ſit contraria. Nam ſic argumentor: vel illa intentio ſpeculatiua eſt contra ſubſtantiam ſacramenti, vel non; ſi eſt contra ſubſtantiam ſacramenti, ea ſine dubio impedit ſacramentum, etſi exteriùs non manifeſtetur. Si verò non eſt contra ſacramenti ſubſtantiam, externa illius manifeſtatio non impediet quin verum, & ratum ſit ſacramentum, cum illa manifeſtatio non augeat defectum intentionis internæ aut ex accidentali illum mutet in ſubſtantialem, ſed dumtaxat illum exteriùs indicet.

Neque opus eſt vt nobis opponat in præfat. ſui operis S. Tho. dicentem 3. parte, quæſt. 64. art. 8. intentionem Eccleſiæ, quæ exprimitur in verbis à miniſtro prolatis, ſufficere ad ſacramenti perfectionem, niſi contrarium exteriùs exprimatur ex parte miniſtri.

Iam enim ſupra oſtendimus S. Doctorem ibi non loqui de perfectione ſacramenti in ſe,ſed de veritate illius quantùm ad exiſtimationem hominum, ita vt ſenſus ſit ſacramentum in foro exteriori cenſeri irritum,quando miniſter oſtēdit exteriùs ſigno aliquo ſe non habere intentionem ſacramentum conferendi: quod ſi miniſter prauam illam intentionem exteriùs non manifeſtaret, ſacramentum quidem in ſe eſſet irritum, ratum tamen haberetur in foro exteriori, quandoquidem Eccleſia non iudicat de interioribus, & ſupponit ſemper adeſſe intentionem, quando materia, & forma à miniſtro adhibentur neque vllum datur ſignum exterius prauæ intentionis:& hoc ſufficeret ad pacandas hominum conſcientias.

Et ſanè quod iſte ſit verus ſenſus S. Tho. perſpicuum eſt ex art. 10. eiuſdem quæſt. vbi docet intentionem non conficiendi ſacramentum tollere veritatem illius, præcipuè quando miniſter intentionem ſuam exteriùs manifeſtat. Vbi notandum eſt vocabulum illud,*præcipuè*,quod indicat prauam quidem intentionem internam ſufficere ad irritandum ſacramentum, etſi exteriùs non pateat;at verò quando illa intentio ſigno aliquo exteriori declaratur,tunc maximè cenſeri irritum ſacramentum:quia non tantùm nullum eſt in ſe,ſed etiam in foro externo,& coram Eccleſia tale iudicatur.

Videamus iam quibus argumentis ſententiam ſuam probet prædictus Theologus. Primum ſit Cum miniſter ſponte determinatis rebus, & verbis vtatur, ſatis exteriùs oſtendit ſe velle facere quod facit Eccleſia; & illa intentio ſuf-

ficit vt ſacramentum ab illo collatum ratum habeatur ab Eccleſia, quæ non iudicat de interioribus.

Reſpondeo hac ratione ſolum concludi miniſtrum ſacramentorum liberè applicantem materiam, & formam, habere intentionem faciendi exteriùs quod Eccleſia facit; ſed ea non probatur eiuſmodi intentionem ad perfectionem ſacramenti ſufficere: quod enim Eccleſia ſacramentum eo modo collatum ratum habeat, hoc non oſtendit ſacramentum in ſe eſſe perfectum, ſed ad ſummum validũ reputari in foro exteriori, quandiu non conſtat de praua miniſtri intentione. Et ſanè ſi miniſter poſtea fateatur ſe non habuiſſe intentionem conferendi v. c. verum ſacramentum baptiſmi, repetendus erit denuò baptiſmus, quod aperto indicio eſt priorem baptiſmum numquam fuiſſe in ſe ratum, & validum, eſto materia, & forma baptiſmi à miniſtro liberè operante applicatæ fuerint.

Secundum argumentum. Miniſter gerit vices, & perſonam Eccleſiæ; ſed Eccleſia iudicat eum eſſe verè baptizatum: ergo miniſter per intentionem internam ipſi Eccleſiæ non conformẽ, ſi habeat externam illi conformem, ſacramentum irritare non poteſt; præſertim cum virtus eius extra actionem externam ſeſe non extendat.

Reſpondeo primo, illum propriè non gerere perſonam Eccleſiæ qui non habet intentionem conformem intentioni Eccleſiæ: & quamuis faciat exteriùs quod facit Eccleſia, hoc non ſatis eſt vt reuera hîc, & nunc gerat vices Eccleſiæ; ſed tantùm vt in foro exteriori eas gerere videatur:

atque adeo hoc ſufficit vt ſacramentum ab illo collatum reputetur validum, non tamen vt tale ſit.

Reſpondeo ſecundo, virtutem, & poteſtatem quam à Chriſto accipiunt ſacramentorum miniſtri, extendi non tantùm ad opus externum, & materiale, quod ex rebus quibuſdam naturalibus coaleſcit; ſed etiam ad ipſum ſacramentum, quod eſt quid myſticum, & ſupernaturale, ita vt poſſint applicando materiam, & formam ſacramentum conficere, ſi reuera illud conficere intendant: ſecus ſi talem intentionem non habeant. Vnde non mirum eſt ſi deficiente eiuſmodi intentione ſacramentum nullum ſit; eſto materia, & forma adhibeantur exteriùs.

Tertium argumentum. Quando præcipuum agens debitè applicatur paſſo rectè diſpoſito, ſequitur effectus: ſed Deus in ſacramentis eſt potiſſimum agens; ergo ſi ſuſcipiens debitè ſit ipſi applicatus per miniſtrum operantem in perſona Eccleſiæ, ſequetur effectus ſacramenti.

Reſpondeo, non cenſeri ſuſcipientem debitè applicatum Deo, niſi quatenus illi applicatur per miniſtrum operantem ex intentione faciendi quod Chriſtus inſtituit, & facit Eccleſia; qualem intentionem non habet ille qui ſponte materiam, & formam adhibens, non intendit verum ſacramentum conferre, vt ſatis ex Concil. Trid. ſect. præcedenti oſtenſum eſt.

Quartum argumentum. Quando duo agentia inter ſe pugnant, quod fortius eſt effectum ſuum

ſortitur, alio licet repugnante; ſed exterior intentio eſt fortior quia Deus concurrit cum ipſa, & ſi deficeret defectum ſupleret; & præterea procecedit ad opus, ergo licet interior repugnet, verum fiet ſacramentum.

Reſpondeo, intentionem externam ſuum ſortiri effectum interna reluctante, quatenus efficit opus externũ ſacramenti materialiter ſpectatum; ſed inde non ſequitur ea ſola intentione fieri verum ſacramentum; quandoquidẽ hoc etiam opus eſt intentionis internæ, quæ ſuum influxum præbere debet: ſicut ergo in rebus naturalibus effectus qui dependet à duobus agentibus non fit à ſolo fortiori, ſi aliud concurſum ſuum deneget; ita licet intentio externa eſſet fortior interna, ea tamen ſola non eſſet ſufficiens ad perficiendum ſacramentum; quia talis effectus ab vtraque intentione procedere debet.

Neque refert quod Deus concurrat cum intentione externa, cum illa enim concurrit vt cauſa vniuerſalis, concurſu quodam generali, ad actionem materialiter ſpectatam, non autem formaliter vt eſt actio ſacra, niſi adſit interna intentio.

Quod autem addit prædictus author Deum ſuplere defectum intentionis externæ, valde imaginarium eſt; ſequeretur enim ex illius ſententia nullam intentionem ad perfectionem ſacramenti abſolutè eſſe neceſſariam, quod nimis durum eſt.

Quintum argumentum. Opus potius ſequitur praxim, quam ſpeculationem: cum ergo intentio qua miniſter procedit ad opus ſit practica, inter-

na verò qua opus reſpuit, ſit ſpeculatiua; actus externus debet potius pendere ab intentione practica, quam à ſpeculatiua.

Reſpondeo hoc totum facilè concedi poſſe; non enim negamus opus externum pendere ab intentione practica, ſed dicimus eiuſmodi opus non ſortiri veram rationem ſacramenti, niſi intentioni externæ iungatur interna, celebrandi myſterium quod Chriſtus inſtituit, & celebrat Eccleſia.

Sextum argumentum. Qui interiùs idola deteſtatur, ſi ſponte accedat ad illa colenda, verus cenſetur idololatra: ergo à contrario, ſi quis ſponte materiam, & formam ſacramenti adhibeat, verum ſacramentum confeciſſe cenſebitur, etſi ſacramentum adminiſtrandi animum non habeat.

Reſpondeo non eſſe parem rationem, quia, vt aiunt, bonum ex integra cauſa, malum autem ex quolibet defectu: quamuis ergo dicatur idololatra qui exteriùs ſponte idola colit, non tamen ille dicetur perfeciſſe ſacramentum, qui intentionem illud conficiendi non habuerit.

Septimum argumentum. Quod dare non poteſt miniſter, nec poteſt auferre; ſed non poteſt conferre ſacramentum per ſolam intētionem internā, ergo nec per ſolam internā auferre poteſt.

Reſpondeo. Non ſequi, ideo enim intentio ſola non ſufficit ad ſacramentum, quia materia, & forma ad internam illius conſtitutionem pertinent: ideo autem intentio ſola reluctans ſacramentum irritat, quia impedit quominus miniſter adhibeat ea omnia quæ ad eſſentiam ſacramenti pertinent: vt enim ante diximus, bo-

num ex integra cauſa, at verò malum ex quolibet defectu oritur.

Octauum argumentum. Miniſter Sacramentorum virtutem ſuam exercere non poteſt vltra actum exteriorem, quia dare interiorem characteris & gratiæ, ſolius Dei eſt: ergo non videtur per intentionem internam actum internum Dei præpedire poſſe.

Reſpondeo. Miniſter ſacramentorum habet poteſtatem, non tantùm efficiendi opus externum, quod in applicatione externa, & materiali rerum, & verborum conſiſtit; ſed etiam conficiendi ſacramentum ſeu ſignum viſibile gratiæ inuiſibilis: ſicut autem eſt cauſa inſtrumentaria ſacramenti, ita in eodem genere cauſæ producit characterem, & gratiam, non per ſe immediatè, ſed per ipſum ſacramentum: quare ſi nolit ſacramentum conficere, ſacramentum nullum erit, nulluſque ex conſequenti ſacramenti effectus, quod mirum videri non debet, cum hoc totum pendeat ex inſtitutione Dei, qui ita virtutem ſuam ſacramentis alligauit, vt nolit characterem conferre niſi per ſacramenta, neque ad veritatem ſacramenti concurrere, niſi miniſter illud conficere intendat.

Nonum argumentum. Sicut ſe habet bona intentio ad conſtituendum ſacramentum, ita & mala ad illud deſtruendum: ſed bona interiùs latens non conſtituit ſacramentum, ſi contrarium exerceatur exteriùs, ergo mala non deſtruit ſacramentum, quando exercetur exterius quidquid ab Eccleſia fieri ſolet.

Reſpondeo iam nos ſatisfeciſſe huic argumento. Ratio enim cur bona intentio non ſufficiat ad perfectionem ſacramenti, ſi cætera deſint ex parte materiæ, vel formæ: & defectus intentionis ſacramentum irritet, etſi reliqua adſint, ea eſt, quia vt aiunt Philoſophi, plus deſtruit negatio, quam ponat affirmatio: ſeu quia, vt dixi, bonum ex integra cauſa coaleſcit, malum autem ex minimo defectu oritur.

Decimum argumentum. Intentio cauſæ ſecundæ non poteſt impedire actionem primæ, quando actus eſt legitimè exercitus; ergo miniſter non poteſt impedire effectum Dei, ſi actus fuerit legitimè, iuxta ritum Eccleſiæ, exercitus.

Reſpondeo, intentionem cauſæ ſecundæ tunc impedire poſſe effectum primæ, quando prima non vult agere niſi media intentione ſecundæ, vt contingit in propoſito: & quamuis applicentur exteriùs materia, & forma; actus tamen non poterit dici legitimè exercitus, quamdiu non adderit intentio interna conficiendi ſacramentum, & faciendi quod facit Eccleſia.

Vndecimum argumentum. Quando Chriſtus diſcipulos ad prædicandum miſit, nullam prorſus fecit mentionem internæ intentionis, ſed ſolum externæ qua procederent ad baptizandos homines: ergo hæc ſola ad ſacramentum ſufficit.

Reſpondeo primo negando conſequentiam, argumentum enim à negatione non valet vt norunt omnes: aliàs ſi neganda eſſent omnia quæ in ſcriptura non continentur, nulla habenda eſſet ratio eorum quæ per traditionem didici-

mus, quod nullus Catholicorum dixerit.

Reſpondeo ſecundo, ſatis apertè ex Scriptura ſacra colligi neceſſariam eſſe in miniſtris ſacramentorum intentionem internam: vocantur enim Iudices, & diſpenſatores myſteriorum Dei, vt manifeſtum ſit eos non ſe habere vt meros nuncios, quibus commiſſa eſt nuda executio talis operis; ſed vt diſpenſatores, & Iudices, qui cum aliqua authoritate, & interno animi propoſito myſteria diuina diſpenſant.

Duodecimum argumentum. Concil. Trident. & Florent. nullam aliam requirunt intentionem quam faciendi quod facit Eccleſia: ſed ex S. Thom. & alijs grauiſſimis authoribus viſum eſt, intentionem faciendi quod facit Eccleſia ſatis exprimi in verbis formæ, & per actum externum legitimè exercitum; ergo talis intentio ad valorem ſacramenti ſufficit.

Reſpondeo, certum eſſe nullam aliam requiri à prædictis Concilijs intentionem, quam faciendi quod facit Eccleſia: quamuis autem nulli authores ad eiuſmodi intentionem nihil aliud requirant quam intentionem faciendi opus externum, non tamen ea fuit opinio S. Thom. vt ſatis ex ante dictis perſpicuum relinquitur: & quamuis aliter S. Doctor opinatus fuiſſet nunc tamen poſt Concil. Trident. ea opinio non eſſet tuta in fide vt multi grauiſſimi Theologi aduertunt.

# SECTIO VI.

*Qualis debeat eſſe intentio miniſtri vt ſacramentum teneat.*

### SVMMARIVM.

*Vt ſacramentum teneat intentio actualis non eſt neceſſaria, adhiberi tamen debet ſi fieri poteſt, quia eſt omnium optima. Habitualis verò non ſufficit, quod ſimiliter aſſerendum eſt de interpretatiua. Si autem abſit actualis, virtualis adhiberi debet, eaque abſoluta.*

EX præcedentibus ſectionibus conſtat, ad validitatem ſacramenti opus eſſe vt miniſter intendat facere ſacramentum, aut quod Chriſtus inſtituit, vel aliquid æquiualens. Iam de qualitate illius intentionis diſceptamus. Nam cum alia ſit intentio actualis, alia habitualis, alia interpretatiua, itemque alia conditionata, alia abſoluta; quæri poteſt quænam illarum ad ſacramentum neceſſaria ſit, aut ſufficiat.

Prima aſſertio. *Vt ſacramentum ſit ratum, intentio actualis non eſt neceſſaria.* Ita omnes Theologi. Ratio eſt, quia intentio actualis illa dicitur quæ habetur actu quando perficitur ſacramentum, quatenus ſcilicet miniſter actu aduertit quid agat, attendens ad verborum ſignificationem, & materiam cum debita reuerentia tractans, &c.

non eſt autem in poteſtate hominis talem ſemper attentionem habere, propter occurrentes varias cogitationes, quibus nonnunquam animus illius, velit, nolit, diſtrahitur.

Curandum tamen eſt vt actualis illa intentio in ſacramentorum adminiſtratione, quantum fieri poterit, adhibeatur, quia eſt omnium perfectiſſima, & nobiliori modo influit in actus humanos, vt verum principium illorum.

Secunda aſſertio. *Ad validitatem ſacramenti intentio habitualis non ſufficit.* Explicatur & probatur iſta aſſertio. Ad intentionem habitualem multa requiruntur. Primò, vt intentio actualis aliquando præceſſerit. Secundò, vt eiuſmodi intentio per actum contrarium non ſit reuocata: Tandiu enim voluntas ſemel habita cenſetur habitualiter manere, quandiu non eſt reuocata. Tertiò, vt prima illa intentio nullo pacto influat in effectum, quia homo illius non recordatur, neque illa per ſe, vel per aliquid ſui eſt cauſa operis; in quo hæc intentio habitualis à virtuali diſtinguitur, vt ex dicendis perſpicuum fiet.

Quod igitur habitualis iſta intentio ad perfectionem ſacramenti non ſufficiat, ea ratione probatur; quia actus ſacramentalis eſt humanus, & ex iudicio rationis procedens vt ſupra oſtendimus; aliàs nulla eſſet ratio cur ſacramenta à brutis adminiſtrari non poſſent: at verò actus habitualiter tantùm voluntarius, non eſt humanus, & rationalis, cum à dormiente, vel mente capto fieri poſſit: non ergo intentio habitualis ad perfectionem ſacramenti poteſt ſufficere.

Dices 1. S. Thom. 3. part. quæſt.64. art. 8.

ad 3. docet intentionem illam habitualem ſuffi-
cere.

Reſpondeo, illum per intentionem habitualem, virtualem intelligere, vt ipſe ibidem ſeſe explicat dicens. *Puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Eccleſia; vnde ſi poſtea in ipſo exercitio actus, cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur ſacramentum.*

Cæterùm ideo S. Thom. intentionem virtualem vocauit habitualem, vel vt ſe accommodaret communi loquendi vſui Doctorum ſui temporis, qui intentionem omnem non actualem, habitualem vocabant: vel quia intentio virtualis aliqua ratione perſeuerat, & operatur per modum habitus qui ceſſante actu remanet.

Dices 2. ſi quis antequam iuit cubitum, habuit intentionem ſuſcipiendi baptiſmum, & poſtea cum dormit baptizetur, baptiſmus tenet: quod ſimiliter dicendum eſt de illo qui poſt prædictam intentionem incidit in amentiam: ſi ergo intentio habitualis ſufficit ad valide ſuſcipiendum baptiſmum, cur non etiam ad eum valide adminiſtrandum ſufficiet?

Reſpondeo, diſparem eſſe rationem, quia aliter ſe habet ad ſacramentum intentio miniſtri, aliter intentio ſuſcipientis. Intentio miniſtri ſe habet aliqua ratione vt principium actiuum, atque adeo per ſe, vel per virtutem aliquam à ſe relictam in opus influere debet; intentio verò ſuſcipientis ſe habet veluti materialiter per modum cuiuſdam diſpoſitionis quæ obicem tollit, ſeu quâ fit vt ſubiectum ſit non repugnans ſacramento.

Idem porro affirmandum eſt de intentione quam interpretatiuam vocant, acde habituali: dicitur enim intentio interpretatiua, quando quis vult effectum ſuum aliquem in ſua cauſa dumtaxat, vt dum aliquis de induſtria ſe inebriat, exiſtimans ſe ebrium in hoſtem violentas manus iniecturum; & talis effectus ſecutus dicitur ebrio interpretatiuè ſeu indirectè, vel in cauſa voluntarius. Quod ergo hæc intentio non ſufficiat patet, quia actio ſacramentalis, vt dixi, debet eſſe in ſe humana & voluntaria; actus autem voluntarius tantùm interpretatiuè non eſt humanus nec propriè voluntarius, cum non eliciatur à voluntate, humano, & rationali modo agente.

Tertia aſſertio. *Intentio ſaltem virtualis neceſſaria eſt, & ſufficit ad valorem ſacramenti.* Sequitur ex dictis, intentio enim actualis non eſt neceſſaria, habitualis non ſufficit: ergo deficiente actuali intentione virtualis eſt neceſſaria, eaque ſufficit.

Vt autem hoc intelligas, aduerte ad virtualem intentionem nonnulla requiri. 1. vt quando fit opus non adſit actualis intentio. 2. vt ea actualis intentio præceſſerit. 3. vt præceſſerit initio actionis quæ fit vel alterius ex qua hæc poſterior dependet: ſic enim actualis intentio dicitur manere, non in ſe, ſed in aliquo ſuo effectu, atque adeo virtute. 4. requiritur vt actualis intentio quæ præceſſit, non ſit retractata per contrariam voluntatem.

Ex quo patet diſtinctio inter intentionem virtualem, & habitualem: quod in virtuali, actualis remanet per aliquid ſui, ſeu per effectum, aut vir-

tutem à ſe relictam, ratione cuius dicitur mouere ad operationem; in habituali verò actualis non remanet per aliquid ſui, ſed ſatis eſt quod præceſſerit, nec ſit reuocata.

Quarta aſſertio. *Ad valorem ſacramentorum (ſi matrimonium excipias) non ſufficit intentio conditionalis, niſi ea ſtatim in abſolutam reſoluatur.* Ratio eſt, quia ſicut propoſitio conditionalis nihil ponit in eſſe, ita voluntas conditionalis, quandiu talis eſt, manet ſuſpenſa, & nihil operatur, ſed tantùm abſoluta: vt ergo ſit efficax, debet tranſire in abſolutam, quod fit poſita in actu conditione.

Hinc ſi quis dubitans an puer ſit baptizatus, ei baptiſmum conferat appoſita conditione de præſenti, vel de præterito, ſi non eſt, aut fuit baptizatus, baptiſmus tenet, ſi talis conditio vera eſt; quia nimirum poſita hac conditione, prædicta intentio conditionalis iam fit abſoluta. Si vero illa conditio non exiſtit, id eſt, ſi puer reuera baptizatus fuit, intentio miniſtri deſtruitur, & nullum fit ſacramentum.

Quod ſi quis ſacramentum conferat ſub conditione de futuro, nihil fit. Quia etſi tunc adſit materia, & forma ſacramenti; deeſt tamen intentio miniſtri qui non vult pro eo tempore ſacramentum conficere. Poſtea verò quando ponitur conditio in eſſe, materia, & forma ſacramenti non adſunt; quare nec tunc poteſt ſacramentum validè perfici. Hinc nihil efficies ſi dicas, *Ego te abſoluo a peccatis tuis, ſi craſtina die orationem Dominicam recites.* Et ſic de alijs.

Et hoc verum eſt, non tantùm de conditione futura contingenter, ſed etiam de neceſſaria; quia

ſtrictè loquendo, qui vult aliquid ſub conditione futura, quæcunque ſit, non cenſetur velle rem illam poni in eſſe donec impleatur conditio: vnde qui ſub hac forma hominem abſoluit, *Ego te abſoluo, &c. ſi huic diei nox ſucceſſerit*, in rigore ſuſpendit eſſe abſolutionis vſque ad noctem futuram.

Quod ſi, vt communiter præſumi ſolet, conditionem illam apponat, non tam vt ſuſpendat effectum, quam vt voluntatem ſuam meliùs exprimat, ita vt ſenſus prædictorum verborum talis ſit, *Tam certo te abſoluo, quàm certum eſt huic diei noctem ſucceſſuram*, hoc modo ſacramentum valere poterit. Verùm intentio miniſtri non eſt iam propriè conditionalis, ſed abſoluta.

Excipiendum tamen eſt vt dixi, ſacramentum Matrimonij ab hac communi aliorum ſacramentorum lege, quia matrimonium tanquam partem ſui eſſentialem includit conſenſum internum exteriùs expreſſum; conſenſus autem factus ſub conditione de futuro, veluti ſuſpenſus manet neque habet ſuum eſſe completum, ſeu rationem conſenſus abſoluti, donec impleta ſit conditio, & conſequenter ipſum ſacramentum Matrimonij tandiu eſt veluti pendens, & in fieri, nec cenſetur integrè poſitum; quia quæ ad eſſentiam illius pertinent, integrè non ſunt poſita. Alia vero ſacramenta conſiſtunt in quibuſdam actionibus externis, quæ à conditione futura pendere non poſſunt: aliàs ſi quis baptiſmum conferret ſub futura conditione, ablutio eſſet veluti in fieri donec poneretur conditio, eâque poſitâ, aut non poſitâ, diceretur etiam poſita, aut non poſita ablutio, quod ridiculum eſt.

SECTIO

# SECTIO VII.

*An error materiæ, vel perſonæ intentionem miniſtri, atque adeo ſacramentum vitiet.*

## SVMMARIVM.

*Intentio miniſtri verſari debet circa materiam, vel perſonam præſentem, ita vt error perſonæ non irritet ſacramentum, ſi miniſter intendat illud adminiſtrare ei quam præſentem habet, dummodo illa ſit capax ſacramenti collati, & quæſtio ſit de ſex prioribus ſacramentis, non autem de matrimonio quod errorem ſubſtantialem circa perſonas contrahentes ferre non poteſt.*

PRior aſſertio. *Intentio miniſtri verſari debet circa materiam, vel perſonam præſentem phyſicè, aut moraliter.* Ratio eſt, tum quia intentio miniſtri debet ferri in id quod à formis ſacramentorum deſignatur, illæ autem materiam, vel perſonam præſentem determinant; vt patet in forma baptiſmi, *Ego te baptizo*, & in forma pœnitentiæ, *Ego te abſoluo*, & ſic de alijs: tum quia intentio miniſtri debet eſſe efficax, & operatiua ad extra; operatio autem externa, & tranſiens fertur in ſubiectum aliquod præſens, & determinatum.

Poſterior aſſertio. *Error ſubſtantialis perſonæ non irritat ſacramentum in ſex prioribus ſacra-*

*mentis*, *ſed in ſolo matrimonio.* Explico, qui baptizans Petrum, putat ſe baptizare Ioannem, & dicit; *Ioannes, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, valide baptizat & idem affirmandum de eo qui baptizat puellam exiſtimans ſe baptizare puerum.

Et ratio eſt, quia miniſter directè intendit baptizare infantem quem præſentem habet, quemque ex errore arbitratur eſſe Ioannem, cum tamen ſit Petrus, vel Catharina: vnde quando dicit, *Ioannes ego te baptizo*, &c. ſenſus eſt, *Ego baptizo te Petrum, vel Catharinam, quam Ioannem eſſe exiſtimo.*

Quo loco tria breuiter obſeruanda ſunt. Primò, aſſertionem iſtam intelligendam eſſe de errore, qui contingit circa perſonam capacem ſacramenti collati; ſi enim Epiſcopus, verbi cauſa, tentaret ordinare fœminam, putans eam eſſe virum, eiuſmodi error ſacramentum irritaret: quandoquidem fœminæ iure diuino ſunt incapaces ordinationis, vtpote quibus nec liceat loqui in Eccleſia ex 2. Timoth. 2.

Quod ſi olim nonnullæ fœminæ dictæ ſunt Diaconiſſæ, aut Preſbiteræ, aut Epiſcopæ; hoc ideo factum eſt, quia illorum mariti facta iam thori ſeparatione, electi ſunt in Diaconos, Preſbiteros, & Epiſcopos, de qua re aliàs.

Secundò aduerte, dictam aſſertionem tunc tantùm eſſe veram, quando miniſter verè intendit baptizare perſonam præſentem, etſi non ea ſit quam ipſe exiſtimat, ſed ſit alia: vnde ſi contingat eum non habere intentionem batizandi, aut abſoluendi alium quam Ioannem;

& baptizet, vel abſoluat Stephanum, aut Catharinam; baptiſmus non valet, & nulla eſt abſolutio.

Cæterùm eiuſmodi intentio vix à peccato excuſari poteſt, propter periculum cui ſe miniſter exponit nihil faciendi: nullum tamen erit peccatum, ſi iuſta cauſa ſubſit intentionem limitandi ad certam perſonam, excludendo alias; vt ſi, verbi cauſa, in collatione ordinum periculum eſſet ne vna perſona, quam non expediret ordinare, ſupponeretur pro alia.

Tertiò. Nota hoc eſſe diſcrimen inter matrimonium, & reliqua ſacramenta; quod error ſubſtantialis perſonæ matrimonium etiam contractum irritum reddit. Matrimonij ſiquidem vinculum ex mutuo contrahentium conſenſu oritur, & ipſi contrahentes directè intendunt matrimonio coniungi tali perſonæ, excluſis alijs omnibus; quare ſi error contingat circa eiuſmodi perſonam, ita vt Lia ſupponatur Racheli, matrimonium non tenet. De qua re aliàs latiùs.

Vnum eſt quod aduerſus priorem partem noſtræ aſſertionis poteſt obijci, nimirum exemplum cuiuſdam fœminæ Luſitanæ, quæ teſte Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 5. art. 8. cum eſſet iam prouectæ ætatis, in virum, veluti altera Iphis, conuerſa fuit: ex conſilio autem quorundam Theologorum baptiſmus iterum illi collatus fuit; quod argumento eſt errorem perſonæ ſacramentum irritare.

Reſpondet idem Soto rebaptizationem illam fuiſſe ſacrilegam, & tantùm nomen fœminæ in nomen viri commutandum fuiſſe. Theologos

verò illos qui conſilium rebaptizandi dederant, ex eorum fuiſſe numero qui Theologiam non ex proprijs rationibus, ſed mera extraneorum authoritate tractant.

---

## SECTIO VIII.

*An Deus ſupleat defectum intentionis.*

### SVMMARIVM.

*Quando miniſter proferendo formam nullo pacto habet intentionem conficiendi ſacramentum, tunc ſacramentum nullum eſt, & Deus illius defectum non ſuplet. Quod ſi inter pronunciandum aliquod verbum eſſentiale non habeat debitam intentionem, irritum eſt ſacramentum, etſi in reliquis rectam intentionem habeat: ſecus autem euenit, ſi careat intentione debita dum profert tantùm verbum aliquod accidentale.*

DVobus modis fieri poteſt vt intentio miniſtri ſacramentorum deficiat. Primò, ita vt omnino deficiat, ſeu totaliter; quatenus miniſter quandiu materiam, & formam adhibet, nullo pacto intendit ſacramentum perficere. Secundò, ità vt defectus ille ſit veluti partialis, quatenus ſcilicet miniſter initio applicationis materiæ, & formæ, habet intentionem conficiendi ſacramentum in medio ve-

rò, aut fine, eam intentionem mutat, vel è conuerſo.

Prima aſſertio. *Deus nullo modo ſuplet defectum intentionis in miniſtro, quoad effectum ſacramenti, ſiue immediatè in paruulis, ſiue mediatè in adultis, mediante nimirum illorum fide, & deuotione.* Patet primò de charactere, qui eſt effectus minus præcipuus ſacramentorum, ille enim nunquam imprimitur ſiue adultis, ſiue paruulis, niſi per ſacramenta, vt docet S. Thom. 3. part. quæſt. 64. art. 8. ad 2. vnde ſi certò conſtaret baptiſmum alicui non fuiſſe validè collatum ex defectu intentionis, aut materiæ, aut formæ, baptiſmus eſſet denuo repetendus, quod indicio eſſet characterem à Deo non fuiſſe ſuſcipienti impreſſum.

Patet ſecundo de gratia, quæ eſt effectus primarius ſacramentorum; ea enim nunquam datur hominibus, quatenus eſt effectus ſacramentorum ex opere operato, niſi per ipſa ſacramenta. Vnde quamuis adultus, accedens ad ſacramentum cum vera contritione, gratiam ſanctificantem aſſequatur, eſto ſacramentum non perficiatur; non tamen acquirit gradum illum gratiæ qui datur ex vi ipſius ſacramenti, ſeu ex opere operato; quia eiuſmodi gradus nunquam datur niſi quando ſacramentum valide perficitur, quod non fit in propoſito.

Quod verò ſpectat ad paruulos, in ijs ſane Chriſtus non ſuplet effectum gratiæ, ſi miniſter non habeat intentionem eos baptizandi; Hoc enim repugnat legi generali à Chriſto latæ Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &*

*Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum cœlorum.* Quare oppoſitum affirmari non debet ſine reuelatione aliqua, aut alio ſufficienti fundamento; maximè in his rebus quæ ordinem naturæ ſuperant.

Neque exiſtimandum eſt propter neceſſitatem hunc effectum à Deo ſupleri; Chriſtus enim ſufficienter prouidit ſaluti hominum inſtituendo baptiſmum, & alia ſacramenta quorum materia vbique facilè haberi poteſt: & hæc remedia ſalutis hominum arbitrio committendo, vt ita homines ſaluarentur per homines, atque adeo modo quodam ipſorum naturæ accommodato: vnde ſi quis ex malitia priuet alium ſpirituali remedio, iniuria illi irrogata non in Deum, ſed in miniſtrum referri debet; & ſi hoc remedium ſit neceſſarium ad ſalutem, quale eſt ſacramentum baptiſmi, qui eo ſine ſua culpa priuatus eſt, non ſine ſua culpa damnabitur.

Secunda aſſertio. *Si intentio miniſtri deficiat quando eſſentiale aliquod verbum formæ profertur, nullum fit ſacramentum.* Explico, forma baptiſmi hæc eſt, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti:* ſi miniſter quandiu profert verbum aliquod eſſentiale huius formæ; habeat intentionem non conficiendi ſacramentum, etſi in reliquis omnibus rectam intentionem habuerit baptiſmus non valet.

Ratio eſt, quia non minus eſt intentio neceſſaria ad valorem ſacramenti, quam forma; ſicut ergo non perficitur ſacramentum, quando eſſentiale aliquod verbum formæ omittitur, ita nec quando eiuſmodi aliquod verbum abſque debita, ſeu cum oppoſita intentione profertur. Hinc ſi

quis inter celebrandum proferat particulam, *Hoc*, ſine intentione conſecrandi, & ſtatim mutata intentione addat, *Eſt enim corpus meum*, ſacramentum non perficiet.

Dices, vt verum ſit ſacramentum, non opus eſſe vt materia, & forma omninò ſimul applicentur, ita vt ſimul incipiant, & ſimul deſinant; ſed ſatis eſſe, ſi antequam actio abſoluatur, verba proferri incipiant, vel econtra: & eodem modo ſufficere ſi intentio concurrat ſimul cum verbo aliquo eſſentiali formę, non autem cum omnibus.

Reſpondeo negandam eſſe conſequentiam; etenim materia, & forma ſunt partes eſſentiales ex quibus ſacramentum intrinſecè componitur; ſicut autem ſacramentum eſt ens aliquod morale; ità ad illius compoſitionem ſimultas, & vnio moralis inter partes illius ſufficit. Vt autem verba habeant rationem formæ propriè loquendo, non ſufficit quod materialiter proferantur, ſed prætereà requiritur vt proferantur in ordine ad ſacramentum conficiendum, & ad hoc à miniſtro determinentur: quod tamen non fit quoties miniſter profert aliquod verbum eſſentiale abſque intentione conficiendi ſacramentum, vel cum intentione illud non perficiendi.

Tertia aſſertio. *Si debita intentio deſit, aut contraria adſit quo tempore profertur aliquod verbum accidentale, ſacramentum tenet, dummodo in prolatione verborum eſſentialium adſit ſufficiens intentio.* Ratio eſt, quia ſicut omiſſio verbi accidentalis non deſtruit formam, aut debitum illius ſenſum; ita nec illius prolatio ſine debita, aut cum contraria intentione ſacramentum irritare poteſt.

Hinc qui in baptiſmo, vel abſolutione, proferendo particulam *Ego*; aut inter conſecrandum, pronunciando particulam *Enim*, non intenderet conficere ſacramentum, ſi in aliorum verborum prolatione haberet neceſſariam intionem, ſacramentum perficeret. Et in his nulla eſt difficultas.

*Finis diſputationis quintæ.*

Digitized by Google

# DISPVTATIO SEXTA.

## *De peccatis quæ in adminiſtratione ſacramentorum contingere ſolent.*

Diuiſa in quatuor ſectiones.

C*VM in præcedenti diſputatione actum fuerit de miniſtro ſacramentorum, ratio exigit vt in iſta, de peccatis quæ in ipſa ſacramentorum adminiſtratione contingere ſolent, diſſeramus. Hoc autem fiet per quatuor ſectiones, quarum prima eſt, an qui miniſtrat ſacramentum in ſtatu peccati mortalis, peccet mortaliter. Secunda verò inquirit, quid facere debeat Sacerdos in peccato exiſtens, vt nouum peccatum ſacramenta adminiſtrando euitet. Tertia, an ſit peccatum mortale exercere ſacramentalia, & actus ordinum in mortali. Quarta, an ſit peccatum exercere aliquos alios actus in mortali.*

Digitized by Google

# SECTIO I.

*An qui miniſtrat ſacramentum in ſtatu peccati mortalis peccet mortaliter.*

## SVMMARIVM.

*Sacramentum adminiſtrare ex officio in ſtatu peccati mortalis, pecatum eſt mortale ex genere ſuo: illud autem in tali ſtatu conferre, non ex officio, ſed ex pura neceſſitate non eſt peccatum mortale, ſed veniale dumtaxat.*

DVobus modis poteſt aliquis ſacramentum adminiſtrare, primo ex officio, ſeu ratione ſpecialis conſecrationis qua ad tale ſacramentum conficiendum eſt deputatus: ſecundò non ex officio, quando ſcilicet ad tale ſacramentum adminiſtrandum ſpecialiter conſecrans non fuit; vt contingit in Laïco qui Baptiſmum in extrema neceſſitate adminiſtrat. Hoc poſito.

Prima. aſſertio ſit. *Sacramentum adminiſtrare ex officio, in ſtatu peccati mortalis, peccatum eſt mortale ex genere ſuo.* Eſt S.Thom. 3. parte, quæſt. 64. art. 6. & aliorum omnium. Sumi autem poteſt primò ex variis decretis ſummorum Pontificum.

Nicolaus 1. in can. *ſciſcitantibus*, 15. quæſt. 8. rationem reddens quare liceat ſacramenta ſumere à prauis miniſtris; *quoniam* ( inquit ) *mali bona*

*adminiſtrando ſe tantummodo lædunt, & cærea fax accenſa ſibi quidem detrimentum præſtat, alijs verò lumen in tenebris adminiſtrat; & vnde alijs commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet.*

Gregorius 9. cap. *quæſitum, de temporibus ordinationum*, agens de Sacerdotibus qui per reatum adulterij, periurij, vel falſi teſtimonij bonum conſcientiæ rectè perdiderunt, hæc ſcribit: *qui ſi non pœnituerint, monendi ſunt, & ſub interminatione diuini iudicij obteſtandi, vt in teſtimonium ſuæ damnationis in ſuſceptis etiam ordinibus non miniſtrent.*

Innocentius 3. cap. *de homine, de celebratione miſſarum*, dicit grauiter peccare eum qui celebrat in mortali, & grauiùs qui ſimulat. *Licet is* (inquit) *qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet grauiter, ſi ſe ingerat irreuerenter ad illud: grauius tamen videtur offendere, qui ſic fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare: cum ille in ſolius miſericordis Dei manum incidat, iſte verò non ſolum Deo, cui non veretur illudere, ſed populo quem decipit ſe aſtringat.*

Secundò eadem aſſertio ſuadetur ex Patribus. Hyeronim. cap. 3. ſoph. *Sacerdotes* (inquit) *qui Euchariſtiæ ſeruiunt, & ſanguinem Domini populis eius diuidunt, impiè agunt in legem Chriſti, putantes Euchariſtiam imprecantis verba facere non vitam neceſſariam tantùm eſſe ſolemnem orationem, & non Sacerdotum merita, de quibus dicitur Leuit. 21. & Sacerdos in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationem Domino.* Senſus eſt, vitam

& merita Sacerdotis eſſe neceſſaria, non quidem ad conſecrationem, ſed ad effectum gratiæ recipiendum: agit enim Hyeronimus contra illos qui crebris oblationibus ſe mundari poſſe exiſtimant, non ceſſantes impiè agere contra legem Dei.

Auguſtin. lib. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 10. *Omnia ſacramenta* (inquit) *cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus, ſicut & verbum Dei. Vnde dictum eſt, quæ dicunt facite; quæ autem faciunt facere nolite, Math. 23.* Porro qua ratione verbum Dei obeſſe poſſit illud indignè tractantibus dicetur inferiùs. Idem tract. 5. in Ioan. *Iuſtos* (inquit) *oportet eſſe tanti iudicis miniſtros, ſi iuſtè miniſtrare voluerint*, &c.

Tertiò accedit ratio. Nam qui ex officio ſacramentum aliquod miniſtrat, imprimis ſanguinem & merita Chriſti, quæ in ſacramentis continentur, diſpenſat; deinde hoc facit per actum ſingulariter conſecratum, quique ſpeciali titulo eſt operatio ipſius Dei, & inſtrumentum illius ad ſanctificandos homines. Præterea gerit perſonam Chriſti, quam immediatè ſuſtinet. Ac denique ad tale munus ſumptione alicuius ſacramenti eſt ſpecialiter conſecratus, & ſpecialem gratiam accepit ad illud ritè obeundum.

Ex his autem omnibus, ſaltem ſimul ſumptis, oritur nauraliter grauis obligatio in miniſtro ad ſacramentum honeſtè, & in ſtatu gratiæ adminiſtrandum; cum omnino ſit contra dignitatem Chriſti, hoſtem ipſius idem cum illo opus ſacrum efficere, ſanguinem illius diſpenſare, & perſonam

Digitized by Google

illius gerere: ac non parum alienum ſit à ſanctitate, & præſtantia ſacramentorum, cum inhoneſtè, & cum conſcientia peccati mortalis ſacramenta tractare, qui ad illa debitè adminiſtranda, peculiari ſacramenti, & gratiæ ſuſceptione conſecratus fuit.

Ex dictis primò collige, Sacerdotem qui in ſtatu peccati mortalis, etiam vrgente neceſſitate abſoluit, vngit, Euchariſtiam conficit, aut Baptiſmum ſolemniter confert, peccare lethaliter: quia ſcilicet cum tunc merita Chriſti diſpenſet vt miniſter illius ex officio ad hoc opus ſacrum ſpeciali conſecratione deputatus, tenetur cum reuerentia, & interna puritate ad tantum miniſterium accedere.

Et idem à paritate rationis dicendum eſt de Epiſcopo qui confirmationem, aut ordines adminiſtrat: & etiam de ſimplici Sacerdote qui confirmat, vel ordines minores confert ex priuilegio.

Dices, innocentium 3. cap. *quod in te, de pœnitentiis & remiſſionibus*, facultatem conceſſiſſe adminiſtrandi ſacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ morientibus; ergo in neceſſitaté hæc ſacramenta ſine nouo peccato à peccatore miniſtrari poſſunt.

Reſpondeo negando conſequentiam, Pontifex enim permittit tempore generalis interdicti prædicta ſacramenta conferri morientibus, vt non pereant abſque remedio; quod autem miniſtri ea poſſint adminiſtrare in peccato mortali, hoc nequaquam ipſe concedit, aut concedere poteſt; cum ius naturale poſtulet vt ſacramenta,

maximè à miniſtris conſecratis ſanctè tractentur.

Secundò collige non tantùm illum qui Eucharistiæ ſacramentum in ſtatu peccati mortalis conficit, ſed etiam qui ante confectum illud adminiſtrat, peccare lethaliter. Nam etſi talis non conficiat, nec ſumat ſacramentum, ſed tantùm applicet iam factum, illudque diſtribuat: quia tamen hæc diſtributio eſt diſpenſatio pretioſi corporis, & ſanguinis Chriſti, ad quam ritè, & ſanctè perficiendam Sacerdos per conſecrationem eſt ſpecialiter deputatus, & gratiam accepit: ideo grauiter peccat hoc ſacramentum non ſanctè adminiſtrando.

Quæ etiam ratio probabiliter ſuadet, ſacerdotem toties peccare mortaliter, quot ſunt hoſtiæ conſecratæ, quas ſeparatim porrigit. Quod ſi plures ſimul hoſtias vni daret, vnum tantùm peccatum committeret, quia ibi vnica dumtaxat actio concurreret.

Secunda aſſertio. *Adminiſtrare ſacramentum in ſtatu peccati mortalis, non ex officio, ſed ex neceſſitate, non eſt peccatum mortale, ſed tantùm veniale.* Hæc etiam eſt communiter recepta apud Doctores. Probatur autem ea ratione, quia etſi miniſtrans ex neceſſitate, non ex officio, ſit verus miniſter ſacramenti, & ſuſtineat perſonam Chriſti, eius ſanguinem, & merita diſpenſando; cum tamen non agat ex officio, ſed ex pura neceſſitate, non videtur tam notabilem committere irreuerentiam erga Deum, & ſacramenta, vt ea non dignè adminiſtrando peccet mortaliter, ſed ad ſummum venialiter. Præcipuè

eum ſacramenta à Deo inſtituta fuerint in bonum ſuſcipientium, ne videlicet ſine remedio ſalutis intereant.

Hinc ſequitur primò, Laïcum in peccato mortali exiſtentem, non peccare mortaliter ſi Baptiſmum in extrema neceſſitate adminiſtret, cum ipſe nullam gratiam ad ſacramentum ſanctè adminiſtrandum acceperit. Quod ſi extra neceſſitatem Baptiſmum conferat, peccat quidem lethaliter, non quia baptizat cum conſcientia peccati mortalis, neque enim etiam tunc baptizat ex officio; ſed quia Baptiſmum conferat contra prohibitionem Eccleſiæ, quæ vetat Laïcos baptizare extra caſum neceſſitatis.

Sequitur ſecundò, Sacerdotem peccati mortalis reum, baptizantem non ſolemniter in extrema neceſſitate, non peccare mortaliter. Quia non agit vt perſona ſpecialiter conſecrata ad tale miniſterium, ſed vt neceſſitati alterius ſubueniens; neque propriè exercet actum ordinis, ſed communis cuiuſdam poteſtatis, quæ in tali caſu omnibus hominibus etiam Laïcis, & paganis conceſſa eſt. Quòd ſi in tali neceſſitate Sacerdos baptizat ſolemniter, peccati mortalis fit conſcius vt ante diximus; quia exibet ſe vt miniſtrum Eccleſiæ ex officio, & eo modo quo Laïcus baptizare nunquam poteſt.

Dices, etſi Sacerdos priuatim baptizans, eodem modo baptiſmum videatur conferre quo Laïcus; attamen ratione ſuæ conſecrationis, ſpeciale ius ſibi vendicat ad tale munus obeundum; vnde & alijs aſtantibus præferri debet;

videtur ergo ſacramentum conferre ex officio, tanquam miniſter ſpeciali conſecratione ad id deputatus, non autem ex neceſſitate.

Reſpondeo. Etſi Sacerdos aliis in priuata baptiſmi collatione præferatur, non ſequitur eum tunc baptizare ex officio : nam etiam Clericus præfertur Laïco, & vir fœminæ; quia hoc ad maiorem ſacramenti reuerentiam pertinet.

Quęres, an Sacerdos conſcius peccati mortalis, omittens aſque neceſſitate ſolemnitates baptiſmi, duplicis peccati labem incurrat; nempe peccati omiſſionis, propter ſolemnitatum omiſſionem; & peccati commiſſionis, ob indignam ſacramenti adminiſtrationem.

Reſpondent aliqui affirmatiuè. Sed oppoſitum eſt verius, & ex præcedentibus facilè colligitur, nempe eiuſmodi miniſtrum peccatum tantùm omiſſionis incurrere, eo quod contra præceptum, & conſuetudinem Eccleſiæ ſolemnitates omittat. Quod autem non peccet in ſtatu peccati baptiſmum conferens hinc perſpicuum fit, quia eo ipſo quod ſolemnitates omittat, non agit ex officio, & vt ſpeciali ſacramento conſecratus ad tale munus ritè obeundum, ſed eo modo quo Laïci baptizare poſſunt.

Tandem ex dictis deducitur, eos qui matrimonium contrahunt in ſtatu peccati mortalis, non peccare lethaliter quatenus ſibi inuicem hoc ſacramentum adminiſtrant; quia etſi per characterem baptiſmi, huius ſacramenti capaces effecti fuerint; per ſpecialem tamen conſecrationem ad hoc munus non ſunt deputati, ſed ſunt miniſtri neceſſitatis; quatenus matrimonium eſſentialiter

tialiter eſt contractus, qui non niſi mutuo contrahentium conſenſu celebrari poteſt. Peccant tamen mortaliter qua parte illud ſacramentum, quod eſt viuorum, ſeu exiſtentium in gratia, indignè ſuſcipiunt.

---

# SECTIO II.

*Quid facere debeat Sacerdos in peccato exiſtens, vt nouum peccatum, ſacramenta adminiſtrando, euitet.*

## Svmmarivm.

*Sacerdos ſibi conſcius peccati mortalis celebrare volens, debet præmittere confeſſionem ſacramentalem; & ſecus faciens, nouum peccatum mortale committit, niſi ſit neceſſitas celebrandi, & alioqui non habeatur copia confeſſarij qui illum commodè audire poſſit.*

IMprimis illud certum eſſe debet, & indubitatum apud omnes, Sacerdotem qui in ſtatu peccati mortalis cuius eſt conſcius, accedit ad ſacramentum aliquod ex officio adminiſtrandum, debere ſedulò ſe ad gratiam præparare; ita quidem vt ſi ſit celebraturus, confeſſionem ſacramentalem peæmittere teneatur; ſi verò alia ſacramenta conficere debeat, ſatis ſit ſi per contritionem, aut veram, aut talem inuincibiliter exiſtimatam ad gratiam accipiendam ſe diſponat.

In quo apparet diſtinctio inter Euchariſtiam, & reliqua ſacramenta; quòd ad alia adminiſtranda Sacerdos peccato mortali obſtrictus, accedere poteſt cum ſola contritione: vt autem celebret, non ſatis eſt ſi conteratur, ſed præterea opus eſt vt confeſſionem ſacramentalem præmittat; non præciſè quatenus celebrare debet, & Euchariſtiam conficere; ſed quia in ea celebratione ſumpturus eſt ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, ante cuius ſumptionem præmittenda eſt confeſſio, ex Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 7. quale præceptum non extat de adminiſtratione aliorum ſacramentorum.

Ex his intellige primò falſum eſſe quod nonnulli dicunt, eum qui in ſtatu peccati mortalis accedit ſine dolore ad ſacramentum conficiendum, non peccare ſi aliqualem, etſi non ſufficientem diligentiam adhibeat ad peccatum inquirendum: cum enim ille teneatur elicere actum contritionis antequam ſacramentum adminiſtret, tenetur etiam diligenter examinare, an peccato mortali detentus ſit, necne.

Intellige ſecundò, falſum etiam eſſe quod quidam alij docent, peccatori neceſſariam eſſe actualem confeſſionem ad omnia ſacramenta ſine peccato conficienda; ita vt aliàs duplex peccatum miniſter incurrat, vnum commiſſionis propter adminiſtrationem ſacrilegam, aliud omiſſionis ob defectum confeſſionis: Licet enim qui adminiſtraturus eſt aliquod ſacramentum teneatur præmittere confeſſionem, ſi nouit ſe tantum eſſe attritum; quia aliàs non poſſet conſtitui in gratia, quæ ad dignam adminiſtrationem re-

quiritur; ſi tamen ſit contritus, non opus eſt vt peccata Sacerdoti confiteatur, etſi illius copiam habeat; quia, vt dixi, nullum extat præceptum de confeſſione in tali caſu præmittenda.

Intellige tertiò, Sacerdotem qui non præmiſſa confeſſione peccati mortalis cuius habet conſcientiam celebrat, duplex peccatum vt minimum incurrere; vnum omiſſionis, quatenus habens copiam confeſſarij, & oportunitatem confeſſionis ſacramentalis eam omittit, aliud commiſſionis, quatenus indignè Euchariſtiam recipit. Quòd ſi præterea non ſit contritus, aliud peccatum graue committit indignè exercendo actum ordinis Sacerdotalis.

Et certè veriſimile eſt eiuſmodi Sacerdotem, qui habita copia confeſſarij confeſſionem omittit, non habere veram contritionem, cum voluntariè præceptum Eccleſiæ de præmittenda tunc confeſſione tranſgrediatur, & eiuſmodi præceptum inuincibiliter illi ignotum non ſit: quare dicendum eſt Sacerdotem illum ita celebrantem triplex peccatum mortale ſaltem vt plurimum committere.

Secundò, certum eſt prædicta non ita intelligenda eſſe, vt nunquam liceat Sacerdoti ſibi conſcio peccati mortalis celebrare, niſi præmiſſa confeſſione: ex Concil. enim Trident. loco citato clarè patet tunc Sacerdotem licitè, ſeu ſine nouo peccato celebrare, non præmiſſa confeſſione, quando adeſt neceſſitas celebrandi, & alioqui non adeſt confeſſarius qui pœnitentem audire poſſit. Difficultas autem eſſe poteſt inter authores, in quonam caſu vera ſit neceſſitas cele-

brandi, & quando confeſſarius abeſſe cenſeatur.

In qua re dico primo, eſſe neceſſitatem celebrandi, tum quando vel ipſe Sacerdos, vel aliquis alius verſatur in diſcrimine mortis, & periculum eſt ne abſque viatico intereat: tum quando quis ex officio tenetur celebrare, nec poteſt id facere per alium; quod intellige dumtaxat pro illis diebus quibus tenetur celebrare ex officio, ſiue ſint dies feſti, ſiue non: alijs vero diebus ſi commodè excuſari poſſit, ſacrum facere non debet: tum quando Sacerdos non poteſt ſine graui ſcandalo, aut mala ſuſpicione ſacrum omittere; vt ſi publicè indutus eſſet veſtibus ſacris ad celebrandum, & ſine nota non poſſet ijs exui vt adiret confeſſarium; aut ſi ſacrum inchoaſſet, nec poſſet ſine graui incommodo ad altare vocari confeſſor. Quod ſi nullum tale timeretur incommodum, deberet illum vocare, & ſacrum ante conſecrationem interrumpere: non tamen teneretur inde diſcedere ad adeundum confeſſarium, & ſacrum inchoatum relinquere: tum quando poſt conſecrationem peccatum mortale committit, aut recordatur peccati mortalis non confeſſi; tunc enim non tenetur confiteri ante ſumptionem Euchariſtiæ, etſi habeat copiam confeſſarij, & abſque ſcandalo, aut infamia illum vocare poſſit: modo tamen probabiliter exiſtimet ſe eſſe contritum, aut ſe poſſe excitare ad contritionem antequam communicet: aliàs præmittenda eſt actualis confeſſio: tum denique, ex probabili ſententia, ſi non poſſit aliàs Sacerdos communicare in die Paſchatis, aut ſacrum audire in die feſto; quamuis oppoſitum fortaſſe ſecluſo

ſcandalo, & infamia,ſit probabilius: quia lex Eccleſiaſtica non obligat ad præceptum ſeruandum quod modo conuenienti ſeruari non poteſt.

Dico ſecundò, confeſſarium cenſeri deeſſe in his caſibus. Primò, quando de facto nullus adeſt Sacerdos. Secundò, quando non poteſt confiteri niſi per interpretem. Tertiò, quando qui adeſt non habet vllam iuriſdictionem in peccata mortalia; vt ſi nondum ſit approbatus; aut ſi approbatus ſit,& non adhuc conceſſa ſit illi iuriſdictio, iſque qui confiteri debet, non poſſit aut ex priuilegio, aut virtute iubilæi illum eligere, & tali electione iuriſdictionem ipſi concedere. Quartò, quando adeſt quidem Sacerdos habens juriſdictionem, ſed probabiliter times ne peccata tua reuelet, aut alio modo grauiter tibi noceat. Non ſufficit tamen leuis aliqua ſuſpicio.

Vbi aduerte, ſi periculum ſit ne ex confeſſione ſingulorum peccatorum mortalium graue aliquod damnum incurras, te tuta conſcientia poſſe, non præmiſſa confeſſione, ad Euchariſtiam cum contritione accedere. Si autem nonnulla ſint peccata quæ abſque tali periculo confiteri poſſis, omiſſis alijs, ea confiteri debes. Denique, ſi ſolùm ſis attritus, & nullum peccatum mortale ob dictum periculum confiteri velis: vel debes recedere à communione, vel ſaltem peccata venialia confiteri, vt ita poſſis indirectè à mortalibus abſolui, & cum gratia ad ſacramentum accedere.

Quæret aliquis, an Sacerdos habens caſum aliquem reſeruatum, poſſit non præmiſſa confeſſione celebrare, quando Sacerdos qui adeſt, à tali

caſu abſoluere non poteſt. Reſpondent aliqui probabiliter tunc illum, qui habet caſum reſeruatum poſſe abſque confeſſione celebrare. Sed malim diſtinguere: nam ſi pœnitens habeat tantùm caſus reſeruatos, non tenetur confiteri: ſed poteſt cum contritione ad ſacrum faciendum accedere. Dico cum contritione, nam ſi tantùm ſit attritus, debet peccata reſeruata cum venialibus confiteri, vt in caſu præcedenti diximus: ſi vero habeat aliquod peccatum non reſeruatum, debet omnia tam reſeruata, quam non reſeruata confiteri, vt ita etiam à reſeruatis ſaltem indirectè abſoluatur.

Tertiò denique, certum eſt Sacerdotem in peccato mortali exiſtentem, qui neceſſitate vrgente celebrauit abſque præuia confeſſione, debere quamprimum fieri poterit, confiteri. Ita habet Concil. Trident. ſeſſ. 13. citata cap. 7. in fine, vbi hæc verba leguntur. *Quod ſi neceſſitate vrgente Sacerdos abſque praeuia confeſſione celebrauerit, quamprimùm confiteatur.* In quibus fatentur omnes contineri præceptum confitendi prima data occaſione, hocque præceptum cum ſit de re graui, ſub mortali obligat.

Dubium eſt autem imprimis an ſolos Sacerdotes, an verò etiam Laïcos ſine confeſſione communicantes comprehendat. Et quidem nonnulli affirmant, dicentes quod ſi Concilium interrogatum fuiſſet an Laïcos vellet comprehendere, idem de illis dixiſſet ac de Sacerdotibus, cum eadem ſit ratio de omnibus.

Sed contrarium potius ex verbis Concilij euidenter colligitur: paulò enim ante verba citata

prohibet, ne quis ſibi conſcius peccati mortalis abſque confeſſione ad Euchariſtiam accedat; quæ prohibitio eſt generalis, & ad Chriſtianos omnes extenditur: cum ergo ſtatim iubet Concilium Sacerdotes, qui abſque confeſſione celebrarunt, prima data opportunitate confiteri, clarè oſtendit ſe non Laïcos, ſed Sacerdotes duntaxat hoc poſteriori præcepto ligare.

Neque eadem eſt ratio de Laïcis ac de Sacerdotibus; poteſt enim ſæpius occurrere Sacerdotibus neceſſitas celebrandi, quàm Laïcis neceſſitas communicandi: & præterea maius quid eſt conficere Euchariſtiam, eamque ſumere, quàm ſimpliciter ad Euchariſtiam accedere: quare cum munus illud ſit proprium Sacerdotum, hoc Laïcorum; non mirum eſt ſi Concilium maiorem reuerentiam & præparationem à Sacerdotibus exigat quàm à Laïcis.

Ex his ſequitur primò, Sacerdotem ſibi conſcium peccati mortalis, qui in caſu neceſſitatis, non præmiſſa confeſſione ſumit Euchariſtiam more Laïcorum, non teneri ſtatim poſt ſumptionem ſacramenti, aut prima quauis data opportunitate confiteri. Ratio eſt, quia Concilium tantùm loquitur de Sacerdotibus celebrantibus, inter quos non debent comprehendi qui more Laïcorum ad ſacram ſynaxim accedunt.

Sequitur ſecundò, idem iudicium ferendum eſſe de eo Sacerdote, qui ante celebrationem ex obliuione peccatorum ſacramentalem confeſſionem prætermiſit, etiam ſi deinde poſt communionem, alicuius peccati mortalis recordetur: ille enim non omiſit confeſſionem ex neceſſitate

vt ſuppono, ſed ex obliuione: quare cum Concilium dumtaxat loquatur de Sacerdote qui ex neceſſitate confeſſionem prætermittit, verba illius ad alium extendi non debent.

Quòd ſi talis Sacerdos celebrans, peccati ſui recordetur ante ſumptionem ſacramenti, & ſacramentum ſumat non præmiſſa confeſſione, tenebitur ille ſtatim confiteri; quia iam ad Euchariſtiam non præmiſſa confeſſione, ex neceſſitate & cum conſcientia peccati mortalis accedit.

Sequitur tertiò, etiam Sacerdotem peccati mortalis reum, qui citra neceſſitatem ex malitia celebrat, non præmiſſa confeſſione ſacramentali, ſub allato præcepto non contineri. Quia Concilium præciſè loquitur de eo qui ex neceſſitate confeſſionem omittit, & illius verba in propria ſignificatione accipienda ſunt; maximè cum onus aliquod imponant. Vnde Sacerdos ille peccabit quidem indignè ad ſacramentum accedens, non tamen tenebitur confiteri ſtatim, ſed ſuo tempore ſicut alij peccatores.

Neque mirum cuipiam videri debet, quod Concilium impoſuerit præceptum confitendi poſt celebrationem, ijs qui ſine peccato confeſſionem omittunt, non autem illis qui non niſi peccando illam prætermittunt: ſiquidem præceptum illud videtur maximè impoſitum ad cautelam, vt ſcilicet Sacerdotes non facilè fingant neceſſitatem celebrandi prætermiſſa confeſſione, ſed ſedulò curent præmittere confeſſionem antequam celebrent, ſcientes ſibi impoſitum eſſe præceptum confitendi poſt celebrationem. Eiuſmodi autem obligatio non valeret ad cautelam, Sa-

cerdoti prauo qui citra neceſſitatem, non præmiſſa confeſſione celebrat; ſed potius in perniciem illius vergeret: qua enim libertate infringit præceptum de præmittenda confeſſione ante celebrationem, eadem aliud de confeſſione ſubſequente tranſgrederetur.

---

## SECTIO III.

*An ſit peccatum mortale exercere ſacramentalia, & actus ordinum in mortali.*

### SVMMARIVM.

*Epiſcopus, vel Sacerdos in mortali ſacramentalia conficiens, & Clericus actus minorum ordinum in mortali exercens, non peccant niſi venialiter: etſi autem probabile ſit Diaconum, & Subdiaconum Euangelium & Epiſtolam ſolemniter cantantes in ſtatu peccati mortalis, peccare lethaliter; oppoſitum tamen videtur probabilius*

PRima aſſertio. *Epiſcopus ſacramentalia conficiens in peccato mortali, verbi cauſa, Chriſma confirmationis, oleum infirmorum, conſecrationem altarium, templi, calicis*, &c. *non peccat mortaliter.* Eſt communis Doctorum contra Ioan. Medinam qui oppoſitum docuit.

Probari autem poteſt, quia eiuſmodi actiones non ſunt diſpenſationes meritorum Chriſti neque in eis efficiendis Epiſcopus ſe habet vt mini-

ſter Dei animam ſanctificantis, vt in actionibus ſacramentorum: quare nulla eſt ratio cur in miniſtro, ad eas ſine peccato mortali exercendas, ſtatum gratiæ exigamus.

Quia tamen actiones prædictæ ſunt graues, & aliquæ earum ſunt ſacræ, quatenus per illas materia deſtinata ad ſacramentum conſecratur; ideo qui dicta, & ſimilia ſacramentalia in ſtatu peccati lethalis exercet, peccat venialiter, eoque grauiùs, quo actio eſt præſtantior; etſi contempus adſit, mortaliter; propter rei quæ tractatur grauitatem.

Secunda aſſertio. *Non eſt peccatum mortale exercere in mortali actus minorum ordinum.* Hæc etiam eſt communis contra Nauarrum, qui docet in manuali cap. 27. Acolythum ſolemniter cereos ferentem in peccato mortali, pecare mortaliter.

Ratio autem eſt, quia licet eiuſmodi actus ſint aliqua ratione ſacri, non parum tamen diſtant ab actibus quibus ſacramenta conficiuntur: illi enim ſunt ſpecialiter conſecrati ad ſanctificandos homines, & ſunt inſtrumenta quibus Deus, vt author ſanctitatis, vtitur ad eiuſmodi ſanctificationem conferendam; quod vt liquet de actibus minorum ordinum dici non poteſt. Qui ergo actus horum ordinum exercet in mortali, multo minorem committit irreuerentiam, quam qui cum peccato mortali ſacramentum adminiſtrat: atque adeo non peccat lethaliter.

Accedit, ſatis probabilem videri eorum ſententiam, qui dicunt minores ordines non inter ſacramenta, ſed inter ſacramentalia, de quibus ante egimus, annumerandos eſſe, de qua re aliàs.

Nolim tamen cum nonnullis excuſare à culpa veniali, eos qui in peccato mortali actus prædictorum ordinum exercent: quia miniſter non poteſt omnino vacare culpa qui actum ordinis, ad quem ſpecialiter eſt conſecratus, tanquam publicus Eccleſiæ miniſter, indignè, & non ſine aliqua irreuerentia exequitur.

Tertia aſſertio. *Probabile eſt Diaconum, & Subdiaconum in peccato mortali ſolemniter cantantes Epiſtolam, vel Euangeliam, peccare mortaliter: oppoſitum tamen eſt probabilius.* Ratio prioris partis eſt, quia miniſterium Diaconi, & Subdiaconi proximè accedit ad ſacrificium, & ſpecialis gratia per ſacramentum confertur ad illum ritè exercendum.

Ratio verò poſterioris, quia cum per actus prædictorum ordinum merita Chriſti non diſpenſentur, non eſt cur exiſtimemus materiam hanc adeo eſſe grauem, vt ille committat ſacrilegium, qui in ſtatu peccati mortalis eos ſine contemptu, vel ſcandalo exercet.

Sed contra poſteriorem hanc partem aſſertionis noſtræ, erit qui obijciat determinationem Gregorij IX. ſuperiùs allatam ex cap. *Quæſitum, de temporibus ordinationum*, in qua Pontifex docet Sacerdotes, & Clericos criminis

cuiuſdam occulti reos, monendos eſſe, & ſub interminatione diuini iudicij obteſtandos, ne in ſuſceptis ordinibus miniſtrent, quandiù non pœnituerint.

Reſpondeo, hunc locum non debere vniuerſim intelligi prout verba ſonare videntur: aliàs dicendum eſſet non tantùm Diaconum, & Subdiaconum, ſed etiam inferiores Clericos in peccato mortali ſuorum ordinum actus exercentes, peccare mortaliter; quod tamen aduerſarij non concedent. Ita ergo verba illa intelligenda ſunt, vt nonnulla de Sacerdotibus tantùm, alia verò de Diacono, & alijs Clericis inferioribus dumtaxat intelligantur. De Sacerdotibus tantùm intelligi debet quod ait Pontifex de adminiſtratione in ſuſceptis ordinibus; de alijs verò quod ait de aſcenſu ad ſuperiores ordines: vtrumque enim ibi includitur, vt patet ex ipſo textu, & etiam ex titulo capitis. Ac denique quod in fine ponitur, *Eiuſmodi monendos eſſe ne in ſuſceptis etiam ordinibus miniſtrent*, de Sacerdotibus dumxat accipiendum eſt. Vbi ſeriò notanda eſt particula, *Etiam*, quæ indicat aliam partem de aſcenſu ad ſuperiores ordines, cuius antea mentio facta fuerat, hic ſubintelligendam eſſe, ita vt ſenſus ſit; non tantùm Clericos qui ſunt in peccato mortali, indignos eſſe qui ad ſuperiores ordines aſcendant, ſed etiam Sacerdotes qui eodem peccato detinentur, non debere exercere actus ordinis Sacerdotalis, v. c. Euchariſtiam conficere, abſoluere pœnitentes, &c.

Sciſcitabitur aliquis an Diaconus vel Subdiaconus proponens longo tempore exercere actus

ſui ordinis in mortali, peccet mortaliter.

Reſpondent aliqui affirmatiuè, propter contemptum qui formaliter, aut virtualiter in propoſito ſæpius multiplicandi tales actus continetur. Ita Suarez diſp. 16. ſect. 3. & ex ipſo Filliucius tract. 1. de Sacramentis, cap. 5. quæſt. 10.

Oppoſitum docet Vazquez diſp. 136. cap. 4. quod nobis videtur probabilius: Quia non cenſetur quis eo ipſo peccare mortaliter, quod velit in poſterum multa peccata venialia committere: niſi ex multiplicatione eiuſmodi actuum, grauis aliqua materia peccati inſurgat: vt contingit v. c. in furtis leuioribus longo tempore continuatis; tandem enim peruenitur ad quantitatem adeo notabilem, vt graue aliquod damnum alteri inferant, & conſequenter ad conſtituendum peccatum mortale ſufficiant. Non eſt autem ſimile in varijs actibus à Subdiacono, vel Diacono exercitis: ſunt enim inter ſe diſtincti, nec ſimul coaleſcunt vel per ſe, vel per aliquem ipſorum effectum ad conſtituendam grauem aliquam materiam: quare voluntas eos actus ſæpius exercendi non eſt peccatum mortale.

Neque putandum eſt voluntatem prædictam, aut prauam conſuetudinem ita operandi, prouenire ſemper ex contemptu formali, vt patet in varijs rebus ſimillibus: quis enim dicat, eum qui ex praua conſuetudine inter orandum diſtrahi ſolet, aut qui frequens eſt in verbis otioſis proferendis, id facere ex formali contemptu præcepti diuini.

Licet autem daremus oriri ex contemptu virtuali, hoc non ſufficeret vt culpa ex ſe venialis mutaretur in mortalem: ſiquidem eiuſmodi tranſ-

mutatio vt ita loquar, per contemptum formalem, & expreſſum, non autem per virtualem & implicitum fieri poteſt: Alias omnia peccata venialia tranſirent in mortalia, cum in omnibus eiuſmodi peccatis, virtualis aliquis contemptus reperiri queat.

## SECTIO IV.

*An ſit peccatum exercere aliquos alios actus in peccato mortali.*

SVMMARIVM.

*Qui verbum Dei prædicant, aut ſententiam iuridicè ferunt, vel alios corrigunt in ſtatu peccati mortalis per ſe vt ſic, non peccant mortaliter: poſſunt tamen per accidens, tales actus exercendo, peccare etiam lethaliter, ratione ſcandali.*

DVbium eſt primò, an ſit peccatum mortale prædicare in mortali. Secundò, an liceat Iudici ferre ſententiam in mortali. Tertiò, an qui eſt in peccato mortali licitè poſſit alium peccantem corripere: quibus dubitationibus triplici aſſertione fiet ſatis.

Prima aſſertio. *Prædicare in mortali, non eſt peccatum mortale.* Eſt communis contra Caietanum, & Nauarrum: quanquam Caietanus ipſe poſtea ſententiam ſuam retractauit, vt authores varij aduertunt.

Ratio aſſertionis eſt; quia licet actio prædicandi ex obiecto ſuo bona ſit, & honeſta; non eſt tamen ſpeciali modo ſancta, & conſecrata, ſicut actiones ſacramentorum: quare ex natura rei non exigit in concionatore circunſtantiam gratiæ: neque vllum extat præceptum poſitiuum diuinum, vel humanum, quo ad eam habendam ſub peccato mortali obligetur.

Per accidens autem contingere poteſt, vt concionator mortaliter peccet; ſi nimirum ſit peccator publicus, tunc enim ratione ſcandali eneruat quodammodo vim prædicationis, & fructum illius impedit: quia cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur, vt docet Gregor. homil. 12. in Euangelia.

Et hoc modo intelligendus eſt imprimis author operis imperfecti relatus in cap. *Multi, diſt. 40.* quando homil. 43. in Matth. hæc ſcribit. *Nam benè viuendo, & benè docendo populum inſtruis quomodo debeat viuere: benè autem docendo, & malè viuendo Deum inſtruis quomodo te debeat condemnare.*

Item Gregor. relatus, *diſt. 50. cap. Quid eſt hoc,* cum ait homil. 9. in Ezechiel. *Adhuc enim nobis in infirmitatis confuſione iacentibus, præberi non debet authoritas prædicationis: ſed cum iam in bono opere ſurgimus, cum recti ſtare cæperimus, dignum eſt vt ad lucrandos alios in prædicationem mitti debeamus.*

Denique, eodem modo intelligendus eſt Auguſt. lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 10. cum ait, *Omnia ſacramenta cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus, ſicut & verbum Dei: vnde dictum eſt, quæ dicunt*

*facite, quæ autem faciunt facere nolite*, *Matth.* 23.

Secunda aſſertio. *Iudex non peccat mortaliter ferens ſententiam in ſtatu peccati mortalis.* Hæc etiam eſt communis, & eadem ratione qua præcedens ſuadetur: nam ferre ſententiam eſt quidem de ſe actus honeſtus, qui pertinet ad iuſtitiam, non eſt tamen ſpeciali modo conſecratus, ſicut actus quibus ſacramenta adminiſtrantur; quare non exigit per ſe vt circunſtantiam neceſſariam, quod Iudex ſententiam ferens ſit in ſtatu gratiæ.

Dico per ſe, quia per accidens contingere poteſt vt Iudex aliquando peccet mortaliter, ſi nimirum ille ſit publicus peccator, & alios eiuſdem criminis reos damnet, fur fures, adulter adulteros, &c. Inde enim oritur ſcandalum vt docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 60. art. 2. ad 3. & populus occaſionem ſumit floccipendendi iuſtitiam, quòd videt eam non habere eandem vim erga Iudicem, quam ipſe in alios exercet.

Obijcies primò illud Chriſti Ioan. 8. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*, quibus verbis Chriſtus ſignificare videtur, non poſſe reum alicuius criminis alium legitime condemnare.

Reſpondeo, Chriſtum verbis illis voluiſſe oſtendere, non quid abſolutè neceſſarium ſit ad iudicium ferendum ſine peccato, ſed quid magis expediat ex congruitate aliqua; nimirum Iudicem ab omni crimine eſſe liberum: à quo ſtatu valdè alieni erant Phariſæi, qui de damnanda muliere adultera agebant.

Obijcies 2. illud Ambroſij ſerm. 20. in Pſal. 118.

118. *Iudicet de alterius errore, qui non habet quod in ſeipſo condemnet: iudicet ille qui non agat eadem quæ in alio putauerit punienda, ne cum de alio iudicat, in ſe ferat ipſe ſententiam.*

Reſpondeo, Iudicem adulterum qui alium adulterum damnat, in ſe quodammodo ferre ſententiam, ob adulterium aliàs à ſe commiſſum, quod damnat in alio homine. Non tamen propterea peccat mortaliter, niſi peccatum illius ſit publicum, & ſcandalum pariat.

Probabile tamen eſt eum peccare venialiter, ſi exiſtens in peccato mortali occulto, alium iudicet abſque humilitate quadam animi, qua congemiſcat, & ad pariter cauendum inuitet, vt loquitur Auguſt. lib. 2. de ſermone Domini in monte, cap. 30.

Obijcies 3. Iudex qui in peccato iudicat, officium ſuum indignè exercet, ſiue peccatum ipſius occultum ſit, ſiue publicum: tenetur enim iudicare ex affectu iuſtitiæ, quod non facit quandiù iniuſtus eſt: ergo peccat mortaliter in eo ſtatu ferens iudicium.

Reſpondeo cum diſtinctione. Iudex exiſtens in peccato mortali officium ſuum exercet indignè priuatiuè, concedo; quatenus ſcilicet priuatur aliqua perfectione quam habere poteſt, quaque condignè ſuum munus obire poſſet; indignè contrariè, nego; etſi enim ſit peccator, hoc non ſufficit vt dicatur habere aliquid contrarium iuſto Iudici vt talis eſt.

Neque refert quod quandiù in peccatò manet iniuſtus dicatur; hoc enim eatenus verum eſt; quatenus priuatur gratia quæ eſt vera iuſtitia,

ſeu ſanctitas animæ; non autem quod propriè habeat in ſe aliquid contrarium virtuti illi morali quæ vulgò iuſtitia appellatur; quaſi vero ſententiam ferre non poſſit ex affectu illius.

Tertia aſſertio. *Alium corrigens in peccato mortali non peccat mortaliter.* Ratio eſt manifeſta ex dictis. Quia vt quis peccet mortaliter exercendo actum aliquem in mortali, oportet vt ipſe ſit ſpecialiter ſanctificatus ad eiuſmodi actum exercendum, & talis etiam actus aliquam ſanctificationem habeat: quod cum non competat correctioni fraternæ, perſpicuum eſt eam vt licitè fiat, ſanctitatem internam per ſe non exigere, ſed tantùm per accidens ratione ſcandali, ſi nimirum peccatum corrigentis ſit notorium, & publicum.

Huic communi aſſertioni videtur repugnare ſcriptura, quæ interdum reprehendit peccatores qui alios corripiunt, vt Matth. 7. *Hypocrita eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui.*

Reſpondeo. Vt quis dicatur eijcere trabem de oculo ſuo, & conſequenter ſit aptus ad alios corrigendos, non opus eſt vt peccatum à ſe per pœnitentiam expellat; ſed ſatis eſt ſi per humilitatem proprium peccatum agnoſcat: trabem enim habere in oculo, non tam ſignificat habere peccatum, quam illud cum humilitate non agnoſcere, vt liquet ex verbis illis antecedentibus. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* quibus Chriſtus peccatorem arguit, quod trabem peccati in ſe non videat: cum ergo poſtea addit, *Hypocrita eijce primùm trabem*, &c. vult peccatorem indu-

cere vt peccatum cum humilitate agnoſcat, & iuſtum ſe amplius non ſimulet; quo ipſo deſinet eſſe hypocrita, atque adeo rectè erit diſpoſitus ad alios ſine peccato corrigendos.

Poteſt etiam opponi illud Iſidori lib. 3. de ſummo bono, cap. 32. *Non debet aliorum vitam corrigere, qui vitijs eſt ipſe ſubiectus.*

Reſpondeo, hac, & ſimilibus Patrum locutionibus nihil aliud ſignificari, quàm peccatorem non debere procedere ad aliorum correctionem, niſi priùs, aut per pœnitentiam, aut ſaltem per humilitatem ad vtiliter corripiendum ſe diſponat.

*Finis diſputationis ſextæ.*

# DISPVTATIO SEPTIMA.

## *De cauſa ſuſceptiua ſacramentorum, eiuſque diſpoſitione.*

### Quinque Sectionibus comprehenſa.

QVIA *ſacramenta à Deo inſtituta fuerunt, vt eorum ſuſceptione homines ſanctificarentur, ijs pertractatis quæ pertinent ad inſtitutionem, & miniſtros ſacramentorum, reliquum eſt vt de ijs quibus ſacramenta adminiſtrari ſolent, hoc loco quæſtiones aliquot moueamus. Ac primò, quæ diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente ad valorem ſacramenti. Secundò, an ad gratiam ſacramenti requiratur aliqua diſpoſitio. Tertiò, vtrum liceat ſacramentum petere ab eo quem ſcio in adminiſtratione peccaturum. Quartò, an liceat petere ſacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ ab excommunicatis, aliaue cenſura Eccleſiaſtica ligatis. Quintò, an à miniſtris non toleratis alia ſacramenta petere liceat.*

# SECTIO I.

*Quæ diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente ad valorem ſacramenti.*

## SVMMARIVM.

*Ad valorem ſacramenti neceſſaria eſt in ſuſcipiente, qui ratione vtitur, voluntas illud recipiendi: hæc autem voluntas non debet neceſſario eſſe actualis, ſed habitualis vt plurimum ſufficit, etiam ſine gratia, fide, aut alia ſimili diſpoſitione.*

SVpponendum eſt tanquam certum apud omnes Catholicos, ſolum hominem, quandiù agit in hac mortali vita, eſſe capacem ſacramentorum. Ille enim dumtaxat vti poteſt ſignis ſenſibilibus ad gratiam conferendam, vel augendam diuinitus inſtitutis; quod de Angelis, aut hominibus beatis affirmari nequit, vt perſpicuum eſt. Hoc poſito.

Aſſertio prima ſit. *Ad valorem ſacramenti neceſſaria eſt in recipiente, voluntas illud recipiendi.* Eſt communis Theologorum contra Caietanum, qui putat ſufficere ſi ſuſcipiens ſe habeat negatiuè.

Ratio autem aſſertionis ea eſt, quia receptio ſacramenti eſt humana, ergo debet fieri humano modo: non poteſt autem receptio illa fieri humano modo niſi recipiens conſentiat: ergo con-

ſenſus, ſeu voluntas ſacramentum recipiendi in ſuſcipiente neceſſaria eſt.

Vbi nota hanc rationem procedere de omnibus ſacramentis, excepta venerabili Euchariſtia, quæ cum non conſiſtat in vſu, ſeu applicatione, ſed fiat per conſecrationem materiæ, non pendet in ſuo fieri à voluntate ſuſcipientis, ſed à ſola intentione conſecrantis: & cum conſiſtat in re permanente, non pendet in conſeruari ab intentione vtentis: quare applicari poteſt (ſine fructu tamen) homini inuito, ſeu qui nullo pacto intendit ſacramentum recipere.

In reliquis verò ſacramentis alia res eſt; quia cum conſiſtant in vſu, ſeu applicatione ad recipiens, non poſſunt eſſe, aut fieri ſine recipientis conſenſu; & quod inde ſequitur, ſine tali cônſenſu rata, aut valida eſſe non poſſunt.

Ratio autem à priori ſumenda eſt ex inſtitutione Chriſti, quæ ex vſu, & traditione Eccleſiæ, & ex communi Doctorum ſententia habetur: indicatur autem in capite vltimo Matth. vbi Chriſtus monet Apoſtolos, vt priùs doceant homines quàm ijs baptiſmum conferant, vt ſcilicet baptiſmus liberè ſuſcipiatur, ſicut & fides.

Et idem à paritate rationis dicendum eſt de alijs ſacramentis; quia ſicut æquum eſt vt homo ratione vtens non iuſtificetur à peccatis, gratiamque habitualem accipiat ſine proprio conſenſu, ita congruum videtur vt non initietur, ſeu conſecretur per ſacramenta niſi aliquo modo conſentiat.

Porrò hîc vt patet, loquimur tantùm de hominibus ratione vtentibus; nam quod ſpectat ad

infantes, certum eſt eos eſſe capaces quorundam ſacramentorum, nempe Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ, atque etiam Ordinis ex communiori ſententia; cum tamen ob defectum vſus rationis, eorum receptioni conſentire nequeant: & idem eſt iudicium de adultis qui nunquam ratione vſi ſunt.

Quanquam ſecus ſentiendum ſit de iis qui poſt vſum rationis in amentiam, aut furorem inciderunt; illi enim inualidè ſacramentum ſuſcipiunt, niſi aliàs aliquo modo illud ſuſcipere voluerint, vt tradit communis Theologorum ſententia.

Ex dictis collige hominem omnino inuitum inualidè ſacramentum ſuſcipere. Itemque eum qui, poſtquam incidit in amentiam, ſacramentum recipit; ſi ante talem lapſum voluntatem habuerit nunquam recipiendi ſacramenta, neque illam retractarit.

Quòd ſi quis tantùm inuitus ſecundum quid ad ſacramentum accedat, vt illi contingit qui metu ad ſacramenta compellitur, talis validè ſuſcipit; quia abſolutè vult ſacramentum ſuſcipere, ſecundum quid verò minimè, quatenus ſi metus abeſſet, ad illud non accederet.

Et hoc ſenſu intelligendum eſt illud Auguſt. tract. 26. in Ioan. *Accipere quiſquam poteſt ſacramentum nolens, credere non poteſt niſi volens*: ibi enim agit de nolente ſecundum quid, qui ſimpliciter vult ſacramentum ſuſcipere.

Aſſertio ſecunda. *Ad valorem ſecramenti intentio actualis non eſt neceſſaria, ſed ſatis eſt quod ea præceſſerit, neque per contrariam voluntatem fuerit*

*retractata.* Probatur hæc aſſertio ex Concil. Carthag. III. can. 34. & ex Innoc. III. cap. *Maiores, de baptiſmo*, quibus locis ſtatuitur amentes, & dormientes, ſi periculum immineat baptizandos eſſe, ſi ante ſomnum, vel amentiam voluntatem recipiendi baptiſmum habuerint: in amentibus autem & dormientibus non reperitur intentio actualis, neque etiam virtualis propriè, ſed habitualis dumtaxat: quare hæc intentio in recipiente ad valorem ſacramenti ſufficit.

Confirmatur ex diſcrimine quod intercedit inter ſacramenti miniſtrum, & eum qui ſacramenta ſuſcipit: nam miniſter per intentionem ſuam aliquo modo effectiuè ſacramentum producit; quare oportet vt intentio illa vel ſit actualis, vel ſaltem virtualis, vt per ſe, vel per aliquid ſui poſſit influere in effectum: ſuſcipiens verò non ſe habet vt cauſa agens, ſed eſt ſubiectum patiens; quare illius intentio non requiritur vt cauſa veluti actiuè influens in ſacramentum, ſed vt conditio neceſſaria ex parte ſubiecti, vt ſacramenti ſuſceptio ſit volita: ad hoc autem ſufficit, quòd intentio actualis præhabita non fuerit retractata, ſed habitualiter remaneat.

Quo loco aduerte, in ſacramento Pœnitentiæ ad valorem abſolutionis, non tantùm requiri vt pœnitens quouis modo abſolutionem voluerit, ſed præterea opus eſſe vt peccata ſua modo poſſibili confeſſus fuerit: quia videlicet confeſſio ſpectat ad eſſentiam ſacramenti Pœnitentiæ.

Et ſimiliter vt ſacramentum matrimonij, quod eſſentialiter conſiſtit in contractu, ratum ſit, neceſſe eſt vt contrahentes, mutuos conſen-

ſus ſigno aliquo externo formaliter exprimant. Vnde hæc duo ſacramenta requirunt in ſuſcipiente intentionem magis expreſſam, & formalem quàm alia, ad quorum valorem ſatis eſt quod ſuſcipiens ea implicitè poſtulauerit.

Et ſic v. c. qui piè,& Catholicè viuit,cenſetur velle implicitè vt ſibi morienti ea adminiſtrentur ſacramenta, quæ morientibus tradi ſolent : quare ſi rationis vſu ſubitò deſtituatur, ſacramentum Extremæ Vnctionis ipſi conferendum eſt, niſi certò conſtet illum verſari in peccato mortali, de quo non eſt contritus, vel attritus.

Poteſt tamen miniſter præſumere virum illum, ſi ſit Catholicus, vt ſuppono, eſſe attritum, & conſequenter illum inungere, niſi moraliter ipſi conſtet de oppoſito ; vt ſi v. c. inter peccandum ſubito ſenſibus deſtitutus fuiſſet, antequam poſſet humano more loquẽdo de peccato dolere.

Aſſertio tertia. *Vt ſacramentum validè ſuſcipiatur, neque gratia, neque fides, aut alia ſimilis diſpoſitio in ſuſcipiente eſt neceſſaria.* Hoc apertè colligitur ex Concilijs, & iure canonico, quæ ſtatuunt hæreticos baptizatos, vel ordinatos iuxta ritum Eccleſiæ, non eſſe iterum baptizandos, vel ordinandos : quo ipſo docent ad valorem ſacramenti fidem, aut quamcunque aliam diſpoſitionem ſupernaturalem, in ſuſcipiente non eſſe neceſſariam.

Probari etiam poteſt ex Auguſt. lib. 2. contra Parmen.cap.16.& lib.2. contra Petilian. cap.35. quibus locis ait eum verè baptizari qui propter flagitium aliquod perpetrandum baptizatur, ſi modo verè velit baptiſmum ſuſcipere.

Idem tertiò confirmatur ex Niceph. lib. 12. hiſtor. cap. 17. quo loco refert Iudæum quendam lucri cauſa ſæpius baptizatum, acceſſiſſe tandem ad Epiſcopum baptiſmi recipiendi cauſa, nec potuiſſe ab illo baptizari, ex defectu aquæ, quæ ſemel & iterum adminiſtrata euanuit: quo miraculo Deus oſtendere voluit, Iudæum illum antea verè baptizatum fuiſſe, etſi cum voluntate ſacrilega ad baptiſmum acceſſiſſet.

Tandem ratione ſuadetur prædicta aſſertio. Quia ſicut improbitas, & malitia miniſtri non impedit quin conferatur validè ſacramentum, ſi ipſe intendat facere quod facit Eccleſia, ſeu ſacramentum conferre; ita ſi ſuſcipiens verè intendat ſacramentum ſuſcipere, validè illud ſuſcipiet; eſto fide, gratia, alijſque huiuſmodi diſpoſitionibus minimè præditus ſit.

Confirmatur, quia etſi infidelitas, vel improbitas ſuſcipientis ſint diſpoſitiones contrariæ effectui ſacramenti, & illum impedientes, non tamen ſunt contrariæ ipſi ſacramento in ſe ſpectato: quare cum ſacramentum ſit prius effectu ſuo, nulla eſt ratio cur non poſſit homo eiuſmodi diſpoſitionibus affectus, validè ſacramentum, quanquam non effectum ſacramenti, ſuſciperere.

Excipimus tamen à prædicta regula ſacramentum Pœnitentiæ, ad cuius valorem non ſufficit intentio illud recipiendi, ſed inſuper opus eſt vt ſuſcipiens de peccatis doleat, eaque confiteatur; quanquam controuerſia ſit apud Doctores an ad valorem huius ſacramenti neceſſaria ſit attritio ſupernaturalis, an verò naturalis ſufficiat, de qua re in altera parte huius tractatus.

# SECTIO II.

*An ad gratiam ſacramenti requiratur in ſuſcipiente aliqua diſpoſitio.*

SVMMARIVM.

*Sacramenta non conferunt gratiam actu ponentibus obicem; vnde vt quis eam recipiat, debet non tantùm non ponere obicem, ſed etiam actu aliquo poſitiuo, ſi adultus ſit, ſe diſponere; ita quidem vt ad primam gratiam per ſupernaturalem attritionem ſufficienter diſponatur, ad augmentum autem ſatis ſit ſtatus gratiæ.*

ASſertio prima. *Sacramenta non conferunt gratiam actu ponentibus obicem.* Hoc apertè deducitur ex Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 6. vbi definitur ſacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem; ex quo virtualiter ſequitur, ponentibus obicem gratiam non conferri.

Et ex can. 7. vbi cum ſtatuat Concilium per ſacramenta dari gratiam ſemper, & omnibus, quantùm eſt ex parte Dei; non obſcurè indicat homines nonnunquam impedire quin ipſis conferatur gratia, quando ſcilicet ponunt obicem.

Ratio autem eſt, quia actu ponere obicem effectui ſacramenti, nihil aliud eſt quam in ipſa ſacramenti ſuſceptione actu peccare mortaliter: peccatum autem mortale repugnat diui-

næ gratiæ, & qui illud perpetrat indignus eſt cui gratia diuina infundatur; quare ſi eiuſmodi peccatum tandiù duret quandiù ſacramentum ſuſcipitur, fieri non poteſt vt ſuſcipienti gratia conferatur.

Aſſertio ſecunda. *Ad effectum ſacramenti non ſatis eſt quod ſuſcipiens per peccatum non ponat obicem, ſed præterea requiritur, vt ſi adultus ſit, cum aliqua diſpoſitione poſitiua ad ſacramentum accedat.* Dico, ſi adultus ſit; quia in infantibus nulla requiritur actualis diſpoſitio, ſed ſicut aliena voluntate peccauerunt, ita ſine proprio actu gratiam per ſacramentum recipiunt.

De adultis ergo probatur aſſertio, quia imprimis certum eſt fidem in illis ad gratiam recipiendam omnino requiri ex parte intellectus, cum ſine illa impoſſibile ſit placere Deo, ex cap. 11. ad Hebr. Ex parte etiam voluntatis neceſſarium eſſe pium aliquem motum ipſius in Deum, conſtat ex Concil. Trident. ſeſſ.6. & 16. quibus locis docetur ad iuſtificationem adultorum, quæ fit per baptiſmum, aut pœnitentiam, neceſſariam eſſe diſpoſitionem per motum aliquem voluntatis.

Accedit ratio, quia homo dum peccat, per actum voluntatis auertitur à Deo, & conuertitur ad creaturam: quando ergo in amicitiam Dei recipitur, & à peccato, ſiue per ſacramentum, ſiue alio quouis modo mundatur, rationi conſentaneum eſt vt voluntariè à peccato auertatur, & conuertatur ad Deum: quod ſine aliquo voluntatis actu fieri nequit.

Vbi obſeruandum eſt hanc rationem tantùm

procedere de ijs qui cum peccato mortali ad ſacramentum accedunt: poteſt tamen contingere vt quis ſola originali labe infectus baptiſmum poſtulet: Quod enim docet S. Tho. 1. 2. quæſt. 89. art. 6. teneri hominem ſub peccato mortali, conuerti ad Deum ſtatim ac ſe rationis vſu potiri animaduerterit; ita intelligendum eſt, vt ſtatuendum ſit ſpatium aliquod temporis, intra quod homo adimplere poſſit præceptum illud quo tenetur ad Deum conuerti. Si ergo intra illud tempus à peccato mortali abſtineat, & baptiſmum poſtulet, talis ad hoc ſacramentum cum ſola originali labe accedet.

Et in hoc caſu non erit neceſſarius ad effectum ſacramenti actus aliquis pœnitentiæ; quia dolere de peccato ad illum propriè ſpectat, qui peccatum propria, & perſonali voluntate patrauit: & actus doloris includit conuerſionem ad Deum, illius qui propria voluntate ab eo fuit auerſus: atqui adultus accedens ad baptiſmum cum ſolo originali, non peccauit, aut à Deo auerſus fuit propria voluntate, ſed aliena; ergo dignè poteſt accedere ad eiuſmodi ſacramentum abſque actu pœnitentiæ.

Oportet tamen vt ſit fide præditus, & habeat propoſitum ſeruandi legem Chriſti; quia Eccleſia hæc ſuplet in paruulorum baptiſmo, præbens illis os maternum ad fidem, & religionis Chriſtianæ profeſſionem, quamuis non ad pœnitentiam; quo ipſo oſtendit adultos per propriam, & perſonalem fidem, fideique profeſſionem ad baptiſmum dignè ſuſcipiendum diſponendos eſſe.

Aſſertio tertia. *Ad effectum ſacramenti non*

*ſufficit deteſtatio peccati ex motiuo aliquo naturali, vel humano, & ex naturæ viribus orta.* Probatur, nam deteſtatio peccati ſufficiens ad effectum ſacramenti eſt diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem; atqui homo non poteſt naturæ viribus ſe diſponere ad talem gratiam aſſequendam, vt in tract. de Gratia, diſp.5. ſect.6. oſtendimus; ergo nec ad effectum ſacramenti.

Confirmatur ex Concil. Trident. ſeſſ.6. cap. 5. vbi primi motus ad iuſtificationem gratiæ diuinæ tribuuntur: & can.3. vbi hoc ſtatuitur. *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Si quis autem viribus naturæ dolorem ſufficientem ad effectum ſacramenti conciperet, eum pœniteret naturaliter ſicut oportet ad obtinendam iuſtificationis gratiam.

Obijcies. Ex Concil. Trident. ſeſſ.14. cap.4. ad effectum ſacramenti Pœnitentiæ attritio ſupernaturalis ſufficit; ergo ſaltem ad effectum baptiſmi attritio, ſeu dolor naturalis ſufficiet. Sequela patet; nam ex capite ſecundo eiuſdem ſeſſionis conſtat ſacramentum Pœnitentiæ vocari à ſanctis Patribus baptiſmum laborioſiorem aquæ baptiſmi, quia in illo magnis fletibus, & laboribus opus eſt, non autem in iſto.

Reſpondeo negando ſequelam, nam non minus diſpoſitio neceſſaria ad gratiam per baptiſmum comparandam, eſt ſupernaturalis quam ea quæ prærequiritur ad effectum ſacramenti Pœnitentiæ, quod non obſcurè inſinuat Auguſt.

ſerm. 11. ad fratres in heremo dicens, *O compunctio ſancta, ſine qua adultis non prodeſt baptiſmus, ſine qua infructuoſa eſt omnis confeſſio*: quo loco per compunctionem ſanctam intelligit eam quæ ex gratia procedit.

Ad probationem dico ſacramentum Pœnitentiæ dici laborioſius ſacramento Baptiſmi, propter opera pœnalia, quæ in ſatisfactionem imponi debent accedentibus ad confeſſionem: non autem ijs qui baptiſmum poſtulant.

Aſſertio quarta. *Ad primam gratiam ſacramentis obtinendam, non eſt neceſſaria contritio, ſed attritio ſupernaturalis, eaque cognita per ſe ad hoc ſufficit.* Imprimis quod non ſit neceſſaria contritio præuia patet, quia gratia habitualis infunditur eodem inſtanti quo homo conteritur; ergo ſi conteratur priuſquam ad ſacramentum accedat in illo priori tempore gratiam recipiet; & ita accedens poſtea ad ſacramentum, per illud non accipiet primam gratiam ſed tantùm ſecundam, id eſt augmentum gratiæ: imo ſi eodem inſtanti quo conteritur ſacramentum recipit, prima gratia illi infunditur ratione contritionis, augmentum verò illius virtute ſacramenti.

Rurſus quod ſufficiat attritio ſupernaturalis, manifeſtum eſt, tum ex iam dictis, tum ex verbis Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. *Et quamuis ſine ſacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in ſacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Ex quibus conſtat, attritionem de qua ibi Concilium loquitur, ad gratiam in ſacramento Pœnitentiæ obtinendam ſufficere, etſi

aliàs extra ſacramentum ad iuſtificationem ſit inſufficiens.

Idem autem affirmandum eſt de ſacramento baptiſmi: quia baptiſmus eſt ſacramentum mortuorum, non ſecus ac pœnitentia, hoc eſt ad primam gratiam habitualem, & peccatorum remiſſionem conferendam inſtitutum: ſi ergo attritio ſupernaturalis ſufficit ad effectum ſacramenti pœnitentiæ, quidni ad effectum baptiſmi erit ſufficiens? maximè cum in baptiſmo facilior, & liberalior ſit peccatorum remiſſio quam in pœnitentia, vt colligitur ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. de Pœnitentia.

Quod ſpectat ad alia quinque ſacramenta, ea non dicuntur ſacramenta mortuorum, ſed viuorum; quia non ſunt per ſe inſtituta ad remittenda peccata mortalia, & conferendam primam gratiam: quare vt ea dignè ſuſcipiantur, oportet vt ſuſcipiens gratia ſanctificante prædirus ſit; & conſequenter vt ſit contritus ſi conſcius ſibi ſit peccati mortalis. Cæterum præter contritionem neceſſaria eſt confeſſio ſacramentalis in ijs qui ad Euchariſtiam accedere volunt ex Trident. ſeſſ. 13. cap. 7.

Si tamen contingat vt quis bona fide ad illa accedens, peccato mortali obſtrictus ſit, & hoc inuincibiliter ignoret, attritio vera ſufficiet ad conſequendam gratiam per eiuſmodi ſacramenta: ille enim non ponit actu obicem gratiæ, quia etſi reuera peccato mortali detentus ſit, hoc tamen ſine ſua culpa ignorat, vt ſupponimus: vnde non peccat actu ad ſacramentum accedens. Peccatum etiam habituale, in quo verſatur, non

eſt

eſt ſufficiens obex ad impediendum effectum ſacramenti; quia iam peccatum illud retractat per veram attritionem, & voluntatem ſufficienter auertit ab illo, quantùm neceſſarium eſt ad gratiam per ſacramentum obtinendam.

Denique, quod prædicta aſſertio intelligenda ſit de attritione ſupernaturali etiam vt tali cognita, hinc perſpicuum eſt; quia imprimis Concil. ex profeſſo ibi docet quæ diſpoſitio requiratur ad percipiendum fructum ſacramenti Pœnitentiæ; ergo debet aſſignare eam diſpoſitionem quæ per ſe ad talem effectum eſt neceſſaria & ſufficiens, non autem illam quæ ſufficit dumtaxat per accidens, ratione ignorantiæ, & bonæ fidei, cum qua homo ad ſacramentum accedit. Aliàs dicendum eſſet doctrinam à Concilio traditam eſſe mancam, maximè cum non aſſignet aliam diſpoſitionem ad prædictum effectum neceſſariam.

Deinde, poteſt quis licitè accedere ad aliquod ſacramentum, cum animo recipiendi effectum, ad quem tale ſacramentum à Deo directè eſt inſtitutum: atqui ſacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ ſunt directè inſtituta ad remittenda peccata, & primam gratiam conferendam; ergo homo ad illa poteſt accedere cum animo conſequendi primam gratiam, & remiſſionem peccatorum. Si autem exiſtimaret ſe eſſe contritum, non ſuſciperet hæc ſacramenta cum prædicta intentione aſſequendi primam gratiam, quia exiſtimaret ſe per contritionem eam iam eſſe conſecutum; ergo licitè & cum fructu accedere poteſt ad ſacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, cum ſu-

pernaturali attritione, etiam ſi exiſtimet illam eſſe attritionem ſupernaturalem tantùm, non autem veram contritionem.

Verùm contra prædictam aſſertionem obijciet aliquis hoc modo. Vel peccatum habituale eſt ſufficiens obex gratiæ, vel non; ſi eſt ſufficiens obex, ergo qui tantùm e ſtattritus, cum habeat in ſe peccatum habituale, non recipiet gratiam; quia gratia non datur ponentibus obicem. Si autem non eſt ſufficiens obex, peccator qui bona fide accedet ad ſacramentum abſque attritione, recipiet gratiam; quandoquidem ſacramenta gratiam conferunt non ponentibus obicem: & ita attritio non eſt diſpoſitio ad gratiam in ſacramentis recipiendam neceſſaria.

Reſpondeo, peccatum mortale habituale eſſe ſufficientem obicem ad gratiam, quandiu non eſt retractatum per actum aliquem doloris: tandiù enim cenſetur voluntariè permanere, & ex conſequenti ponere obicem gratiæ. Si verò retractetur per veram attritionem ſupernaturalem, ſicut non amplius cenſetur voluntarium, ita nòn eſt impedimentum ad ſuſceptionem gratiæ.

Aſſertio quinta. *Vt homo iuſtus per ſacramenta recipiat augmentum gratiæ, ſatis eſt quod ad ea accedat in ſtatu gratiæ, eſto nulla actuali diſpoſitione præditus ſit.* Ratio eſt, quia ſacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem vt dictum eſt; qui autem ad ea accedit in ſtatu gratiæ, non ponit obicem augmento gratiæ: ergo tale augmentum recipit. Maximè quia hoc fit ex opere operato, ſeu virtute ipſius ſacramenti.

Et hoc verum eſt, etſi ſacramentum ſuſcipiens

actu peccet venialiter, quidquid in contrarium dixerint Caietanus, & Petrus à Soto: & multò magis ſi ſine ſua culpa diſtrahatur; quia peccatum veniale non repugnat formaliter gratiæ, vel augmento illius: neque tanta eſt illius deformitas, vt propter eam ſacramenti ſumptio mortalis cenſenda ſit. Minuit tamen fructum ſacramenti, quia facit vt ſuſcipiens ſit minus bene diſpoſitus. Et quamuis ridiculum ſit aſſerere hominem fieri ſanctiorem, & magis Deo gratum quando ipſum mortaliter offendit; non tamen quando offendit illum venialiter, cum eiuſmodi peccatum diuinæ amicitiæ non repugnet.

Vbi obſeruandum eſt primò prædictam aſſertionem non eſſe intelligendam de ſacramento Pœnitentiæ: ſi enim homo ad illud accedit cum gratia, augmentum gratiæ recipit, non tamen ſi careat omni diſpoſitione actuali, quia actus quidam ſuſcipientis ad eſſentiam huius ſacramenti pertinent, vt ſuperiùs diximus.

Obſeruandum eſt ſecundò, dum aſſerimus in ſuſceptione quorundam ſacramentorum actualem diſpoſitionem non requiri, nos non excludere intentionem illam ſuſcipiendi ſacramentum, quam in adultis neceſſariam eſſe ad valorem ſacramenti ſupra aduertimus: cum enim ſacramenti ſuſceptio, ea verò maximè quæ in vtilitatem non exiguam ſuſcipientis redundat, debeat eſſe humana; humano modo, atque adeo cum voluntate aliqua, & intentione ſuſcipientis fieri debet. Loquimur ergo tantùm de aliis diſpoſitionibus quas ad effectum ſacramentorum neceſſarias eſſe diximus.

Porro licet actualis diſpoſitio neceſſaria non ſit in homine iuſto ad dignam ſacramenti ſuſceptionem, erit tamen non parum ipſi vtile ad maiorem fructum percipiendum ſi actu ad pietatem ſe ſe excitare conetur; præſertim cum reuerentia ſacramento debita id ex honeſtate, & decentia à viro Catholico poſtulare videatur.

Imo cum nemo in hac vita certus omnino ſit, an odio, vel amore dignus ſit, vt ex profeſſo oſtendimus tractatu de gratia, diſp. 9. ſect. 8. optimum erit concilium non accedere ad ſacramentum abſque diſplicentia aliqua generali peccatorum, vt vitetur periculum ad illud accedendi cum obice peccati mortalis.

## SECTIO III.

*Vtrum liceat ſacramentum petere ab eo quem ſcio in adminiſtratione peccaturum.*

### SVMMARIVM.

*Nunquam licet petere ſacramentum ab eo qui illud validè conferre non poteſt. Licet tamen defectu alterius miniſtri ſacramentum petere à Parocho qui inter adminiſtrandum eſt peccaturus : imo vt plurimum ab eo qui non eſt parochus, ſi paratus ſit ad ſacramentum conferendum : & tandem à non parato, ob vtilitatem quæ ex ſimplici vſu ſacramenti percipi poteſt.*

TRibus modis peccare poteſt miniſter aliquis ſacramenta adminiſtrando. Primò, quia non poteſt illa validè adminiſtrare. Secundò, quia ea confert in ſtatu peccati mortalis. Tertiò, quia per Eccleſiaſticas cenſuras ea conferre ipſi prohibitum eſt. De duobus prioribus agemus in hac ſectione, de tertio in ſequentibus.

Prima aſſertio. *Non licet petere ſacramentum ab eo qui non poteſt illud conferre validè, verbi cauſa, abſolutionem à Sacerdote qui caret iuriſdictione.* Ratio eſt, quia qui ita petit, Sacerdotem directè inducit ad peccatum ſacrilegij, quod intrinſecè malum eſt: & præterea accedit ad fictum ſacramentum, quæ res ex ſe mala eſt, & rectæ rationi omnino contraria.

Denique, non habens iuriſdictionem nunquam poteſt, vt ſic, ſine peccato aliquem ſacramentaliter abſoluere: atqui nunquam licet inducere hominem, ad faciendum id quod ſine peccato præſtare non poteſt, ergo, &c.

Dico, vt ſic, quatenus non habet iuriſdictionem; quia ſi quando contingat miniſtrum in aliquo caſu licitè, & validè ſacramentum conferre certæ perſonæ, reſpectu cuius non habet abſolutè per ſe iuriſdictionem ad illi tale ſacramentum adminiſtrandum, eiuſmodi miniſter cenſetur eam habere hîc, & nunc, ex conceſſione Eccleſiæ; verbi cauſa ob periculum mortis imminens, aut quid ſimile; de qua re agetur vbi de pœnitentia.

Secunda aſſertio. *Licitè poſſum petere ſacramentum à meo Paracho quem ſcio in adminiſtratione peccaturum.* Ratio eſt, quia peto rem de ſe bo-

nam, & licitam, quam Paſtor poteſt, & debet benè facere: & præterea vtor meo iure petendo ab illo quod mihi debet: & ipſe propter ſuam malitiam non liberatur ab obligatione ſoluendi tale debitum; nullum ergo erit peccatum ſi ſacramentum à meo Paſtore exigam.

Hoc tamen intelligendum eſt, quando nullus adeſt miniſter qui mihi æquè commodè, & ſine peccato ſacramentum miniſtrare poſſit. Nam ſi detur copia alterius qui ritè, & ſine vllo meo detrimento ſacramentum mihi ſit collaturus, ad illum accedere teneor; nec debeo Parochum ad ſacramenti adminiſtrationem inducere.

Cuius ratio eſt, quia licet ſubditus habeat ius petendi, & Parochus teneatur dare; quia tamen hoc maximè vergit in detrimentum illius ſpirituale, charitas poſtulat vt ſubditus miſereatur ſui Paſtoris, & auferat occaſionem ruinæ illius, cum id ſine vllo damno facere poſſit.

Quod ſi ſecus faciat, probabile eſt eum peccare mortaliter contra legem charitatis, à cuius obſeruatione non liberatur propter obligationem Parochi qua tenetur illi ſacramenta miniſtrare, ſed tantùm propter ſuam neceſſitatem, vel vtilitatem, quæ hîc nulla eſt, vt ſupponimus.

Dixi, ſi alius adſit qui æquè commodè, & ſine peccato ſit mihi adminiſtraturus ſacramentum: ſi enim non datur copia alterius miniſtri; aut ſi datur, ille propter ignorantiam, aut nimiam moroſitatem multo minus futurus eſt mihi vtilis, quam Parochus qui in peccato verſatur, non teneor illum adire, ſed tutò poſſum ad

**Parochum, qui in peccato eſt adminiſtraturus, accedere.**

Tertia aſſertio. *Licet etiam vt plurimum inculpatè ſacramentum petere à miniſtro prauo, qui non eſt meus Parochus, aut ſuperior qui teneatur mihi ſacramentum adminiſtrare, ſi ille alioqui paratus ſit ad ſacramentum conferendum.* Hanc aſſertionem omnes facilè concedunt, quia iam non tam ipſe occaſionem peccandi offero, quam ipſe ſeipſum ſponte præcipitat, eo ipſo quod ſit actu paratus ad ſacramentum conficiendum, aut de facto illud omnibus ſeſe offerentibus adminiſtret; vt ſi, verbi cauſa, ſedeat in confeſſionali ad confeſſiones quorumcunque accedentium excipiendas.

Dixi, vt plurimum, quia interdum non licet ſacramentum ſumere ab eiuſmodi miniſtro quantumuis parato; ſi nimirum alius adſit qui æquè commodè ſacramentum mihi miniſtrare poſſit; vt ſi, verbi cauſa, alter Sacerdos quem noui virum probum, ſit etiam paratus ad confeſſiones audiendas: tunc enim & ex charitate proximi, & propter reuerentiam debitam ſacramento, teneor vitare peccatum illud quod miniſter prauus committet, ſi confeſſionem meam excipiat.

Obijcies, eum nullam contrahere culpam qui mutuo petit à publico vſurario, qui paratus eſt omnibus, & ſingulis pecuniam dare fœnori: ergo idem dicendum eſt de eo qui petit ſacramentum à miniſtro prauo, qui publicè expoſitus eſt ad ea omnibus venientibus conferenda.

Reſpondeo, antecedens verum eſſe dumtaxat, quando non eſt alius præter vſurarium illum publicum à quo pecuniam accipere poſſis:

ſi enim alius ſuppeteret, qui vſuram exacturus non eſſet, teneris ad vitandum hîc, & nunc alterius peccatum, ab illo mutuò petere.

Quarta aſſertio. *Imo & à miniſtro prauo non parato ſacramentum in varijs caſibus ſumere licet.* Nam imprimis, quando quis verſatur in mortis diſcrimine, & periculum eſt ne ſine baptiſmo, aut pœnitentia decedat, poteſt ſine dubio ſecundum omnes vocare Sacerdotem prauum, cui non incumbit ex officio ſacramenta adminiſtrare, vt ab illo baptiſmum, vel abſolutionem poſſit recipere: tunc enim non tenetur vitare ruinam alterius cum tanto ſuo periculo. Maximè quia quod petitur bonum eſt, & à miniſtro bene præſtari poteſt, etſi antea non eſſet paratus ad illud faciendum. An autem in articulo mortis ſacramentum Euchariſtiæ, & extremæ Vnctionis, à miniſtro non tolerato petere liceat, dicetur inferiùs.

Deinde, licet Dominicus à Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 5. art. 6. & ex eo Gregorius de Val. diſp. 3. quæſt. 5. puncto 3. in fine, exiſtiment neceſſitatem ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ, non eſſe ſufficientem cauſam, vt quis ſine culpa ſacramentum à miniſtro non parato poſtulet; oppoſitum tamen eſt probabilius, & præter alios docent Suarez diſp. 18. ſect. 1. Sairus lib. 2. de Sacramentis. cap. 8. quæſt. 1. art. 5. in fine, Ægidius Coninck quæſt. 64. art. 6. dub. 2. Vincentius de Sacramentis in genere part. 10. dubit. 5. & alij.

Ratio autem eſt, quia quando duo præcepta occurrunt quæ ſimul ſeruari nequeunt, id quod maius eſt obſeruari debet: in caſu autem propo-

ſito occurrit præceptum de vitando peccato proprio, & de vitando peccato alieno, quæ duo ſimul hîc, & nunc ſeruari non poſſunt: cum ergo præceptum prioris generis ſit maius, vt intelligitur ex lege charitatis, qua quis ſeipſum magis diligere tenetur quam proximum, illud certè alio prætermiſſo ſeruari debet.

Addo cum prædictis authoribus, non tantùm in caſu neceſſitatis ſeruandi præceptum Eccleſiæ, ſed etiam quando notabilis aliqua mea vtilitas id exigit, me poſſe abſque culpa ſacramentum petere à miniſtro non parato; vt ſi, verbi cauſa, occurrat aliquod ſolemne feſtum quo ſoleo confiteri, & ad ſacram ſynaxim accedere, aut ſi lucrari velim indulgentias, &c. Quia nimirum poſſum licitè ob grauem aliquam vtilitatem, facere rem quæ ex ſe bona eſt & licita, etſi alteri futura ſit occaſio peccandi.

Cæterùm quia vtilitas quæ ex ſimplici vſu ſacramenti percipitur, notabilis dici poteſt, cum per illud gratia ſanctificans, ſiue prima, ſiue ſecunda, cum varijs gratijs actualibus conferatur: ideo tandem cenſeo, ſufficientem eſſe cauſam petendi ſacramentum à miniſtro non parato, quando quis ex deuotione, aut ſpeciali Dei inſtinctu vult ad ſacramentum Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ accedere, vt ex præcedenti ratione ſatis conuincitur. Et hanc ſententiam inter prædictos authores tenet expreſsè Vincentius loco citato.

Ea verò confirmari poteſt duobus exemplis quæ vulgò ab omnibus hoc loco afferri ſolent. Nam primò, licitè poſſum propter lucrum ali-

quod temporale petere mutuò pecunias ab vſurario non parato, etiamſi exacturus ſit vſuras.

Deinde, ob ſimilem cauſam, ſi paganus teſtimonium ferre debeat in iudicio, poſſum rogare illum, etſi non paratum, vt iuramento teſtimonium ſuum confirmet, etſi ſciam illum per falſos Deos iuraturum: Quidni ergo potero ob lucrum ſpirituale, quod infinitis partibus temporale ſuperat, ſacramentum petere à miniſtro non parato, quem ſcio in adminiſtratione peccaturum? Profectò nulla apparet ratio cur hoc negandum ſit, & miror quod præfati authores qui his exemplis vtuntur, eaque approbant, ad hunc particularem caſum non audeant deſcendere (ſi vnicum Vincentium excipias) cum tamen æquè de illo concludant ac de præcedenti, in quo nobiſcum ſentiunt.

Hîc porro aduerte, vt quis licitè poſſit petere, vel ſumere ſacramentum ab aliquo miniſtro, non opus eſſe vt moraliter certus ſit talem miniſtrum eſſe ſufficienter diſpoſitum ad ſacramentum debitè adminiſtrandum, ſed ſatis eſſe ſi non conſtet ei de oppoſito; ſic enim exiſtimare poterit, & debebit, miniſtrum illum bene adminiſtraturum, cum vnuſquiſque præſumatur bonus, quandiù non conſtat eum eſſe malum.

Neque refert quod miniſter paulò ante peccatum mortale commiſerit: hoc enim non ſufficit vt licitè credas eum in adminiſtratione peccaturum; quia fieri poteſt vt ab eo tempore conuerſus ſit ad Deum, & auerſus à peccato per actum contritionis, qui in inſtanti elici poteſt.

Si tamen certò ſcires eum eſſe hominem vitæ

perditæ, & nulla ſalutis ſuæ ſollicitudine teneri, propter inueteratam peccandi conſuetudinem, ad illum non ita facilè accedendum eſſet, niſi in caſibus quos ante memorauimus.

# SECTIO IV.

*An liceat petere ſacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ ab excommunicatis, aliaue cenſura Eccleſiaſtica ligatis.*

## SVMMARIVM.

*Sacramenta licitè peti, & ſumi poſſunt à miniſtris ab Eccleſia toleratis, ſi iuſta cauſa adſit. In articulo autem vel probabili periculo mortis, non tantùm licet à non toleratis, etiam hæreticis ſacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ petere, ſed etiam vnuſquiſque per ſe loquendo tenetur illa petere ab eiuſmodi miniſtris, ſi alij deſint.*

EXcommunicati, aliaue cenſura Eccleſiaſtica deuincti ſunt in duplici differentia: alij enim ſunt tolerati ab Eccleſia, cum quibus nimirum licitè poſſumus communicare in diuinis, & humanis. Alij verò non tolerati, cum quibus communicare non licet in prædictis.

Quamuis autem ſecundum ius antiquum nullus cenſuratus eſſet toleratus, ex iure tamen nouo omnes mali miniſtri, ſiue excommunicati, ſiue

ſuſpenſi, ſiue interdicti, ſiue denique hæretici, ſunt tolerati ab Eccleſia niſi ſint publicè, nominatim, vt expreſsè denunciati, aut notorij Clerici percuſſores, vt ſtatutum eſt à Martino V. in Concil. Conſtant. in bulla à ſe edita, quæ incipit, *Ad euitanda ſcandala, & animarum pericula.*

Et idem affirmandum eſt de publicis concubinarijs, & fornicarijs; quia licet ab illis ſacramenta recipienda non eſſe iura antiqua decernerent; hoc tamen correctum fuit à Concil. prædicto, iuxta quod publici concubinarij non ſunt vitandi, niſi nominatim declarati fuerint ſuſpenſi.

Nec refert quod Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 14. de Reformat. pœnas concubinarijs olim inflictas renouare videatur; non enim hoc ita facit, vt velit pœnas illas ipſo facto incurri, ſed tantùm vult vt à Iudice infligantur, vt ex ipſo textu ſatis perſpicuum eſt.

Porro etſi hoc ita ſit ſpectando ius commune, hoc tamen non impedit quin ex iure particulari, in quibuſdam locis concubinarij ſint ipſo facto ſuſpenſi à diuinis, vt in diœceſi Cameracenſi, Atrebatenſi, & ſimilibus de quibus agit Siluius in 3. partem, quæſt. 64. art. 6. quæſito 3. his poſitis.

Aſſertio prima ſit. *Sacramenta licitè peti, & ſumi à miniſtris ab Eccleſia toleratis, ſi iuſta cauſa adſit.* Ratio eſt, quia ſi ab eiuſmodi miniſtris ſacramenta petere non licet, hoc eſt, quia id aut ex præcepto Eccleſiæ, aut ex lege charitatis prohibitum eſt: at neutrum dici poteſt; non primum, nam in prædicta bulla Martini V. dicitur ne-

minem teneri in poſterum abſtinere à communione alicuius in adminiſtratione, vel receptione ſacramentorum, prætextu cuiuſque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, niſi ſit publicè, ſpecialiter, & expreſsè denunciatus, aut publicus Clerici percuſſor. Nec ſecundum, quia vt ſupra diximns, ex lege charitatis non prohibemur rem nobis valdè vtilem ab illo petere, qui eam ſine peccato nobis concedere poteſt, eſto à parte rei illam ſine peccato non ſit conceſſurus. Toleratus autem poteſt ſine peccato ſacramentum adminiſtrare, ſi nimirum peccata confiteatur, & abſolutionem petat à cenſura ſi poſſit; aut ſi non poteſt, proponat eam quamprimum petere: ergo ex iuſta cauſa licet ab illo ſacramentum exigere.

Hinc collige me poſſe licitè ſacramentum petere à miniſtro tolerato, ſiue ſit Parochus, ſiue non, quando legitima cauſa ſubeſt. Quia nimirum neceſſitas, aut vtilitas propria excuſat me in hoc caſu ab obſeruatione præcepti charitatis: ſiue autem ille ad quem accedo ſit Parochus meus, ſiue non; par eſt, & æqua mea neceſſitas, vel vtilitas quam ex ſacramento ſpero me recepturum: quare licitè poſſum etiam ad non Parochum accedere.

Nec dicas Parochum eſſe magis paratum ad ſacramentum adminiſtrandum quam non Parochum, atque adeo me non tam illum quam hunc ad peccatum inducere: Nam reuera propriè neutrum ex illis ad peccatum induco, ſed ad actionem ex ſe bonam, & honeſtam quam vterque benè, & ſine peccato præſtare poteſt, ſi velit.

Præterquam quod ſæpe accidere poteſt vt Parochus ſacramentum non niſi inuitus adminiſtret; alter verò qui ex officio illud conferre non tenetur, ſit paratus, & expoſitus ad illud adminiſtrandum.

Aſſertio ſecunda. *In articulo mortis licitè poſſum petere ſacramentum Baptiſmi à miniſtro non tolerato.* Eſt communis Theologorum omnium. Probari autem ſolet à nonnullis authoritate Nicolai Papæ de Conſecrat.diſt.4.can. *A quodam Iudæo.* Sed fruſtra, nam ibi docet tantùm Pontifex baptiſmum collatum à Iudæo, aut Pagano eſſe validum: non tamen determinat vtrùm liceat in articulo mortis baptiſmum petere ab eiuſmodi hominibus, quod ſane aliud eſt.

Meliùs ergo ſtabilitur aſſertio imprimis authoritate Auguſt. qui lib.1. de Baptiſmo, cap.2. hæc ſcribit. *Si quem fortè coëgerit extrema neceſſitas, vbi Catholicum per quem accipiat* (baptiſmum ſcilicet) *non inuenerit, & in animo pace Catholica cuſtodita, per aliquem extra vnitatem Catholicam poſitum, acceperit quod erat in ipſa Catholica vnitate percepturus; ſi ſtatim etiam de hac vita migrauerit, non eum niſi Catholicum deputamus.* Et ſtatim addit ſe non tantùm non improbare quod ille fecit baptiſmum ſumens ab hæreticis, ſed etiam ſecuriſſimè, veriſſiméque laudare. Hic porro Auguſt. locus refertur 24. quæſt.1.cap. *Si quem forte,*

Deinde, ad idem probandum accedit ratio. Quia licet homo abſolutè ſaluari poſſit ſinè ſacramento Baptiſmi, ſi nimirum contritus decedat, vt dicetur vbi de baptiſmo: quia tamen

non ita facilè actus veræ contritionis elicitur, nec ipſa contritio ſufficit quando baptiſmus reipſa haberi poteſt; neceſſe eſt vt prædictum ſacramentum in articulo mortis conſtituto, ſi fieri poſſit adminiſtretur, etiam à non toleratis; Eccleſia ita permittente, ratione periculi quod aliàs ſine huiuſmodi remedio ſaluti fidelium immineret.

Confirmatur, quia miniſter non toleratus etiam hæreticus, videns proximum in mortis periculo conſtitutum, tenetur illum non vitare, atque adeo ſacramentum Baptiſmi ipſi adminiſtrare, ſi baptizatus non ſit: ergo multò minus qui in tali periculo verſatur, tenetur miniſtrum non toleratum, etiamſi hæreticus ſit, vitare quoad ſuſceptionem baptiſmi; cum præceptum de vitando miniſtro non tolerato, imponatur alijs occaſione miniſtri, miniſtro vero ratione ſuiipſius; ac proinde magis teneatur eiuſmodi miniſter vitare alios, quam ipſum alij.

Hoc autem ſemper intelligendum eſt quando non eſt copia miniſtri alterius, & alioqui communicatio cum tali hæretico non vergit in perniciem ſuſcipientis ſacramentum, aut aliorum qui adſtant: ſi enim eſſet aliquod periculum, ne ipſi propterea inducerentur in errorem, non liceret ab eiuſmodi miniſtro ſacramentum ſumere. Verùm hæc occaſio eſt extrinſeca, & per accidens vt perſpicuum eſt, atque adeo non obſtat quin res ipſa ſit per ſe loquendo honeſta, & licita.

Cæterùm ex dictis hæc duo corollaria ſequuntur. Primùm eſt, debere parentes, eos ſaltem

qui baptiſmi formam ignorant, & non habent copiam miniſtri Catholici, aut tolerati, offerre paruulum non tolerato, vt illum in caſu neceſſitatis baptizet. Cum enim baptiſmus ſit de neceſſitate ſalutis, & extet præceptum diuinum, tam de eo ſuſcipiendo, quam de conferendo; ſicut non toleratus tenetur illum conferre paruulo quem videt in proximo vitæ diſcrimine verſari, ita parentes tenentur paruulum, eiuſmodi miniſtro quantumuis non tolerato, offerre. An autem parentes qui rectè callent ritum baptizandi, in dicto caſu Sacerdoti non tolerato quoad munus baptizandi cedere debeant, dicetur vbi de ſacramento Baptiſmi.

Alterum corollarium eſt, in ſimili caſu adultum poſſe, & debere baptiſmum petere à miniſtro non tolerato cum extet, vt dixi, præceptum diuinum de baptiſmo aquæ realiter ſuſcipiendo, nec ſufficiat baptiſmus flaminis, ſeu pœnitentiæ, quando alter haberi poteſt.

Falſum eſt autem quod nonnulli dicunt adultum tunc peccare participando peccato alterius: miniſter enim non toleratus non peccat, vt ſic, baptiſmum ſine ſolemnitate conferens in caſu neceſſitatis: quod à fortiori de ſuſcipiente cenſendum eſt.

Aſſertio tertia. *In articulo mortis ſacramentum Pœnitentiæ à miniſtro non tolerato petere licet.* Sententia hæc eſt communis, & probari poteſt imprimis ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap.7. vbi docetur quoſlibet Sacerdotes, in articulo mortis poſſe quoſlibet pœnitentes abſoluere à quibuſuis peccatis, & cenſuris: quibus verbis ſicut compre-

comprehenduntur quilibet pœnitentes, etiam excommunicati ob quæcunque crimina, & quæuis peccata licet annexam habeant quamuis cenſuram; ita eſt ſermo de quibuſlibet Sacerdotibus etiam non toleratis: tria enim illa ſigna diſtributiua ſine vlla limitatione, & conſequenter cum æquali latitudine adiecta ſunt.

Suaderi etiam poteſt prædicta aſſertio ratione. Quia ex vna parte in articulo mortis quilibet Sacerdos habet juriſdictionem ad abſoluendum, ſaltem ex conceſſione Eccleſiæ, vt intelligitur ex Concil. Trident. iam citato: ex alia verò non deeſt tunc neceſſitas ſufficiens, quæ excuſet ab obſeruatione præcepti Eccleſiaſtici de vitando miniſtro præciſo, ſeu non tolerato, cum ſacramentum Pœnitentiæ ſit per ſe medium ad ſalutem neceſſarium, & jure diuino præceptum, & præterea periculum ſit ne homo ſine vera contritione moriatur. Licebit ergo in articulo mortis ſacramentum Pœnitentiæ à quocunque miniſtro, quantumuis præciſo, ſeu non tolerato petere.

Confirmatur, nam licet homo abſolutè ſaluari poſſit ſine ſacramento Pœnitentiæ re ſuſcepto, ſi nimirum vera contritione præditus ſit, & cum illa intereat; quia tamen difficile eſt elicere actum perfectæ contritionis, ideò moraliter loquendo realis ſuſceptio huius ſacramenti peccatori neceſſaria eſt: & hæc neceſſitas ſufficit vt in eo caſu à quouis Sacerdote peccator abſolui poſſit. Aliàs ſane æquè dicendum eſſet, non poſſe adultum in extremis poſitum baptiſmum petere à non tolerato, cum abſque reali ſuſceptione baptiſmi

ſaluari poſſit per contritionem ſolam, ſi per ipſum non ſtet quominus re ipſa baptiſmum ſuſcipiat.

Dices, quando jura prohibent ne excommunicatus ſacramenta adminiſtret, abſolutè loquuntur, neque vllam apponunt exceptionem: ergo non licebit ſacramentum petere, ſaltem ab excommunicato, etiam in periculo mortis.

Reſpondeo primò, non eſſe neceſſe vt exceptiones ponantur in ſingulis legibus, ſed ſufficere ſi in nonnullis adhibeantur.

Reſpondeo ſecundo, jura in caſuum reſeruatione ſolere excipere articulum mortis. Sic enim 17. quæſt. 4. cap. *Si quis ſuadente*, Innocent. prohibet ne quis Epiſcopus præſumat abſoluere eum qui violentas manus in Clericum injecerit, niſi vrgente mortis periculo. Et Innocent. III. in cap. *Paſtoralis*, *De officio Iudicis ordinarij*, monet excommunicatum à delegato Papæ, non poſſe abſolui niſi ab eodem, aut ab alio Sacerdote ei in onere, & honore ſuccedente, vel à Papa, excepto tamen mortis articulo. Idem dicunt alij. Si ergo jura excipiunt articulum mortis ex parte pœnitentis, ita vt tunc abſolui poſſit ab excommunicatione, alijſque cenſuris; conſequenter cenſentur illum excipere ex parte miniſtri quantumuis præciſi, vel non tolerati. Quia quod talis miniſter ſacramentorum miniſterio priuetur, hoc fit in odium ipſius: quod autem in articulo mortis ſacramentum conferre poſſit, hoc fit in gratiam & fauorem ſuſcipientis, vt nimirum ſuccurratur illius neceſſitati, quæ non tantùm procedere poteſt ex eo quod ipſe ſit ligatus aliqua

cenſura, ſed etiam ex eo quod non habet copiam alicuius miniſtri qui non ſit præciſus: vnde ſicut in eo caſu à qualibet cenſura abſolui poteſt, ita & à quolibet cenſurato abſolutionis beneficium poteſt recipere.

Porro ad maiorem prædictorum elucidationem nonnulla obſeruanda ſunt. Primò, Sotum in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 4. & Gregor. de Val. tomo 4. diſp. 7. quæſt. 10. puncto 2. §. *primo cum pœnitens*, diſtinguere inter articulum, & periculum mortis, & prædicta reſtringere ad ſolum mortis articulum, quando ſcilicet, vt ipſi inquiunt, mors eſt in fieri, ſiue per cauſam naturalem, ſiue per violentam.

Verùm probabilius eſt dictam conceſſionem extendendam eſſe etiam ad morale mortis periculum, vt dum quis longam nauigationem ſubit, aut prælium ingreditur, &c. Et ita tenent Nauarrus, Paludanus, Medina, Syluester, & plures alij. Siquidem in Iure Canonico quando agitur de prædicta exceptione, mox excipitur mortis periculum, mox verò mortis articulus; quo ipſo ſatis oſtenditur ſecundum jus prædictam conceſſionem ad vtrumque extendi; præſertim cum fauores ſint ampliandi, & odia reſtringenda.

Accedit quòd ratio cur in articulo mortis Eccleſia facultatem concedat petendi abſolutionem à miniſtro non tolerato, eſt, quia tale ſacramentum eſt medium ad ſalutem neceſſarium: at non tantùm in articulo, ſed etiam in probabili mortis periculo confeſſio cenſenda eſt medium neceſſarium ad ſalutem, cum in eo caſu

præceptum diuinum de confeſſione facienda obliget, vt ex 2. parte huius tractatus ſuppono.

Secundò, obſeruandum eſt prædictum articulum, vel periculum mortis intelligendum eſſe habere adiunctam neceſſitatem petendi abſolutionem à miniſtro non tolerato, quando non adeſt alius toleratus, vel ſi adeſt, non vult abſolutionem impendere: ſi enim adſit alius quid id ritè peragere poſſit, & velit; pœnitens non eſt conſtitutus in neceſſitate petendi abſolutionem à non tolerato, vt nimis clarum eſt.

Quod verùm eſt etiam quando non toleratus eſt multò doctior, aut prudentior tolerato; dummodo toleratus iſte non ſit adeo rudis, vel ignarus, quin ea poſſit adhibere quæ ad abſolutionem dignè impendendam ſufficiunt: non enim tribuitur juriſdictio Sacerdoti non tolerato, propter maiorem vtilitatem pœnitentis, ſed tantùm propter neceſſitatem illius extremam, quæ hîc non interuenit. Maximè cum pœnitens, miniſtrum non toleratum, in ijs quæ ad ſcientiam pertinent, extra confeſſionem tunc inculpatè conſulere poſſit.

Tertiò, aduerte prædicta intelligenda eſſe de non tolerato, etiam ſi hæreticus ſit. Nam in caſu extremæ neceſſitatis non tenemur vitare hæreticum, & quod ab illo petimus iuſtum eſt, & licitè ab illo conferri poteſt, cum non priuetur juriſdictione propter hæreſim vt ſic; juriſdictio enim non fundatur in fide vt nonnulli exiſtimant: aliàs propter hæreſim mentalem deperderetur. At neque etiam priuatur juriſdictione ob declarationem cenſuræ; quandoquidem in tali

neceſſitate Eccleſia, quæ eſt pia mater, juriſdictionem non aufert, vt ex Trident. citato intelligitur. Denique, poteſt etiam tunc hæreticus licitè abſoluere, ſi nimirum ad fidem, & pœnitentiam conuertatur. Quare nulla ſupereſt ratio cur non liceat ab eiuſmodi miniſtro in dicta neceſſitate abſolutionem petere, & recipere.

Quin imo cum tunc præceptum diuinum confitendi obliget, & infirmus illud implere commodè poſſit, tenetur ad miniſtrum hæreticum accedere, dummodo ex tali communicatione periculum non ſit ne ſuſcipiens, aut aliquis alius in errorem inducatur, vt præcedenti aſſertione monuimus.

## SECTIO V.

### *An à miniſtris non toleratis alia ſacramenta petere liceat.*

SVMMARIVM.

*Sacramentum Euchariſtiæ in articulo mortis à miniſtro non tolerato ſumi poteſt, propter magnam illius neceſſitatem moralem. Sacramentum verò Extremæ Vnctionis, & Confirmationis, quando moriens eſt attritus, & alia ſacramenta recipere non poteſt. In eo etiam articulo poteſt Sacerdos præciſus validè, & licitè matrimonio aſſiſtere.*

PRæcipua difficultas eſt de Sacramento Euchariſtiæ, quod à miniſtro non tolerato, etiam

in articulo mortis adminiſtrari poſſe negant authores non pauci, S. Thom. Paludanus, Sylueſter, Victoria, & quidam alij quos refert, & ſequitur Sairus lib. 2. de Sacramentis, cap. 8. quæſt. 2. art. 3.

Oppoſitum tamen docent multi ex recentioribus, inter quos Dom. Soto in 4. diſt. 13. quæſt. 1. art. 9. §. *veruntamen*, vbi expreſsè articulum mortis excipit, quod animaduertere debuerat Sairus, qui contrariam ſententiam ei affingit. Idem tradit Nauarrus in ſumma cap. 22. Suarez tomo 3. in 3. partem, diſp. 72. ſect. 4. in fine. Vincentius de Sacramentis in genere, parte 10. dub. 5. ad 3. & Filliucius tomo 1. tract. 12. cap. 3. quæſt. 8. quibus libenter aſſentior.

Hoc autem probari poteſt primo ex cap. *Quod in te, de pœnitentijs, & remiſſ.* vbi Innocent. III. monet eo ipſo quod tempore generalis interdicti ſacramentum Pœnitentiæ morientibus conceditur, ipſis etiam in eo ſtatu concedi viaticum. Si ergo interdictus poteſt in mortis articulo ad communionem accedere, & Eccleſia intelligit vt ipſi viaticum adminiſtretur, eo ipſo quod ei facultatem tribuit accedendi ad ſacramentum Pœnitentiæ: potiori ſane iure dicemus virum iuſtum qui nulla cenſura ligatus eſt, poſſe in articulo mortis Euchariſtiam petere, etiam à non tolerato: & Eccleſiam hoc ipſi concedere, eo ipſo quod illi facultatem tribuit petendi ſacramentalem abſolutionem ab eiuſmodi miniſtro.

Præſertim cum cenſuræ Eccleſiaſticæ ferantur in odium miniſtri praui, non autem in detrimentum ſuſcipientis, quem non decet maxi-

mo bono priuari ob peccatum alterius.

Deinde, licet ſacramentum Euchariſtiæ non ſit neceſſarium neceſſitate medij, eſt tamen neceſſarium neceſſitate præcepti diuini, vt colligitur ex verbis illis Chriſti Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hoc autem præceptum diuinum, ex probabiliori ſententia, obligat ſemper pro articulo mortis; quare qui in eo periculo verſatur, debet potiùs tali præcepto ſatisfacere, quam præcepto Eccleſiaſtico de vitando miniſtro non tolerato quoad participationem ſacramentorum.

Et quamuis hoc præceptum per ſe non obliget miniſtrum non toleratum ad conferendum alteri ſacramentum; ſi tamen aliunde ſpectetur neceſſitas maxima proximi in mortis diſcrimine conſtituti, qui participatione Euchariſtiæ multùm iuuari poteſt ad vitanda peccca mortalia, ex Trident. ſeſſ. 13. cap. 2. & conſequenter ad perſeuerantiam finalem obtinendam, imo & interdum ad primam gratiam, ſine qua nemini ſalus obtingit, aſſequendam; ſi nimirum ſuſcipiens ſit ſolum attritus, & cum peccato mortali, bona fide accedat ad hoc ſacramentum; aut quia peccatum ſuum inuincibiliter ignorat; aut quia ſe contritum exiſtimat; aut tandem ſi ad talem ſtatum redactus ſit, vt non poſſit ſacramentalem abſolutionem recipere: in quo caſu omnes concedunt Euchariſtiam habere vim expellendi peccata mortalia, & conferendi attrito primam gratiam. Si, inquam, hæc omnia ſpectentur, ſine dubio non ſolum moriens pote-

rit licitè communionem à miniſtro non tolerato recipere, ſed ipſe etiam miniſter non toleratus, inculpatè poterit hoc ſacramentum illi admini-ſtrare.

Quod tandem ea ratione confirmatur, quia non tantùm qui in extrema, ſed etiam qui in valdè graui neceſſitate corporali conſtitutus eſt, poteſt à non tolerato cibum poſtulare, & non toleratus poteſt illi cibum porrigere. Quidni ergo poterit qui in prædicta neceſſitate ſpirituali, quæ ſane grauiſſima dici poteſt, conſtitutus eſt, panem ſacramentalem à miniſtro non tolerato accipere? aut quæ ratio eſt, cur eiuſmodi mini-ſter in tali caſu Euchariſtiam licitè miniſtrare non poſſit.

Dices, Hermenigildum maluiſſe mori quam ſumere Euchariſtiam ab Arriano Epiſcopo, vt habetur cap. *Cœpit*, 24. quæſt. 1. & addit Grego-rius, *Sed vir Deo deditus Arriano Epiſcopo venienti exprobrauit; vt debuit*: ſi ergo exprobrare debuit, peccaſſet ab eo ſacramentum accipiens.

Ad hoc ita reſpondeo. Primò, Hermenigil-dum noluiſſe ſumere venerabile ſacramentum ab Epiſcopo Arriano, ne in hæreſi Arriana cum Patre conſentire videretur: vt enim conſtat ex textu citato, Euchariſtia ad illum mittebatur, vt illius ſumptione ſignificaret ſe errorem parentis amplecti.

Secundò dico, nos non aſſerere ſumi poſſe Euchariſtiam à non tolerato, quando neceſſitas vrget implendi præceptum Eccleſiæ de frequen-tanda ſolùm communione, ſed quando pericu-lum mortis imminet: Hermenigildus autem non

erat in tali periculo conſtitutus, nec illi ſacramentum offerebatur tanquam viaticum, ſed vt communicaret in Paſchate juxta præceptum Eccleſiæ.

Accedit, quod Hermenigildus poterat ſacramentum ſumere ab alijs miniſtris, qui cenſura Eccleſiaſtica ligati non erant: nos autem loquimur de eo ſtatu in quo non datur copia alicuius miniſtri, qui non ſit publicè, & nominatim denunciatus.

Ad verba Gregorij patet iam quid dicendum ſit: ideo enim Hermenigildus increpare debuit Arrianum Epiſcopum, quia offerendo illi Euchariſtiam, volebat eum in ſuam perfidiam pertrahere, quod clarè indicat ipſe Gregorius cum poſt verba citata addit; *Eiuſque à ſe perfidiam dignis increpationibus repulit.*

Ex dictis facile colligitur quid dicendum ſit de ſacramento Extremæ Vnctionis: nam cum non ſit neceſſarium neceſſitate medij, aut præcepti diuini, & per ſe ſupponat ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ; ſicut non datur morienti qui aliqua cenſura eſt ligatus, vt colligitur ex prædicto cap. *Quod in te*, vbi dicitur tempore generalis interdicti vnctionem extremam dandam non eſſe; ita etiam peti non debet per ſe loquendo à miniſtro non tolerato, vt omnes fatentur.

Quia tamen interdum poteſt contingere vt moriens ſit attritus, & vi morbi ita ſenſu, & motu priuatus ſit, vt non poſſit ſacramenta Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ recipere: in hoc caſu exiſtimo extremam vnctionem poſſe illi à quo-

cunque miniſtro conferri: quia hoc ſacramentum etſi per ſe primò inſtitutum ſit ad conferendam ſecundam gratiam, & auxilia actualia ad roborandum infirmi animum iacentem, ac languidum, contra tentationes tunc ingruentes; ſecundariò tamen eſt inſtitutum ad conferendam attrito primam gratiam, & delenda peccata mortalia quæ iam per alia ſacramenta deleri nequeunt; vt ſuppono ex communi ſententia, quam tradunt Valentia, Coninck, Sylvius, & plures alij agentes de effectibus huius ſacramenti. Si quis ergo in eo ſtatu conſtitutus ſit, vt non poſſit recipere abſolutionem, aut communionem, ſit tamen verè attritus; poteſt ſanè extrema vnctio à non tolerato illi conferri: cum ipſius ſalus ab eiuſmodi ſacramento dependeat. Nec dubito quin hoc conceſſiſſet Sairus, & alij authores quos allegat, ſi ipſis caſus ille in mentem veniſſet. Quod etiam à paritate rationis de Confirmatione aſſerendum eſt.

Quæret fortè aliquis, quid dicendum ſit de alijs duobus ſacramentis Ordine, & Matrimonio.

Reſpondeo primò, vix vllum poſſe concipi caſum, in quo neceſſe ſit ordinem alicui conferri in articulo mortis, atque adeo diſputationem noſtram locum non habere in tali ſacramento.

Reſpondeo ſecundò, eam etiam ceſſare in matrimonio, quia nos agimus tantùm de ſacramentis quæ à Sacerdote non tolerato conferri poſſunt vt ab Eccleſiæ miniſtro: Sacerdos autem non eſt miniſter matrimonij, ſed ipſi contrahen-

tes qui ſibi inuicem ſacramentum adminiſtrant.

Hoc tamen vt validè fiat, Parochus, vel alius Sacerdos adeſſe debet iuxta præceptum Eccleſiæ: aliàs contractus erit nullus, & conſequenter etiam ipſum ſacramentum Matrimonij, quod in legitimo contractu fundatur, erit inualidum.

Sed vrgebis, an miniſter non toleratus poſſit intereſſe matrimonio, ſi fortè neceſſarium ſit, vt quis in articulo mortis contrahat cum aliqua, verbi cauſa cum concubina ex qua ſuſcepit liberos, eamque in vxorem ducat, tum ob bonum temporale filiorum, tum maximè vt ſaluti ſuæ conſulat.

Reſpondeo affirmatiuè, ea enim communicatio non cenſetur adeo grauis quin à peccato excuſetur. Maximè in caſu tantæ neceſſitatis: quod ſimiliter dicendum eſt de alijs caſibus qui extra mortis articulum occurrere poſſunt, vt ſi coniuges nulla ratione poſſent contractum differre ob graue aliquod damnum ingruens; & non eſſet alius qui poſſet aſſiſtere præter non toleratum: & iſte prius abſolutionem obtinere non poſſet.

*Finis diſputationis ſeptimæ.*

# DISPVTATIO OCTAVA.

## *De primario ſacramentorum effectu, nempe gratia,*

### In octo Sectiones diſtributa.

CVM *in præcedenti diſputatione actum fuerit de ijs quibus ſacramenta adminiſtrantur, conſequenter hic tractandum eſt de præcipuo effectu qui in illis producitur, nimirum de gratia. Videndum ergo imprimis, an ſacramenta noua legis gratiam conferant. Secundò, an gratiam conferant ex opere operato. Tertiò, an immediatè producant gratiam. Quartò, an illam producant phyſicè, an verò tantum moraliter. Quintò loco, refelluntur varij modi quibus cauſalitas phyſica ſacramentis tribui ſolet. Sextò, proponuntur multa argumenta aduerſus cauſalitatem moralem ſacramentorum. Septimò, inquiritur vtrum gratia ſacramentalis diſtinguatur ab habituali. Vltimò, an ſacramenta antiquæ legis gratiam contulerint.*

# SECTIO I.

*An ſacramenta noua legis gratiam conferant.*

SVMMARIVM.

*Sacramenta noua legis per ſe verè conferre gratiam vt cauſas illius inſtrumentales, ex Scriptura, Concilÿs, & Patribus, colligitur aduerſus hæreticos huius temporis, qui non aliter ſacramenta gratiam conferre dicunt, quam fidem excitando.*

NOn quærimus in iſta ſectione, an ſacramenta gratiam conferant tanquam cauſæ illius principales, ſiquidem eſſe hoc modo cauſam gratiæ ſoli Deo competit: ſed dubium eſt dumtaxat an ſint cauſæ inſtrumentales gratiæ.

Circa quam difficultatem occurrit ſtatim error hæreticorum huius temporis, qui licet aliquando docere videantur ſacramenta eſſe cauſas gratiæ, hoc tamen non alio modo intelligunt, niſi quia ſacramentis excitatur fides, quam ſolam iuſtificare arbitrantur: ſicut enim prædicatione diuini verbi, per auditum fides excitatur, ita & per ſacramenta oculis exhibita fidem excitari volunt; quatenus ea ſuſcipiens concipit certam fiduciam de ſua iuſtitia.

Verùm aſſertio noſtra, & omnium Catholicorum hæc ſit. *Sacramenta noua legis per ſe verè con-*

Digitized by Google

*ferunt gratiam*. Eſt de fide, & probari poteſt imprimis ex Scriptura.

Actorum 2. de Baptiſmo dicitur, *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*; & ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti.*

De Confirmatione Act. 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*, licet autem nonnulli exiſtiment hanc manuum impoſitionem non fuiſſe ſacramentum, oppoſitum tamen dicetur inferiùs diſp. 15.

De Euchariſtia Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*: quo loco ad vitam æternam intelligitur gratia quæ eſt inchoatio quædam, ſeu ſemen gloriæ, & vitæ æternæ.

Denique, de Pœnitentiæ ſacramento Ioannis 20. dicitur. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, peccata porro mortalia non remittuntur ex communi lege ſine infuſione gratiæ ſanctificantis, omitto alia.

Secundò, idem ſuadetur ex varijs Concilijs, maximè verò ex Florentino ſub Eugenio IV. in decreto de ſacramentis, vbi ſtatuitur, ſacramenta nouæ legis & gratiam continere, & dignè ſuſcipientibus conferre.

Item ex Tridentino ſeſſ. 7. can. 6. de Sacramentis in communi, vbi hoc ſtatuitur. *Si quis dixerit ſacramenta noua legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, anathema ſit.*

Et can. 7. *Si quis dixerit non dari gratiam per huiuſmodi ſacramenta ſemper, & omnibus, quantum*

*ex parte Dei*, &c. *anathema ſit.* Tandem can. 8. definitur hæc ſacramenta conferre ex opere operato, vt dicemus ſect. ſequenti.

Tertiò, ex Patribus idem probari poteſt de varijs ſacramentis: nam primò can. *Per aquam*, de Conſecrat. diſt. 4. ſic habetur ex Ambroſio. *Per aquam baptiſmi tranſitus eſt à terrenis ad cœleſtia; hoc eſt enim Paſcha, id eſt tranſitus eius, tranſitus à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad ſanctificationem.* Ex quo textu manifeſtum eſt ſacramento Baptiſmi gratiam conferri.

Deinde, can. *Spiritus ſanctus*, de Conſecrat. diſt. 5. verba hæc traduntur ex Melchiade Papa: *Spiritus ſanctus qui ſuper aqua baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam.* Ex quo loco conſtat in baptiſmo conferri primam gratiam, & in confirmatione ſecundam.

Rurſus can. *Si quotieſcunque*, de Conſecrat. diſt. 2. docetur ex Ambroſio ſacramentum altaris gratiam conferre, his verbis. *Si quoteſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur: qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.*

Et can. ſequenti ſic habetur ex Hilario: *Si non ſunt tanta peccata vt excommunicetur quis, non ſe debet à medicina corporis, & ſanguinis Domini ſeparare.* Quare vocatur hoc ſacramentum medicina? non alia de cauſa niſi quia ægritudines animi ſanat; quod non efficit niſi conferendo gratiam.

Tandem can. *Totam*, de Pœnit. diſt. 3. apertè dicitur ex Hieronimo, eum qui ſua confeſſus fuerit peccata, & dixerit cum Propheta, putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ; fœditatem vulnerum in ſanitatis decorem commutare. Quibus verbis nihil elegantius dici potuit pro ſacramento Pœnitentiæ. Idem dici poteſt de alijs, quæ ne ſim nimius prætereo.

Denique, præcipua ratio noſtræ aſſertionis ſumenda eſt ex voluntate Chriſti, quæ ex Scriptura, Concilijs, & Patrum traditione nobis innoteſcit. Quòd autem congruum fuerit Chriſtum dare ſacramentis virtutem conferendi gratiam, tum ad oſtenſionem ſuæ ſapientiæ; & bonitatis: tum ad perfectionem legis Euangelicæ: tum denique ad noſtram vtilitatem per ſe ſatis manifeſtum eſt.

Dices 1. Ad Roman. 1. Iuſtus dicitur ex fide viuere, non autem dicitur viuere ex ſacramentis; ergo ſacramenta non habent vim conferendi vitam animæ.

Reſpondeo negandam eſſe conſequentiam; nam quod citato loco tribuitur fidei, aliàs tribuitur ſpei, aliàs timori, aliàs dilectioni, aliàs pœnitentiæ, aliàs ſacramentis: ſicut ergo Apoſtolus tribuendo vitam fidei, non excludit ſpem, timorem, dilectionem, &c. ita nec ſacramenta. Quia hæc omnia ſuo modo ad iuſtificationem concurrunt; fides quidem vt fundamentum illius, ſpes, timor, & dilectio tanquam diſpoſitiones, vt diximus in tract. de gratia, diſp. 9. ſect. 6. At verò ſacramenta ſe habent vt inſtrumenta

ſtrumenta illius ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7.

Dices 2. Apoſtolus Petrus epiſt. 1. cap. 3. poſtquam dixit agens de diluuio, octo animas ſaluas factas fuiſſe per aquam, hæc addit. *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum*, &c. quibus verbis ſignificare videtur, baptiſmum non ſanctificare per ablutionem corporis, ſed ratione rectæ fidei in Deum.

Reſpondeò, longè aliam eſſe Petri mentem; alludit enim ad eam conſuetudinem Eccleſiæ, qua interrogari ſolet baptizandus an velit baptizari; an renunciet Sathanæ; an credat in Chriſtum: & per hoc ſignificat diſpoſitionem cum qua quis ad baptiſmum accedere debet, ſi per illum ſaluari velit: nam qui ex bona conſcientia, ſeu ex animo, & ſyncera intentione reſpondet prædictis interrogationibus, volo, renuncio, credo, talis profitetur ſe habere veram fidem, quæ legitima eſt ad effectum ſacramenti recipiendum diſpoſitio.

Dices 3. Auguſt. tract. 80. in Ioan. *Vnde* (inquit) *tanta vis aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur ſed quia creditur?* quibus verbis tribuit fidei, iuſtificationem quæ in baptiſmo confertur.

Reſpondeo, ſenſus Auguſt. eſt, aquam baptiſmalem habere vim iuſtificandi hominem à peccatis quatenus per formam, ſeu verba à Chriſto inſtituta conſecratur: hæc autem verba non habere vim aquam conſecrandi prout exteriùs, & materialiter à miniſtro proferuntur, ſed propter myſterium fidei quod ſignificant, & continent,

# SECTIO II.

## *An ſacramenta noua legis gratiam conferant ex opere operato.*

### SVMMARIVM.

*De fide eſt ſacramenta noua legis conferre gratiam ex opere operato, id eſt nulla habita ratione meriti, vel diſpoſitionis propria ſuſcipientis, ſed tantùm ex vi ipſius operis externi, vt ſuſcipienti applicatur.*

THeologi omnes docent gratiam duobus modis conferri poſſe. Primò, ex opere operantis (vt aiunt.) Secundò, ex opere operato. Gratia confertur priori modo, quando tribuitur homini ratione cuiuſdam operationis bonæ, & honeſtæ, prout ab illo elicita eſt. Poſteriori verò, dum non habetur vlla ratio meriti, vel diſpoſitionis propriæ hominis ſuſcipientis ſacramentum, ſed tantùm operis externi quod illi applicatur, cuius vi datur gratia.

Quo poſito ad prædictam difficultatem reſpondeo vnica aſſertione. *Sacramenta noua legis conferunt gratiam ex opero operato.* Eſt de fide, & determinatur in Concil. Trident. ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere, can. 8. his verbis. *Si quis dixerit per ipſa noua legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem diuina*

*promiſſionis, ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.* Idem colligitur ex alijs Concilijs.

Huic etiam veritati vnanimi conſenſu ſuffragantur Eccleſiæ Patres. Auguſt. lib. 4. contra Creſconium cap. 16. *Non eorum* (inquit) *meritis a quibus miniſtratur, nec eorum quibus miniſtratur conſtat baptiſmus; ſed propria ſanctitate, atque veritate, propter eum à quo inſtitutus eſt.* & lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 24. ſic ſcribit, *Sacramentum ipſum per ſeipſum plurimum in paruulis valet.* & lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. ait ſacramentorum vim inenarrabiliter valere plurimum, quibus loquendi modis Auguſt. ſatis apertè oſtendit ſacramenta ex opere operato gratiam conferre.

Idem colligitur ex Cyrillo Alexandr. qui lib. 2. in Ioan. cap. 42. docet Spiritus ſancti operatione aquam baptiſmi reformari ad diuinam virtutem, & potentiam. Et ex Nazian. orat. in S. Baptiſma, vbi ait, aquam baptiſmi extergendi facultate hiſſopum ſuperare. Et ex Cyprian. qui ſerm. de cœna Domini tradit ſacramenta quantùm in ſe eſt, ſine propria virtute eſſe non poſſe.

Ex quibus & ſimillibus locutionibus SS. Patrum apertè euincitur, ſacramenta per ſe vt ſunt inſtrumenta quædam ad ſanctificationem hominum diuinitùs inſtituta, habere vim conferendi gratiam, citra vllam diſpoſitionem, aut meritum ſuſcipientis, vel adminiſtrantis; ac per conſequens ex opere operato.

Accedit ratio, nam tunc dicitur conferri gratia ex opere operato, quando ratione operis externi applicati datur gratia vltra omne meritum

operantis vt diximus : ſacramenta autem nouæ legis conferunt gratiam ratione operis externi, & ſacramenti applicati, citra omne meritum operantis, vt patet in baptiſmo paruulorum, qui eos iuſtificat, licet ipſi nullum actum meritorium exercere poſſint; ergo ſacramenta nouæ legis habent vim conferendi gratiam ex opere operato.

Confirmatur, nam ſi ſacramenta nouæ legis ſolùm conferrent gratiam ex opere operantis, quatenus ſcilicet excitant fidem quæ ſola iuſtificat, vt ſentiunt nouatores; ſequeretur ea omnia gratiam conferre non ſecus ac ſacramenta, quæ fidem excitandi vim habent; imo ea quæ maiorem habent vim ad fidem excitandam, maiorem etiam habere virtutem ad iuſtificandum: Atqui multa ſunt quæ ſunt efficaciora ad fidem, ſpem, aliosque virtutum actus in nobis excitandos, quàm ſacramenta ipſa; verbi cauſa, prædicatio diuini verbi; lectio S. Scripturæ, & præſertim Euangeliorum; meditatio paſſionis Chriſti, aut futuræ gloriæ: & ſimilia; ergo hæc omnia maiorem habent vim conferendi gratiam quàm ſacramenta: & ita ſatius eſſet concioni intereſſe, vel legere aliquod Euangelium, aut meditationi incumbere, quàm baptiſmum, aut alia ſacramenta ſuſcipere.

Imo nulla eſſet diſtinctio inter ſacramenta nouæ legis, & ſacramenta antiqua, quoad vim conferendi gratiam: ſiquidem ſacramenta vetera cum eſſent cæremoniæ à Deo inſtitutæ, vt eſſent ſigna, & figuræ paſſionis Chriſti, & gratiæ per ipſum conferendæ; ea ſanè erant non parum

apta ad excitandum, per modum obiecti, intellectum ad actum fidei, & voluntatem ad actus ſpei, amoris, & ſimiles; & ratione eiuſmodi actuum gratiam conferebant: ſi ergo ſacramenta nouæ legis non producunt gratiam niſi ex opere operantis, quatenus fidem ſuſcipientis excitant; profectò inter noua & vetera ſacramenta, aut nullum, aut valdè exiguum diſcrimen intercedit, quoad collationem gratiæ. Quod tamen alienum eſt à mente Pauli; qui ad Galat.4. ideo vocat ſacramenta antiqua infirma, & egena elementa, vt eo modo loquendi, indicet ea multum differre à ſacramentis nouæ legis, quantùm ad efficaciam, & virtutem producendi gratiam.

Denique, ſi ſacramenta conferunt gratiam tantùm excitando fidem ad modum concionis, ſicut per concionem vnicam multorum fides excitari poteſt, ita & per vnius ſacramenti adminiſtrationem, non ſolum illius qui ſacramentum ſuſcipit, ſed etiam aliorum qui adſtant, & vident quæ geruntur, fides excitari poteſt; non enim minus iſtis, quam illi manifeſtatur Dei promiſſio per ſignum ſenſibile; & ita non opus eſt ad gratiam conſequendam, vt omnes accedant ad ſacramenta; ſed ſufficit ſi vnum accedentem videant.

Et quamuis ſacramentum videatur tantum dirigi ad ſuſcipientem, hoc non obſtat quo minus fidem in alijs poſſit excitare, vt patet in concione, quæ toti multitudini prodeſſe poterit, etſi fortè ad vnum dirigatur.

Si dicant hæretici ſacramentum non excitare

alios ad concipiendam certam fidem de propria iuſtitia, ſed tantùm ſuſcipientem.

Contra arguo, quia hæc obiectio ſupponit hominem poſſe in hac vita eſſe certum de ſua iuſtitia, cuius oppoſitum aliàs probauimus in tract. de gratia, diſp.9.ſect.8. ex quo ſequitur ſacramenta, ne quidem ſuſcipienti gratiam conferre in ſententia nouatorum.

Porro licet ſacramenta nouæ legis gratiam producant ex opere operato, minimè propterea exiſtimandum eſt, nullam diſpoſitionem eſſe neceſſariam ex parte ſuſcipientis, ad conſequendum ſacramenti effectum; nam etſi ſacramentum ex ſe, abſque ordine ad vllam eiuſmodi diſpoſitionem, habeat vim producendi gratiam; vt tamen eam actu producat, neceſſe eſt vt ſuſcipiens non ponat obicem, & præterea ſi adultus ſit, ad eam recipiendam ſe per aliquos actus diſponat, vt ſupra monuimus.

Ex quo perſpicuum eſt, quam immeritò nobis imponant ſectarij, quod dicamus ſacramenta gratiam conferre ſuſcipientibus, etſi nullò interno motu fidei, aut pœnitentiæ præditi ſint, atque adeo quidquid credant, aut quacunque ratione ſe diſponant. Nullus enim Catholicorum vnquam hoc aſſeruit: ſed cum docent ſacramenta gratiam conferre ex opere operato, hoc tantùm volunt, motus internos ſuſcipientis non efficere gratiam ſacramentalem, quaſi verò ſuo concurſu efficaciam, aut valorem ſacramento conferant: non negant tamen (imo potius id conſtanter aſſerunt) prædictos motus requiri tanquam diſpoſitiones materiales, & paſſiuas reſpectu ef-

fectus ſacramentalis; quæ quidem diſpoſitiones ſunt meritoriæ, aut primæ gratiæ de congruo, aut ſecundæ de condigno, ſi in ſtatu gratiæ fiant: vnde in ipſa ſacramenti ſuſceptione duplex confertur gratia, alia propter efficaciam, & virtutem ſacramenti; alia propter ſuſcipientis diſpoſitionem.

Inde etiam colligere licet hæreticos ineptè ridere tanquam nouum, & barbarum modum illum loquendi ex opere operato; non enim nouus eſt, cum Innocent. III. lib. 3. de myſterijs miſſæ ante quadringentos annos illum vſurparit, & poſt ipſum S. Thom. & omnes Scholaſtici ac nouiſſimè Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 8.

Quod verò ad barbariem illius ſpectat, non multum de ea curandum eſt, dummodo res de qua agitur rectè explicetur; melius enim eſt iuxta conſilium Auguſt. in Pſal. 138. vt nos reprehendant grammatici, quam vt non intelligant populi; vtque cum tanto Doctore dicamus oſſum oſſi, quam os oſſis, ſi vocabulum illud ad captum auditorum magis accommodatum ſit.

---

## SECTIO III.

*An ſacramenta nouæ legis immediatè producant gratiam.*

### SVMMARIVM.

*Sacramenta nouæ legis immediatè attingunt pro-*

*ductionem gratiæ habitualis, non autem mediante charactere, vel ornatu, aut quauis alia qualitate, ſiue naturali, ſiue ſupernaturali; vt nonnulli ex vetuſtioribus Scholaſticis olim docuere.*

VEteres qnidam Theologi docebant ſacramenta non attingere immediatè productionem gratiæ, ſed alicuius diſpoſitionis, qua poſita Deus infallibiliter gratiam producit: eodem modo quo nonnulli exiſtimant calorem eſſe cauſam inſtrumentalem ignis producti; non quidem attingendo immediatè formam illius, ſed producendo aliquam diſpoſitionem ad quam neceſſariò forma ignis ſequitur.

Hæc ſententia à Theologorum ſcholis iam communiter reijcitur, & à nobis probari non poteſt. Primò, quia vel illa præcedens diſpoſitio eſt naturalis, vel ſupernaturalis; non naturalis, quia vt conſtat ex tract. de gratia diſput. 5. ſect. 6. nulla qualitas naturalis ordinis poteſt ſufficienter diſponere, ſiue proximè, ſiue remotè ad gratiam ſanctificantem: neque etiam eſt ſupernaturalis, quia ſic eſſet eiuſdem ordinis cum gratia, & conſequenter non minus neceſſaria eſſet ad productionem ipſius, præcedens aliqua diſpoſitio quam ad productionem gratiæ: & quia hæc diſpoſitio deberet eſſe ſupernaturalis, daretur progreſſus in infinitum.

Deinde, quæro quænam ſit illa diſpoſitio quam prædicti authores exigunt. Dicunt in nonnullis ſacramentis eſſe characterem in alijs verò ornatum quendam ſpiritualem animæ.

Contra, nam quod attinet ad characterem,

quod ille non ſit diſpoſitio habens naturalem connexionem cum gratia, & ad eam neceſſitans, vt volunt aduerſarij; ex eo conſtat, quia aliàs quicunque reciperet characterem, reciperet etiam gratiam; quod tamen falſum eſt, cum multi verbi cauſa validè ordinentur, qui ex defectu diſpoſitionis gratiam non conſequuntur.

Dices, ideo eos gratiam non recipere, quia ponunt obicem peccati.

Sed hæc reſponſio parui eſt momenti, ac repugnantiam inuoluit: ſiquidem ea tantùm diſpoſitio dicitur habere connexionem neceſſariam cum aliqua forma, quæ ita ad eam præparat, vt illud omne tollat quod impedimentum afferre poteſt productioni talis formæ; ſi ergo character eſt diſpoſitio habens connexionem neceſſariam cum gratia, debet tollere omnem obicem gratiæ; aut ſi non tollit, fruſtra aſſeritur eum neceſſitare ad gratiam; ſeu connexionem neceſſariam cum illa habere.

Præterea, illa diſpoſitio quæ neceſſitat ad aliquam formam, ita intimè cum illa coniuncta eſt, vt non poſſit produci eiuſmodi forma in ſubiecto abſque tali diſpoſitione; neque illa diſpoſitio poſſit remanere in ſubiecto recedente tali forma: atqui poteſt produci in anima abſque charactere, vt liquet in ijs qui per actum contritionis ſanctificantur, antequam realiter ad baptiſmum accedant, dommodo illius votum habeant: character etiam poteſt remanere in ſubiecto recedente gratia, vt fit in ijs qui poſt baptiſmum peccant lethaliter: ergo character non eſt diſpoſitio neceſſitans ad formam gratiæ.

Quòd ſpectat ad aliam diſpoſitionem quæ ornatus dicitur, eam gratis confictam eſſe facilè probari poteſt: nam cum ſit qualitas ſpiritualis, ea vel in animæ eſſentia, vel in potentijs illius eſſe debet: at neutrum dici poteſt; non primum, quia ipſa animæ eſſentia per ſe apta eſt vt immediatè à gratia ſupernaturaliter perficiatur; neque vlla ratio eſt cur dicamus præexigere tanquàm diſpoſitionem, qualitatem aliquam per modum actus primi, vt in tract. de gratia diſp. 9. ſect. 3. oſtenſum eſt.

Et ſanè, cum eiuſmodi qualitas eſſe debeat ſupernaturalis, non minùs ad illam neceſſaria erit diſpoſitio præuia quàm ad gratiam; item oportebit aſſignare ſimilem quendam ornatum in intellectu vt fidem recipiat, & alium in voluntate vt charitate informetur, quòd ſatis ridiculum eſt.

Secundum etiam dici non poteſt, nempe prædictum ornatum eſſe in potentijs animæ; nam cum detur vt ſit diſpoſitio ad ipſam gratiam ſanctificantem, debet immediatè recipi in eodem ſubiecto in quo ipſa gratia recipitur; hæc autem eſt in eſſentia animæ, non in potentijs illius, vt alibi diximus.

Accedit, quòd habitus tantùm operatiui in potentijs animæ recipiuntur, ornatus autem ille non ponitur ab aduerſarijs in numero habituum operatiuorum, ſic enim deberet eſſe aliqua ex virtutibus infuſis, quod ipſi non admittent. Eodem autem modo argumentari licet de quacunque alia qualitate. Vnde euidenter ſequitur ſacramenta nouæ legis immediatè gratiam producere.

Porro fundamentum quo innituntur prædictæ ſententiæ aſſertores leue eſt, & exigui momenti: cum enim ex vna parte exiſtiment gratiam creari, ex alia verò doceant nullam creaturam eſſe inſtrumentum creationis, nolunt concedere ſacramenta attingere immediatè productionem gratiæ, ne ſibi ipſis contrarij eſſe videantur.

Verùm quod gratia non creetur, ſed educatur ex potentia obedientiali animæ, iam alias oſtenſum eſt in tract. de gratia diſp. 9. ſect. 2. Quod ſi diſpoſitionis gratia concedamus illam creari, idem à paritate rationis affirmandum erit de qualitate ſupernaturali, quam vt neceſſariam illius diſpoſitionem præexigunt aduerſarij; vnde incidunt in ſcyllam, dum volunt vitare carybdim.

## SECTIO IV.

*An ſacramenta nouæ legis gratiam producant phyſicè, an vero tantum moraliter.*

### SVMMARIVM.

*Cum ſacramenta nouæ legis concurrant ſemper moraliter ad productionem gratiæ, imo interdum nonniſi moraliter concurrere poſſint: fruſtra loqui videntur qui in illis præter cauſalitatem moralem, quæ ſola ad effectum ſufficit, phyſicam admittunt.*

Dvplex aſſignari poteſt cauſa alicuius effectus: phyſica, & moralis: ea dicitur cauſa

phyſica, quæ phyſicè, & realiter influit in effectum; moralis verò quæ per ſe quidem non attingit effectum phyſicè ſed mouet aliam cauſam à ſe diſtinctam, vt eiuſmodi effectum producat phyſicè. Sic qui hominem reipſa occidit dicitur cauſa phyſica homicidij, qui verò ſuadet, aut conſulit homicidium, moralis dumtaxat.

Vtraque hæc cauſa duplex eſt, principalis, & inſtrumentaria. Cauſa phyſica principalis eſt illa, quæ effectum virtualiter in ſe continet: inſtrumentalis autem quæ agit virtute principalis, ſeu qua mediante principalis vim ſuam in actum exerit, ſiue inſtrumentalis cauſa habeat actionem quandam propriam qua ſubiectum diſponat ad formam recipiendam, vt patet in calore qui lignum actione propria diſponit ad formam ſubſtantialem ignis; ſiue ea tendat in effectum non per actionem propriam, ſed per ſolum motum quo à cauſa principali moueatur, & applicetur ad agendum, vt patet in inſtrumentis artificum.

Cauſa principalis moralis ea dicitur, quæ à ſe habet vim mouendi cauſam phyſicam principalem ad operandum, non autem ab inſtitutione, ſeu pacto ipſius cauſæ principalis; qua ratione qui alteri conſulit homicidium, dicitur cauſa principalis moralis homicidij; inſtrumentalis verò, quæ non habet vim mouendi cauſam principalem aliunde quam à voluntate, & conuentione cauſæ principalis.

His ita conſtitutis, dubium non leue eſt inter Theologos, an ſacramenta nouæ legis ſint cauſæ inſtrumentales phyſicæ gratiæ quæ in eorum ſuſceptione confertur, an verò morales dum-

taxat. In qua re varij ſunt dicendi modi, qui omnes ad duos generales reduci poſſunt. Primus eſt eorum qui docent ſacramenta, vero influxu phyſico, & reali, gratiæ productionem attingere. Secundus verò eorum qui efficientiam tantùm moralem ſacramentis tribuunt.

Priorem modum inter recentiores amplectuntur Suarez tomo 3. in 3. partem diſp. 9. ſect. 1. & 2. Valentia tomo 4. diſp. 3. quæſt. 3. puncto 1. Sairus lib. 5. de Sacramentis in genere, cap. 3. quæſt. vnica. Syluius in 3. partem, quæſt. 62. art. 1. quæſito 3. Vincentius Fernandes repetitione de Sacramentis in genere, parte 7. dub. 1. Puteanus 3. parte, quæſt. 62. dubit. 4. & alij non pauci, præcipuè ex Schola S. Thom. & quotquot docent humanitatem Chriſti fuiſſe inſtrumentum phyſicum ad opera ſupernaturalia, quæ eſt ſententia noſtri Domni Euſtachij à S. Paulo tract. de verbo Incarnato, diſp. 7. quæſt. 5. vbi indicat ſe idem ſentire de Sacramentis reſſpectu gratiæ.

Poſteriorem ſequuntur cum Bonauent. Scoto, Richardo, vtroque Ledeſma, Cano, & Iauello, Gabriel, Vazquez, diſp. 132. cap. 5. Fauentinus in 4. diſp. 2. Maldonatus de Sacramentis in genere, parte 4. cap. 2. Ægidius Coninck 3. parte, quæſt. 62. art. 4. Becanus tract. de Incarnat. cap. 10. & alij quamplurimi. Quænam porro ſit ſententia S. Thom. quantum ad hanc difficultatem pertinet, dicetur inferiùs. Nos eam quæ nobis probabilior apparet breuiter, & perſpicuè, quoad fieri poterit, proponamus.

Aſſertio prima. *Sacramenta noua legis produ-*

*ducunt gratiam in ſuſcipientibus vt inſtrumenta moralia illius.* Ita omnes Theologi paucis exceptis vt teſtatur Sairus art.4. quæſt. citatæ. Ratio autem eſt, quia illud dicitur inſtrumentum morale gratiæ quod mouet Deum moraliter ad eam nobis conferendam: Atqui ſacramenta nouæ legis cum virtualiter merita Chriſti contineant, Deum mouent moraliter vt intuitu ipſorum gratiam nobis conferat: ergo ſunt inſtrumenta moralia gratiæ.

Confirmatur ex Concil. Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, vbi anathema dicitur illi qui negat ipſum Chriſti Ieſu meritum, per baptiſmi ſacramentum in forma Eccleſiæ ritè collatum, tam adultis, quam paruulis applicari. Quod ſimilter de reliquis ſacramentis affirmandum eſt; vt etiam colligitur ex cap.7. ſeſſ.6. vbi habetur neminem eſſe poſſe iuſtum, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur. Sicut ergo qui mouet, merito, aut pretio ad aliquod beneficium conferendum, eſt cauſa moralis eiuſmodi beneficij: ita ſacramenta quibus Chriſtus, quatenus ea inſtituit, merita ſua, & ſatisfactiones alligauit; quæque multò excellentiùs continent prætium gratiæ à Deo nobis collatæ, quàm pecunia pretium rei quæ emitur; dici debent cauſæ morales, eæque inſtrumentales eiuſmodi gratiæ.

Obijciet aliquis, Deus vtitur ſacramentis tanquam inſtrumentis ad gratiam producendam: Deus autem non eſt cauſa moralis gratiæ productæ, ſed tantùm phyſica; ergo nec ſacramenta eam moraliter producere poſſunt, cum eadem

ſit actio, idemque influxus cauſæ principalis, & inſtrumentalis; & impoſſibile ſit agens aliquod phyſicum, vt ſic operari per inſtrumentum quod tantum agit moraliter.

Reſpondeo adhibita diſtinctione, dictum enim eſt initio ſectionis, duplex eſſe inſtrumentum, morale, & phyſicum; inter quæ illud diſcrimen intercedit, quod morale mouet cauſam principalem ad effectum producendum phyſicè ſe ſola, ſeu abſque influxu phyſico ipſius inſtrumenti: phyſicum verò eſt veluti medium inter cauſam, & effectum, & ab ea phyſicè mouetur, vt phyſicè, & eadem actione influat, in eundem effectum. Porro ſacramentum eſt inſtrumentum prioris generis, quod ex pacto & conuentione Deum moraliter mouet ad conferendam gratiam, licet ipſum ad eam phyſicè non concurrat; in quo nulla apparet repugnantia. Nam ſicut oratio Stephani Deum mouit vt Paulum efficaciter conuerteret, etſi ipſa oratio phyſicè non poſſet concurrere ad eiuſmodi conuerſionem; ita nihil vetat Deum ſacramentis moueri ad gratiam ſe ſolo phyſicè conferendam, atque adeò ſacramenta eſſe inſtrumenta moralia reſpectu cauſæ principalis phyſicæ, & in ordine ad effectum phyſicum.

Dices, orationem Stephani non fuiſſe inſtrumentum Dei, ſed potius ipſius Stephani; ſacramenta autem eſſe inſtrumenta ipſius Dei, & conſequenter iſta debere concurrere phyſicè ad producendam gratiam, eſto illa tantùm moraliter ad conuerſionem Pauli concurrerit.

Reſpondeo, orationem Stephani fuiſſe etiam

inſtrumentum Dei, quatenus Deus priùs mouit Stephanum ad orandum, & deinde illius oratione moueri voluit, vt ea mediante ſequeretur effectus à Deo ipſo producendus; eo modo quo pecunia qua emitur liber, non tantùm eſt inſtrumentum reſpectu Petri qui librum emit, ſed etiam reſpectu Pauli qui eo pretio moueri voluit ad illum vendendum. Idem ergo dicendum eſt de ſacramentis, quæ ſunt inſtrumenta moralia etiam reſpectu Dei, quatenus ipſe voluit ijs merita, & paſſionem Chriſti ſibi repræſentari, eaque repræſentatione moueri ad conferendam gratiam. Quare ſicut Deus dicitur nos ſanctificare per paſſionem Chriſti, mortuos ſuſcitare per Apoſtolos, & ſimilia; etſi Paſſio ad noſtram ſanctificationem, & Apoſtoli ad effectus miraculoſos tantùm moraliter concurrerint; ita dicitur in nobis gratiam producere per ſacramenta, etſi hæc ſint inſtrumenta tantùm moralia reſpectu gratiæ, & ipſe ſit cauſa principalis phyſica illius.

Aſſertio ſecunda. *Sacramenta noua legis non producunt gratiam, vt inſtrumenta phyſica illius.* Hanc nonnulli ex eo probant, quod putent gratiam creari, & nullam creaturã eſſe poſſe cauſam ſiue principalem, ſiue inſtrumentalem creationis.

Verùm iſta ratio apud nos nullius eſt momenti, quia exiſtimamus gratiam educi è potentia animæ, non autem creari: de qua re aliàs egimus in tract. de gratia, diſp. 9. ſect. 2.

Poteſt igitur imprimis allata aſſertio probari ex varijs Patribus, qui licet dicant ſacramenta eſſe cauſas gratiæ, efficientiam tamen gratiæ ſoli Deo tribuunt.

Cyprian.

Cyprian. ſerm. de Baptiſmo Chriſti, *Remiſſio peccatorum* ( inquit ) *ſiue per Baptiſmum, ſiue per alia Sacramenta donetur, propriè Spiritus Sancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet.*

Hyeronim. in cap. 4. Iſa. explicans illud Matthæi 3. *Ego vos baptizo in aqua*, &c. *Ex hoc* ( inquit ) *diſcimus quod homo tantùm aquam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum.*

Auguſt. epiſt. 23. *Aqua* ( inquit ) *exhibens foriuſecus ſacramentum gratiæ, & ſpiritus operans intrinſecus beneficium gratiæ, ſoluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem Chriſto*, &c. Omitto alia plura eiuſdem generis.

Ad hoc reſponderi ſolet, Patres interdum denegare ſacramentis efficientiam gratiæ, non ſimpliciter, ſed tantùm tanquam cauſis principalibus.

At iſta reſponſio gratis conficta eſt; Patres enim non dicerent abſolutè ſacramenta non efficere gratiam, ſi exiſtimarent ea ad illius productionem phyſicè concurrere in genere cauſæ inſtrumentalis; ſicut nemo negabit calorem ignis agere in aquam, vel lignum, licet agat tantùm inſtrumentariò.

Probari etiam poteſt hæc aſſertio varijs rationibus, quarum prima ſumitur ex dictis: oſtenſum enim eſt ſacramenta nouæ legis eſſe cauſas morales gratiæ, ex quo ſequitur non eſſe etiam cauſas phyſicas illius; ſequela patet, quia non ſunt multiplicanda entia, ac multò minùs miracula ſine neceſſitate; non eſt autem neceſſitas affirmandi gratiam, quæ effectus non tantùm ſpiri-

tualis, ſed etiam ſupernaturalis, produci phyſicè à rebus quibuſdam materialibus, & corporeis (quod maximum eſt miraculum) ergo id minimè aſſerendum eſt.

Minor oſtenditur, quia cum ſacramenta habeant vim producendi gratiam moraliter, ſecluſa quacunque alia virtute phyſica, effectum ſuum conferre poterunt, & de facto illud conferent, ſi non apponatur impedimentum ex parte ſuſcipientis: omnis ergo virtus phyſica eſt ſacramẽtis ſuperflua ad productionem gratiæ, cum moralis ad talem effectum ſufficiat: ac proinde dicendum non eſt præter cauſalitatem moralem, etiam phyſicam ſacramentis competere.

Dices, ſacramenta pendere ab inſtitutione diuina, & Deum potuiſſe illis conferre duplicem modum cauſandi gratiam; quod autem de facto vtrumque illis contulerit, nobis innoteſcere per varia ſcripturæ, & Sanctorum Patrum teſtimonia, quæ commodè explicari nequeunt, niſi de concurſu ſacramentorum phyſico intelligantur.

Verùm, hæc obiectio rationis noſtræ vim non infringit; nam ſicut prædictus concurſus phyſicus non eſt neceſſarius ſacramentis ad productionem gratiæ, ita etiam eo ſublato facilè explicari poſſunt, quæcunque de efficacia ſacramentorum à ſcriptura, vel Patribus dici ſolent, & ad moralem cauſalitatem reduci, vt patebit ex ſolutionibus obiectionum quas poſtea ex aduerſarijs ſubijciemus. Ergo præter cauſalitatem moralem non debemus ſacramentis aſſignare phyſicam; præſertim cum ſacramenta præcisè in-

ſtituta ſint ad ſanctificandos homines, nec multùm referat an ea ſanctificatio fiat tantùm per actionem moralem, an verò etiam per influxum quendam phyſicum.

Secunda ratio. Sacramenta nouæ legis ſæpe conferunt gratiam tantùm moraliter, ergo eodem modo ſemper eam producunt. Antecedens patet exempli gratia in baptiſmo, fictè ſeu cum affectu ad peccatum ſuſcepto; poſtea enim, vt infra probabitur, fictione recedente gratiam confert, non quidem phyſicè, quia tunc non exiſtit, & quod non exiſtit non poteſt operari phyſicè, ergo moraliter dumtaxat.

Iam ſequela oſtenditur, quia nullum eſt fundamentum cur duplicem agendi modum ſacramentis tribuamus, ratio enim præcipua ob quam aduerſarij concurſum etiam phyſicum ſacramentis tribuunt, eſt quia ſcriptura de ſacramentis agens, ſæpe monet ea nos ſanctificare, viuificare, regenerare; quæ & ſimilia eorum iudicio cauſalitatem pluſquam moralem importare videntur. At hæc omnia æquè conueniunt ijs ſacramentis, quæ recedente fictione gratiam moraliter tantùm conferunt, ac illis quæ ſincerè ſuſcipiuntur; ea ſiquidem ſanctificant, viuificant, regenerant, & alia omnia præſtant quæ reliquis competunt: ergo tam hæc quam illa moraliter tantùm concurrere dicendum eſt.

Ad hanc rationem varij variè reſpondent. Nonnulli dicunt ſacramenta fictè ſuſcepta, recedente fictione producere gratiam phyſicè, eſto tunc non exiſtant. Quia vt cauſa inſtrumentalis producat effectum phyſicè, non eſt neceſſe (in-

quiunt) vt exiſtat, ſed ſufficit quod effectus dependenter ab ea fiat à cauſa principali.

Sed contra, nam vt aliquid dicatur verè, & phyſicè effectum producere, non ſatis eſt quod effectus ab eo quouis modo dependeat, ſed opus eſt vt ab eo pendeat phyſicè., & media actione reali, & phyſica ab illo elicita: fieri autem nequit, vt quod non eſt eliciat actionem realem, & phyſicam; eſto aliàs fuerit, aut aliquando futurum ſit: quia, cum non ſit, ſicut non habet entitatem, ita non eſt capax potentiæ, ſeu virtutis ad agendum, & conſequenter non poteſt agere, quia actus ſecundus ſupponit primum à quo oriatur. Quòd autem res fuerit, aut futura ſit, hoc eſt relatio rationis, quæ ad efficientiam realem, & phyſicam nihil conferre poteſt.

Reſpondent alij, ſacramentum quod fictione recedente gratiam producit, agere phyſicè, non quidem per ſe immediatè, quia cum non exiſtat, ita operari non poteſt; ſed media virtute aliqua à ſe relicta, nimirũ mediante charactere qui à ſacramentis etiam dum fictè ſuſcipiuntur, producitur.

Verùm neque hæc reſponſio ſatisfacit; primò, quia character non eſt per ſe ordinatus ad gratiam producendam: aliàs deberet eam producere quando ſacramentum ſine fictione ſuſcipitur, & ſimul cum illa in anima infunditur; imò quoties ille qui charactere eſt inſignitus gratiam amittit, deberet eam poſtea recuperare beneficio ipſius characteris, ita vt character ad illius productionem phyſicè concurreret: quæ tamen niſi omnino gratis, & ſine fundamento affirmari non poſſunt.

Deinde, ſi hoc verum eſſet, iam ſacramentum non eſſet inſtrumentum phyſicum gratiæ, ſed potius cauſa principalis illius; cum illud ſit proprium cauſæ principalis, operari etiam dum non exiſtit, per inſtrumentum aliquod, & virtutem à ſe relictam; vt patet verbi cauſa, in igne qui poſtquam eſſe deſijt, operatur vt cauſa principalis, per calorem à ſe in aqua productum. Et aliunde proprium ſit inſtrumenti proximi non agere per remotum, niſi actu illud moueat, & applicet ad agendum, quod hîc non fit.

Denique, prædicta reſponſio procedit tantùm de ſacramentis quæ characterem imprimunt: probabile autem eſt, etiam nonnulla ex alijs ſacramentis fictione recedente gratiam producere, vt dicetur ſuo loco. Quæro igitur à quo tunc gratia phyſicè producatur? non à ſacramento, vt ipſi aduerſarij fatentur; non etiam à charactere, quia nullus eſt; oportebit ergo fingere qualitatem aliquam quæ munus ſacramenti, aut characteris obire poſſit; quod omnino ridiculum eſt.

His ergo ſolutionibus reiectis, reſpondent alij, in prædicto caſu reuera non produci gratiam phyſicè à ſacramento, ſed tantùm moraliter; de illo tamen non verificari propriè omnes locutiones quæ ad efficientiam ſacramentorum pertinent: tunc enim ſacramentum non eſt vera cauſa inſtrumentalis gratiæ, nec de illo ſimpliciter dici poteſt quod hominem mundet, ſed Deus dicitur mundare, & conferre gratiam ratione prioris ſacramenti, quod in diuina acceptatione

permanet. Ita doctiſſimus Suarez diſp.9. ſect.2. ad 3. in fine.

Sed neque hæc reſponſio difficultatem ſoluit. Conſtat enim ea omnia quæ tribuuntur in Scriptura ſacramentis, quoad cauſalitatem gratiæ, tribui etiam ſanguini, ſeu paſſioni Chriſti, vt patet ex verbis illis 1. Ioan. 1. *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato:* & ex illis Pauli ad Hebr.9. *Quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſeipſum obtulit, emundabit conſcientiam noſtram?* Item ex loco illo Apocalypſis 1. *Lauit nos à peccatis in ſanguine ſuo,* hæc autem & ſimilia non poſſunt intelligi de cauſalitate phyſica, vt perſpicuum eſt; cum paſſio Chriſti non exiſtat, ſed tantùm de morali, quatenus meritum infinitum ſanguinis Chriſti effuſi, ſeu paſſionis ipſius quæ in ea effuſione conſiſtit, nobis applicatur per ſacramenta. Si ergo verum eſt, paſſionem Chriſti nos emundare à peccatis, etſi moraliter tantùm ad noſtram iuſtificationem concurrat; idem aſſerendum eſt de Sacramentis, quæ recedente fictione gratiam hominibus moraliter conferunt; atque adeo non poteſt colligi ex eiuſmodi locutionibus, ſacramenta phyſicè gratiam producere.

Dices fortè, paſſionem duobus modis conſiderari poſſe. Primò, vt eſt quædam mutatio quæ iam prætерijt. Secundò, quatenus peracta eſt in humanitate Chriſti quæ nunc exiſtit: & de illa priori modo ſpectata, non verificari allatas locutiones ſcripturæ, ſed tantùm poſteriori, quatenus humanitas, in qua Chriſtus paſſus eſt, concurrit phyſicè ad noſtram iuſtificationem.

Verùm hæc diſtinctio nullius eſt momenti; Non enim recurrendũ eſt ad humanitatem Chriſti, vt ſaluemus locutiones illas Scripturæ, quibus dicitur paſſionem Chriſti nos ſanctificare, ſeu emundare à peccatis: ſicut enim eadem ſcriptura agens de eleemoſyna Tob. 1. docet eam liberare à morte, & purgare peccata, etſi hoc non efficiat phyſiè, vt perſpicuum eſt; ita quando ait paſſionem Chriſti nos emundare, lauare, & ſimilia; rectè hæc intelligere poſſumus de ipſa paſſione præcisè ſpectata, etſi illa vt ſic, ad noſtram iuſtificationem non concurrat niſi moraliter: neque opus eſt, vt eiuſmodi effectum ad humanitatem Chriſti actu exiſtentem referamus.

Confirmatur, nam paſſio Chriſti olim Patres antiquos ſanctificabat quandiu erat futura, & ea ſanctificatio erat eiuſdem rationis ac noſtra: tunc autem humanitas Chriſti non exiſtebat realiter, & conſequenter animarum iuſtificatio in eam vt ſic exiſtentem, & phyſicè influentem referri non poterat; paſſio igitur Chriſti futura verè homines ſanctificabat, & purgabat à peccatis, idque tantùm moraliter, quatenus illius merito præuiſo mouebatur Deus, ad conferendam hominibus gratiam. Cum igitur ſcriptura dicit paſſionem Chriſti nos mundare, & ſanctificare, hoc intelligendum eſt de ipſa paſſione vt præterita, & non ampliùs exiſtente, etſi hæc vt ſic, non concurrat ad ſanctificationem niſi moraliter. Ex quo ſequitur ſacramenta quæ recedente fictione gratiam producunt, verè ſanctificare, & purgare animas à peccatis, etſi effectus ab illis non fiat niſi moraliter.

Tertia ratio. Sacramenta non poſſunt gratiam phyſicè producere, niſi quando exiſtunt vt dictum eſt. At nec tunc poſſunt illam phyſicè producere; ergo nunquam talis efficientia phyſica illis competit. Cætera perſpicua ſunt: Probatur minor, quia ſacramenta omnia, ſi Euchariſtiam excipias, ſunt entia ſucceſſiua, & non exiſtunt niſi in tempore; quare ſi producunt phyſicè gratiam quando exiſtunt, debent eam producere ſucceſſiuè, & in tempore. Hoc autem dici non poteſt, quandoquidem gratia cum ſit qualitas indiuiſibilis & tota ſimul, in inſtanti produci debet per ſacramenta. Maximè, quia extra illa hoc modo producitur quando homo iuſtificatur per contritionem; Præterquam quod verba ſacramentalia eodem modo producunt gratiam, quo verba conſecrationis producunt corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, hoc autem fit in inſtanti, ergo & illud in inſtanti fieri debet: falſum igitur eſt ſacramenta gratiam phyſicè producere.

Dices 1. ſacramenta gratiam producere in vltimo inſtanti prolationis verborum; licet enim tunc forma integra non exiſtat realiter, exiſtit tamen virtute in ſuo termino, in quo ſignificatio illius eſt completa. Et hæc reſponſio habet fundamentum in S. Thom. qui 3. parte, quæſt. 75. art. 7. docet conuerſionem quæ in ſacramento Euchariſtiæ peragitur, fieri in vltimo inſtanti prolationis verborum: hinc enim à paritate rationis colligitur, alia ſacramenta gratiam producere eo inſtanti quo forma abſoluitur: quia tunc ſacramentum habet ſignificationem completam, & perfectam.

Sed contra hoc facilè arguitur, nam ſacramenta cum ſint entia ſucceſſiua, ſicut incipiunt per vltimum ſui non eſſe, ita vt verum ſit dicere, nunc non eſt ſacramentum ſed immediatè poſt erit; ſic deſinunt per primum ſui non eſſe ita vt verè dici poſſit, nunc non eſt ſacramentum, & immediatè antea fuit; ex quo patet ſacramenta deſinere in inſtanti extrinſeco, quando iam non ſunt: ſi ergo ſacramenta gratiam producunt in vltimo inſtanti prolationis verborum, cum inſtans illud ſit ipſis extrinſecum, ſequitur ea phyſicè gratiam producere quando non ſunt, quod ſuperiùs falſum eſſe oſtendimus. Cæterùm, an S. Thom. loquatur de cauſalitate phyſica, an tantùm de morali, ex infra dicendis perſpicuum fiet.

Ad hæc reſpondet Syluius loco citato cum alijs nonnullis, non eſſe abſurdum dicere gratiam produci phyſicè à ſacramentis in eo inſtanti extrinſeco in quo amplius non ſunt, quia ſatis eſt quod tempore immediate præcedenti fuerint: ſicut enim (inquit) cauſa & effectus non debent eſſe continua ſecundum præſentiam localem, ſed contigua, aut ſecundum ſe, aut ſecundum virtutem; ita ſatis eſt quod ſacramentum, & gratia ſint contigua ſecundum præſentiam temporis: & quamuis ſacramentum in eo inſtanti non ſit formaliter in ratione entis, eſt tamen virtualiter, ſeu in ratione cauſæ, quatenus eius virtute ponitur effectus.

Verùm hæc doctrina Syluij eſt parum ſolida; nam cum ſacramenta non exiſtant realiter eo inſtanti extrinſeco quo eſſe deſinunt, dici non po-

teſt ea tunc phyſicè gratiam producere; quia ad actionem realem, & phyſicam requiritur potentia realiter exiſtens, & reipſa in effectum influens, vt non ſemel aduertimus.

Neque refert, quod ſacramenta immediatè ante extiterint, hoc enim perinde iam eſt ac ſi longè ante extitiſſent; cum id quod non exiſtit, nihil iam ſit, etſi immediatè ante fuerit; non ſecus atque id quod à multo tempore deſijt. Et rem immediatè ante fuiſſe, nihil eſt aliud quàm relatio rationis, quæ non magis ad efficientiam phyſicam conducit, quam quod res à multis iam annis eſſe deſierit.

Non eſt autem eadem ratio de præſentia locali, ac de præſentia ſecundum tempus; quia vt res operetur realiter debet habere in ſe virtutem agendi actualem, & realem; at non poteſt habere eiuſmodi virtutem niſi exiſtat, quia cum exiſtentia vel ſit ipſa actualis rei entitas, vel certè ſine illa eſſe non poſſit, qui tollit rei exiſtentiam tollit ipſius entitatem, & per conſequens omnem agendi virtutem, quæ non niſi in entitate fundari poteſt.

Propinquitas verò localis eſt tantùm conditio accidentaria, rei adueniens qua ablata non tollitur entitas rei, aut virtus agendi illius; quare non mirum eſt quod res aliqua poſſit naturaliter agere in aliam diſtantem, quæ intra ſphæræ ipſius terminos continetur, & ſupernaturaliter in eam quæ intra ipſius actiuitatem naturalem minimè concluditur.

Dices 2. in ſacramentis duo ſpectanda eſſe, primò rationem motus ſucceſſiui: ſecundò ra-

tionem veræ ſignificationis, ſeu veri ſenſus verborum. Illud autem diſcrimen intercedit inter motum ſucceſſiuum, & ſignificationem verborum, quod motus deſinit in inſtanti extrinſeco, ſenſus autem, ſeu ſignificatio formæ in inſtanti intrinſeco, in quo verè dici poteſt, nunc perfecta eſt & abſoluta verborum ſignificatio. Et in hoc inſtanti intrinſeco gratia phyſicè producitnr; quia in eo tota ſacramenti perfectio ( quæ in ſignificatione, & pleno ſenſu conſiſtit ) reperitur. Vnde interdum fieri poteſt, vt ſacramentum perfectum ſit, & gratia conferatur priuſquam motus prolationis verborum ſit finitus, ſi nimirum miniſter vltimam ſyllabam nimis protrahat: cum enim ſacramentum eſſentialiter in ſignificatione conſiſtat, longa illa ſyllabarum prorogatio eſt illi accidentaria, & non impedit quominùs ſacramentum perfectum ſit, ſi aliunde integer verborum ſenſus habeatur.

Sed hæc euaſio etiam reijcitur, quia in eo inſtanti intrinſeco in quo ſignificatio dicitur abſoluta, non exiſtit ſacramentum, etiam ſecundum aliquam ſui partem materialem, & phyſicam: ſignificatio enim ſequitur prolationem formæ, ita vt vltima ſyllaba eſſentialis proferri debeat priuſquam perfecta ſit totius formæ ſignificatio: quod autem aliquandiù ea ſyllaba protrahatur, hoc eſt accidentarium, & extrinſecum ipſi formæ quæ ex ſe finiri poſtulat, ſtatim atque ſenſum perfectum referre poteſt: cum ergo ſacramentum phyſicè non exiſtat eo inſtanti, impoſſibile eſt quod per ſe gratiam producat phyſicè. Nec dici poteſt quod eam phyſicè producat mediante

ſignificatione ea enim cum ſit ens morale, non niſi moraliter agere poteſt.

Dices 3. ſacramenta quidem non conferre gratiam, ſiue in inſtanti extrinſeco prolationis verborum, ſiue in inſtanti intrinſeco ſignificationis, ſed in tempore indeterminato quod immediatè præcedit primum non eſſe illorum; ex quo ſequitur ſacramenta producere gratiam per aliquam ſui partem indeterminatam.

Sed neque hoc etiam placet, nam imprimis quod gratia non producatur à ſacramentis in tempore, ſiue determinato, ſiue indeterminato, ex ſupra dictis ſatis manifeſtum eſt. Quod autem ab illis non producatur in tempore indeterminato, & per partem indeterminatam, inde patet; quia gratia eſt effectus determinatus, ridiculum eſt autem aſſerere effectum aliquem determinatum produci in tempore indeterminato, & Deum ad illum producendum aſſumere inſtrumentum aliquod indeterminatum, & incertum, aliàs dicendum eſſet ignem poſſe produci à Deo die incerto, & per calorem incertum, quod planè fictitium eſt.

Deinde, licet concederemus ſacramentum efficere gratiam per aliquam ſui partem indeterminatam, non proptera dicendum eſſet gratiam à ſacramento produci, ſed ab illa parte indeterminata dumtaxat: quia ſcilicet partes omnes quæ præceſſerunt nihil phyſicè conferunt ad productionem gratiæ, neque conſequentem iuuant ad eam hoc modo producendam, vt pote quæ ſimul cum ea non exiſtunt.

Neque eadem eſt ratio de rotis horologij, qua-

rum vna alteram impellit; hoc enim ita fit, quia quando prima mouetur aliæ exiſtunt; vnde non mirum eſt ſi eis impulſum imprimere poſſit. Quando autem profertur primum verbum formæ ſacramentalis, ſecundum nondum exiſtit; vndè fit vt primum verbum non poſſit phyſicè influere in ſecundum, nec ſecundum in tertium, &c. Sed ad ſummum moraliter; quatenus omnia ordinantur ad ſignificationem integram, & completam quæ in poſtrema ſyllaba perficitur.

Neque etiam par eſt ratio de globo, qui totus dicitur tangere planum, licet tangat illud ſecundùm vnicum ſui punctum dumtaxat. Siquidem quando globus tangit planum, non exiſtit tantùm ſecundum illud punctum quo planum contingit, ſed ſecundum ſe totum; quare non mirum eſt ſi totus globus dicatur tangere planum, præſertim cum ſecundum omnes ſui partes aliquid conferat ad talem contactum, applicando aliquid ſui ad planum.

Quod ſi antequam contactus fieret, totus globus annihilaretur, excepto illo indiuiſibili quo planum tangitur, immerito quis diceret planum tangi à toto globo; quia iam partes globi non poſſent phyſicè aliquid conferre ad contactum. Idem ergo proportionaliter dicendum eſt de ſacramentis, quæ quia non exiſtunt dum profertur vltima ſyllaba, neque illam phyſicè iuuare poſſunt ad producendam gratiam, cenſeri nequeunt cauſæ phyſicæ gratiæ productæ.

Neque tertiò ſumi poteſt ſimilitudo à guttis aquæ, quarum vltima cauat lapidem virtute præcedentium quæ non exiſtunt; etſi enim guttæ il-

læ non exiſtant formaliter, & in ſe, exiſtunt tamen virtute; nimirum in diſpoſitione quadam relicta ad talem effectum. Quando autem vltima formæ ſyllaba profertur, reliquæ quæ præceſſerunt neque exiſtunt per ſe, neque per ſuum aliquem effectum, vndè non poteſt virtute illarum producere gratiam.

Quarta & poſtrema ratio. Si ſacramenta producunt phyſicè gratiam, cum eiuſmodi effectus ſuperet vires eorum naturales, ad eum producendum à Deo aliqua ratione eleuari debent: hoc autem dici non poteſt, quia eleuari nequeunt per qualitatem aliquam ipſis inditam, vt nonnulli arbitrantur, nec per motum artificioſum vt alij dicunt, nec per potentiam obedientialem actiuam vt alij exiſtimant, nec tandem per ſolam ſubordinationem, & coniunctionem quam habent ex neceſſitate creationis, cum virtute diuina vt alij arbitrantur; quæ omnia ex ſequenti ſectione manifeſta fient.

## SECTIO V.

*In qua referuntur, & refelluntur varij modi quibus cauſalitas Phyſica ſacramentis tribui ſolet.*

### SVMMARIVM.

*Sacramenta non poſſunt eleuari à Deo ad producendam phyſicè gratiam, ſiue per qualitatem, ſiue*

*per motum, ſiue per potentiam obedientialem, ſiue per ſubordinationem, & coniunctionem cum Deo.*

CVm ſacramenta ſint res quædam materiales, & corporeæ, gratia verò ſit qualitas ſpiritualis, & incorporea; dubium eſt inter aduerſarios, qua ratione fieri poſſit, vt ſacramenta eleuentur ad gratiam phyſicè producendam, cum inter talem cauſam & effectum nulla ſit proportio.

Et quidem imprimis nonnulli Theologi in ea ſunt ſententia vt exiſtiment ſacramenta eleuari ad gratiam producendam per qualitatem aliquam ipſis à Deo inditam, quam eorum aliqui volunt eſſe corpoream, alij ſpiritualem.

Sed iſte modus ſtatim ea ratione reijcitur, quia qualitas corporea non majorem habet proportionem cum effectu ſpirituali quam ſacramenta ipſa, quæ etiam ſunt corporea: ergo ſi ſacramenta per ſe non poſſunt gratiam producere, neque etiam adiuncta prædicta qualitate eam conferre poterunt, & ſic qualitas illa eſt ſuperflua, & gratis conficta. Qualitas verò ſpiritualis, cum ſit inextenſa, & indiuiſibilis in ſubjecto corporeo recipi nequit.

Deinde, ſiue illa qualitas ſit ſpiritualis, ſiue corporea impoſſibile eſt concipere quomodo in ſacramentis exiſtat: cum enim ſacramenta eſſentialiter conſtent ex multis rebus, quæro an prædicta virtus in illis omnibus inſit, an verò in vna tantùm.

Prius dici non poteſt, tum quia vnum numero accidens in varijs ſubjectis ſimul eſſe nequit;

tum quia ſæpe euenit vt res illæ ſimul, & eodem tempore non exiſtant, vt cum quis vna die confitetur, & alia abſoluitur.

Nec etiam poſterius, quia cum ea omnia quæ pertinent ad eſſentiam ſacramenti, æquè concurrant ad productionem gratiæ, nulla eſt ratio cur putemus qualitatem illam potiùs eſſe in vna parte eſſentiali, quàm in alia.

Adde, quòd ſi eſt tantùm in vna parte, probabile eſt eam potiùs eſſe in forma quam in materia; at forma ſacramentorum conſiſtit in verbis, & verba multa ſunt, & quodlibet ex illis pluribus ſyllabis conſtat, & vnaquæque ſyllaba ex varijs partibus componitur; vnde inueſtigandum eſt, an ea qualitas ſit in omnibus verbis, an in vno dumtaxat; & ſi in vno, an in omnibus illius ſyllabis, vel in vna tantùm; & ſi in vna ſyllaba, in qua illius parte, & ſimilia, quibus ſententiæ oppoſitæ authores nunquam ſatisfacient.

Nonnulli reſpondent eam qualitatem eſſe in vltima ſyllaba: ſed contra, nam non eſt potior ratio cur ſit in vna quam in alijs, cum omnes ad eſſentiam formæ pertineant.

Deinde, vel eſt in vltima ſyllaba quando illa eſt in fieri vt volunt aliqui, vel quando eſt in facto eſſe, vt alij opinantur: non primum, quia cum vltima ſyllaba ſit ſucceſſiua, idem affirmaneſt de qualitate quæ illi toti inhæret; vnde ſtatim ac incipit proferri vltima ſyllaba, incipit etiam exiſtere prædicta qualitas, eaque ſimul incipit producere gratiam, etſi nondum tota forma ſit prolata, nec ſit integer illius ſenſus; quod communi

communi Theologorum iudicio repugnat. Poſterius etiam dici nequit, quia quando vltima ſyllaba eſt in facto eſſe, ea non ampliùs eſt, quia deſinit per primum ſui non eſſe ad modum aliarum rerum ſucceſſiuarum, ita vt verum ſit dicere, vltima ſyllaba iam non eſt, & immediatè antea erat. Cum ergo ſyllaba non exiſtat quando eſt in facto eſſe, clarum eſt tunc qualitatem de qua agimus, in ea eſſe non poſſe.

Denique, vel illa qualitas ſacramentis ſuperaddita, eſt completa & ſufficiens ad gratiam producendam cum ſolo concurſu Dei generali, vel incompleta, & inſufficiens ad talem effectum: ſi primum dicatur, ſacramentum iam non erit cauſa inſtrumentalis gratiæ, ſed principalis, vt patet exemplo rerum naturalium, quæ ex communiori ſententia, dicuntur cauſę principales effectuum ad quos producendos habent vim completam, addito ſolo concurſu Dei generali.

Nec refert, quod illa qualitas non ſit connaturalis ſacramento, hoc enim non impedit quominùs ſacramentum dici debeat cauſa principalis gratiæ; ad eum modum quo intellectus beati communiter dici ſolet cauſa principalis viſionis beatificæ, etſi hæc viſio non ſit illi connaturalis.

Quod ſi dicas prædictam qualitatem eſſe incompletam, & egere aliquo cõplemẽto vt reddatur potens ad producendam gratiam; quæro quomodo à Deo compleatur; vel enim ab illo completur primò per additionem alicuius virtutis, aut qualitatis incompletæ, ex qua ſimul cum priori reſultet vna qualitas integra, & completa. Et

hoc non, quia ſacramentum eſſet iam cauſa principalis, & non ſolum inſtrumentum gratiæ, vt dictum eſt.

Aut completur ſecundò per ſolam coniunctionem actionis diuinæ, qua Deus veluti partialiter concurrat ad eundem effectum, nulla virtute addita ipſi ſacramento, qua ratione duo homines trahentes nauim ſe inuicem iuuant. Et hoc etiam dici nequit, quia ſic Deus, & ſacramentum concurrerent tanquam duæ cauſæ partiales gratiæ, ac proinde ſacramentum non eſſet inſtrumentum Dei, cum duarum cauſarum partialium neutra ſit inſtrumentum reſpectu alterius.

Aut completur tertiò per motum, ſeu vſum ſolum prædictæ qualitatis incompletæ; quod etiam ſine fundamento aſſeritur: Quia cum per eiuſmodi motum nihil reale adueniat qualitati incompletæ, vt docent qui illum admittunt, concipi non poteſt quomodo illa per ſolum vſum, ex non potẽte fieri poſſit potẽs ad producendã gratiam; aut ſi virtute diuina id fieri poteſt, eadem facilitate fieri poterit, vt ſacramentum per ſe gratiam producat abſque vlla qualitate ſuperaddita.

Hac igitur opinione reiecta, dicunt alij ſecundò ſacramenta eleuari ad producendam gratiam, non per aliquid reale ipſis inditum, ſed per motionem qua Deus ijs vtitur ad eiuſmodi effectum: eo modo quo videmus inſtrumenta moueri ab artificibus ad opera artificialia; & motum illum dicunt conſtituere ſacramentum in eſſe inſtrumenti, & dici virtutem illius.

Sed hic etiam modus dicendi difficultate non vacat, cum ex eo ſolum quod Deus ſacramenta moueat ad operandum, iiſque vtatur, concipi non poſſit, vt dictũ eſt, quomodo illa eleuentur ad producendum effectum qui naturales eorum vires infinitis ferè partibus ſuperat; ſi alioqui nulla vis realis, & ſupernaturalis de nouo ipſis adueniat.

Neque ad hoc ſuadendum valet exemplum inſtrumentorum artificialium, quin potiùs ex eo oppoſitum colligitur, cum videamus inſtrumenta omnia quibus artifices vtuntur, nihil efficere quod propriè eorum formam, & virtutem excedat.

Deinde, ſi ſacramenta à Deo mouentur ad gratiam efficiendam, oportet vt motus ille ſit aliquid inhærens ipſis ſacramentis, ſi quidem motus, vt Philoſophi tradunt, ſubjectiuè recipitur in mobili: motus autem cum ſit ens valdè imperfectum, non poteſt habere vim ex natura ſua ad producendam gratiam quæ eſt qualitas ſupernaturalis ordinis: ſic enim eſſet cauſa principalis illius, quod nulli quantumuis perfectiſſimæ creaturæ, etiam de potentia abſoluta competere poteſt: vt patet ex tractatu de gratia diſp. 9. ſect. 1. Hinc autem fit ſacramenta non poſſe per eiuſmodi motum eleuari ad productionem gratiæ.

Quod ſi dicas hoc non habere ex natura ſua, quæro quomodo ergo poſſit hanc vim ſacramentis tribuere: ſane neceſſe eſt vt motus ille per aliquid aliud eleuetur ad producendam gratiam, & ita res abibit in infinitum.

Poſtremò, cum ſint tres ſpecies motus, vt

docent vulgò Philoſophi, augmentatio, alteratio, & motus localis, ad alterum ex illis, motus ille reduci debet: at non reducitur ad augmentationem vt luce clarius eſt, quia hic motus terminatur ad quantitatem: neque ad alterationem, quia per illam oporteret produci aliquam qualitatem, quod paulo antè refutauimus: neque tandem ad motum localem, quia in ſacramentis ſufficit motus ille localis qui ex natura rei neceſſarius eſt ad prolationem verborum, aut ad exercendam actionem materialem, in quo motu nullum eſt artificium, aut virtus in ordine ad productionem gratiæ.

Alij dicunt tertiò, ſacramenta phyſicè gratiam producere, non per qualitatem aliquam, aut motum ipſis à Deo ſuperadditum, ſed per potentiam obedientialem actiuam, quæ ab ipſorum entitate minimè diſtinguitur, quæque per ſe immediatè, & realiter eſt effectiua gratiæ, dummodo iuuetur per concurſum Dei ſpecialem proportionatum effectui, & virtuti naturali ſacramentorum minimè debitum. Ita ſapientiſſimus Suarez tomo 1. in 3. partem, diſp. 31. & tomo 3. diſp. 9.

Nonnulli eorum qui phyſicam cauſalitatem ſacramentorum admittunt, dicunt prædictum modum eam defendendi fauere errori Pelagianorum, quatenus tribuit creaturæ poteſtatem innatam ad productionem gratiæ.

Sed hæc cenſura ab aliis meritò temeritatis arguitur, quia Pelagius docebat liberum arbitrium per ſolas naturæ vires, abſque vllo ſpeciali Dei concurſu, poſſe ſe diſponere ad gratiam habitua-

lem: dicta verò ſententia præter potentiam illam obedientialem actiuam, quam in rebus creatis admittit, ſupernaturale Dei auxilium ad productionem gratiæ exigit.

Reijcitur ergo prædicta ſententia nonnullis rationibus, quarum prima hæc ſit. Quando docet Suarez concurſum Dei ſpecialem neceſſarium eſſe vt ſacramenta, per potentiam obedientialem actiuam phyſicè gratiam producere poſſint; vel hoc ita intelligit, vt velit totam virtutem agendi ſe tenere ex parte prædicti concurſus, vel vt exiſtimet concurſum illum ſupponere totam virtutem agendi in ſacramento; vel denique vt in illo ſupponat virtuem inchoatam, & non cõpletam. Primum, & ſecundum dici non poſſunt, vt fatetur ipſe Suarez, quia ſic, vel ſacramentum nihil ageret, ſed Deus ſolus in effectum influeret; vel ſacramentum eſſet cauſa principalis gratiæ. Reſtat ergo vt concurſus diuinus adueniens, ſupponat in ſacramento virtutem inchoatam reſpectu gratiæ. Et hoc vltimum admittit Suarez.

Sed contra, nam ſi virtus in ſacramentis eſt inchoata, compleri debet per auxilium diuinum adueniens; alias, aut nullus ſequetur effectus, aut ſaltem non erit omnino completus: quod autem virtus illa ab auxilio compleri non poſſit, hinc patet, quia vt docet Suarez duobus modis ſpectari poteſt auxilium illud, vel in actu primo, vel in actu ſecundo; & priori modo ait non diſtingui auxilium ab ipſa virtute, & omnipotentia Diuina; poſteriori verò idem eſſe cum productione gratiæ. At neutro ex his modis potentia inchoata

ſacramenti per illud compleri poteſt; quia auxilium ſpectatum in actu primo, eſt in Deo tantùm, ſpectatum verò in actu ſecundo eſt in eodem ſubiecto cum gratia: vt autem poſſet ſacramenti virtutem perficere, in eo deberet aliquo modo recipi, idque per modum actus primi, vt liquet in rebus aliis inſtrumentariis quæ non habent vires ſufficientes ad operãdum. Hinc ergo fit virtutem inchoatam ſacramenti, aut omnino non poſſe in actum prodire, aut attingere gratiam ſecundum aliquam ſui partem dumtaxat, quod abſurdum eſt, cum gratia ſit indiuiſibilis, & partibus carens; & alioqui potentia obedientialis dicatur extendi ad omnes effectus qui repugnantiam non inuoluunt; ac proinde nihil ſit in gratia à Deo productum, quod à ſacramento fieri non poſſit.

Secunda ratio qua præcedens non parum illuſtratur, hæc eſt. Vt ſacramentum ex actu primo in quo conſtituitur per potentiam obedientialem, exeat in actum ſecundum, ab aliquo determinari debet: quærimus autem à quo fiat hæc determinatio, an ab ipſo ſacramento? an à ſubjecti præſentia? an à Dei ſolo?

Primum dici non poteſt, quia cum ſacramentum non ſit ens liberum, indifferentia ad agendũ minimè illi competit; & quamuis eſſet agens liberum, non tamen ſe ad producendam gratiam determinaret, quia non exiret in talem actum ſecundum per modum agentis liberi, ſed tantùm quatenus ſubijceretur imperio Dei.

Secundum etiam probabilitate caret; tum quia in ſententia quam defendit Suarez, vt ſacramentum operetur, & exeat in actum ſecundum,

præſentia ſubjecti non eſt neceſſaria : tum quia etſi ſubjectum ſit præſens, non illico ſequetur effectus ſacramenti:oportet igitur vt ſacramentum à Deo determinetur, quod etiam fieri non poſſe ita oſtendo.

Cum potentia obedientialis actiua reſpectu gratiæ, non tantùm cõpetat ſacramento, ſed etiam aliis omnibus creaturis, iuxta ſententiam quam impugnamus : quod aqua verbi cauſa, potiùs determinetur à Deo ad producendam gratiam, quã aër, vel ignis, vel lignum, aut aliquid huiuſmodi ; hoc fieri non poteſt niſi ſpecialiter aqua recipiat aliquam motionem, vel influxum à Deo, quem aliæ creaturæ non recipiunt ; ſi enim aqua nihil recipit præ aliis, nulla ſuppetit ratio cur potiùs quam ipſæ exeat in actum ſecundum, cum pares illi ſint quoad agendi potentiam, & alioquî idem manens idem, aptum tantùm ſit facere idem, vt philoſophi loquuntur. Atqui ſecundum aduerſarios, aqua non recipit aliquem influxum, vel motionem à Deo ; ſed tota Dei actio verſatur circa ſubjectum cui ſacramentum miniſtratur, quod ſubjectum cum omnino ſit diſtinctum ab aqua, non magis poteſt illam mouere actio diuina quam ignem, vel aërem, vel aliquid aliud. Aqua ergo ſacramenti à Deo non determinatur ad agendum, & conſequenter non poteſt illa gratiam producere.

Dices, ſacramentũ determinari per voluntatem Dei. Contrà, nam ſi voluntas Dei ſit immanens, qua nihil ponatur ad extra, ſacramentum non magis determinabitur in re, vt ſit inſtrumen-

tum gratiæ, quam aliquid aliud: ſi autem procedat in opus externum, neque ſic ſacramentum determinari poterit; quia tota actio Dei recipitur in paſſo, & nihil habet in ſe cuius vi ſacramentum debeat potiùs determinari ad operandum, quam quæuis alia creatura.

Tertia ratio hæc ſit, non eſt probandus modus ille defendendi cauſalitatem ſacramentorum, ex quo ſequitur ſacramenta non eſſe inſtrumenta phyſica gratiæ, ſed cauſas illius partiales: hoc autem ex aſſertione potentiæ obedientialis colligitur, ergo talis modus probandus non eſt.

Maior eſt euidens, minor autem probatur quoad primam partem; quia illud dicitur inſtrumentum phyſicum, quo mediante agens principale influit in effectum, ſi enim cauſa præcipua agat immediatè, iam non cenſetur vti inſtrumento phyſico, vt patet in igne qui vtitur calore vt inſtrumento quandiu ſubjectum calefacit; quando verò formam ſubſtantialem ignis inducit, quia in ſententia nonnullorum hoc facit per ſe immediatè, ideo iuxta illos calor tunc non eſt ignis agentis inſtrumentum. Qui autem admittunt potentiam obedientialem actiuam in ſacramentis, docent Deum immediatè applicare actionem ſuam ſubjecto cui ſacramentum confertur, non autem mediante actione ſacramenti, quia iam oporteret ſacramenta vel moueri à Deo, vel qualitatem aliquam ad agendum recipere, quod ipſi non concedunt. Hinc ergo neceſſariò ſequitur ſacramenta non eſſe cauſas inſtrumentales gratiæ.

Poſterior pars ex præcedenti ſequitur, nam

cum ſacramentum non ſit medium inter cauſam, & effectũ, & nihilominus effectum phyſicè producat vt ſupponunt aduerſarij; oportet vt in illum ita influat, vt per ſe actionem ſuam ſimul cum Deo concomitanter operante applicet effectui; hoc autem nihil aliud eſt, quàm ſacramentum concurrere ad productionem gratiæ, tanquam cauſam partialem illius.

Quod enim egeat concurſu Dei, qui tunc ſe habet vt cauſa particularis, hoc quidem ſufficit vt ſacramentum dici nequeat cauſa totalis gratiæ, non autem obſtat quominus ſit cauſa partialis illius, cum de ratione cauſæ partialis ſit, non agere ſine conſortio, & concurſu alterius.

Quarta ratio in hunc modum formari poteſt, vel potentia obedientialis quam habent ſacramenta ad gratiam producendam, eſt naturalis vel ſupernaturalis; naturalis dici non poteſt, quia habet actum, & obiectum ſupernaturale: nec etiam ſupernaturalis: quia cum ſacramentis ſit innata, & idem cum entitate ipſorum naturali, ſequeretur virtutem ſupernaturalem pertinere ad conſtitutionem intrinſecam rei naturalis, quod nimis abſurdum eſt.

Reſponderi ſolet potẽtiam ſacramẽtorum eſſe naturalem ſecundum rem, ſecundum vſum verò non eſſe naturalem; quia ſacramenta non agunt per actionem proportionatã naturæ ipſorum, aut per concurſum ipſis debitum. Neque etiam ſupernaturalem quia non eſt potentia infuſa, aut naturæ ſuperaddita, & quamuis habeat obiectum ſupernaturale, ab illo tamen non ſumit ſpeciem, quia per ſe primò ad illud non

ordinatur, ſed ad conſtituendum ſacramentum in ſua ſpecie, vel natura: dicitur ergo potentia obedientialis, quia agit tantùm ex imperio Dei, & per auxilium ipſi non debitum.

Hęc reſponſio in multis deficit, primò quatenus aſſerit potentiam ſacramentorum reſpectu gratię, non eſſe obedientialem ſecundum rem, ſed tantùm ſecundum vſum: ſi quidem potentia illa habet rationem potentię obedientialis, vt eſt conſtituta in actu primo in ordine ad gratiam: quod autem conſtituatur in actu primo; hoc habet ſecundum rem, ſeu ante omnem vſum, cum per vſum conſtituatur tantùm in actu ſecundo. Ergo ſecundum rem, & ante vſum habere debet rationem potentiæ obedientialis.

Deinde, quod hæc potentia non debeat dici naturalis, ſed ſupernaturalis patet; nam non agimus hîc de potentia ſacramenti materialiter ſumpta pro ipſo ſacramento cuius eſt potentia, ſed formaliter, quatenus habet rationem potentiæ: hoc autem modo non poteſt dici naturalis, eo quod habeat ſubiectum naturale, potentia enim non deſumit rationem ſuam & ſpecificationem à ſubiecto in quo eſt, ſed ab actu, & obiecto in quod tendit. Cum ergo actus, & obiectum ſint ordinis ſupernaturalis, idem de potentia dicendum eſt, eſto ſubiectum illius ſit naturale.

Dices, potentiam per ſe primò ordinatam ad aliquem actum ſumere ſpeciem ab illo, non autem potentiam ad illum ordinatam concomitanter, vt patet verbi cauſa, in materia prima, quæ etſi ſit potentia ad recipiendam quantitatem, inde tamen ſpeciem, non ſumit: potentia autem

obedientialis non eſt per ſe primò ordinata ad producendam gratiam, ſed debet intelligi vt conſtituta abſolutè in ſpecie, & natura rei cuius eſt potentia.

Hoc eſt tertium quod in prædicta reſponſione diſplicet, ideo enim materia, etſi ſit potentia ad quantitatem, non ſumit ab illa ſpeciem, quia ipſa quantitas reducitur vt ad finem, ad formam ſubſtantialem quam materia primo reſpicit. Gratia autem quam reſpicit intrinſecè, & eſſentialiter potentia obedientialis, eſt multò perfectior entitate naturali ſacramentorum, in qua eiuſmodi potentia reperitur, & ad illam vt ad finem minimè reducitur; quin potius ipſa ſacramenta à Deo per ſe primò inſtituta ſunt in finem conferendæ gratiæ. Debet igitur potentia obedientialis ſumere ſuam ſpeciẽ ab obiecto ſupernaturali in quod tendit, non autem à ſacramento in quo reperitur. Imo cum ſacramentum ſit immediatè per ſuam entitatem potentia obedientialis ad producendam gratiam, ipſum etiam per ſe in ſpecie ſupernaturali conſtitui debet.

Confirmatur, nam duo ſunt genera inſtrumentorum, alia quæ habent tantùm ex ſolo vſu, & motione agentis, non autem ex propria conſtitutione & natura, quod ſint inſtrumenta alicuius effectus. Alia quæ hoc habent non tantùm ex vſu, ſed etiam ex propria compoſitione. Inſtrumenta prioris generis non ſunt facta propter illum finem ad quem adhibentur, gladius enim verbi cauſa, non eſt factus ad metendum, etſi quis fortè loco falcis eo vtatur. Inſtrumenta verò poſterioris generis, in eum finem ad quem vſurpantur inſtitu-

ta ſunt, falx ad metendum, calamus ad ſcribendum, penicillus ad pingendum, & ita de alijs.

Porro ſacramenta, & aliæ omnes creaturæ ſunt inſtrumenta poſterioris generis: non enim habét per accidens ex vſu, & motione Dei, quod poſſint gratiam producere, ſed per ſe ex intrinſeca & eſſentiali eorum conſtitutione, vt volunt aduerſarij; ergo non conſequenter, ſed ex primaria intentione omnia eiuſmodi inſtrumenta debent eſſe à Deo producta in finem conferendæ gratiæ: & ita cum gratia ſit ſupernaturalis, ad ordinem rerum ſupernaturalium reduci debent.

Ex his refellitur quod quarto loco dictum eſt, potentiam obedientialem etiam quoad vſum, non poſſe dici ſupernaturalem, vſus enim talis potentiæ nihil eſt aliud, quàm actualis productio gratiæ: hæc autem productio eſt ſupernaturalis, quare & potentia ſecundum talem vſum ſpectata ſupernaturalis dici debet. Maximè cum ad illum requiratur concurſus Dei ſupernaturalis, vt aduerſarij fatentur.

Quinta, & vltima ratio. Cum nulla creatura poſſit exire in actum aliquem, ſine naturalem, ſine ſupernaturalem, ſine concurſu Dei; quæro qualis ſit concurſus quem Deus exhibet ſacramento in productione gratiæ: naturalis eſſe non poteſt, quia non eſſet proportionatus effectui, & ita eſſet inutilis: ſi autem ſit ſupernaturalis, vlterius quæro an ſit ſacramento debitus, nec ne. Reſpondent non eſſe debitum.

Sed contra hoc ſic arguo. Concurſus ille eſt debitus potentiæ quem potentia naturaliter appetit: at potentia obedientialis actiua naturaliter ap-

petit concurſum prædictum, ergo eſt illi debitus. Maior perſpicua fit exemplo rerum omnium naturalium, quibus ideo debitus eſt concurſus generalis; quia naturali quadam inclinatione illum appetunt. Minor verò oſtenditur, quia omnis potentia actiua naturali propenſione inclinatur in aliquem actum, & conſequenter in ea omnia quæ ſunt neceſſaria ad actum illum exercendum, cuiuſmodi eſt concurſus prædictus.

Confirmatur, nam quælibet res appetit naturaliter ſuum finem, & ea quæ ad finem conſequendum ſunt neceſſaria; ſed finis omnium potentiarum actiuarum eſt operatio, ergo potentia obedientialis actiua naturaliter appetit operationem, atque adeo concurſum diuinum ſine quo eiuſmodi finis haberi nequit.

Dices, potentiam obedientialem non ordinari ad operationem ex primaria intentione, ſed tantùm conſequenter.

Verùm hæc obiectio ex ante dictis ſoluta manet, creaturæ enim potentia obedientialis actiua competit intrinſecè, & eſſentialiter vt ex doctrina aduerſariorum ſuppono; quod autem conuenit alicui rei hoc modo, conuenit illi ex primaria intentione, & non ſolum ex conſequenti; ergo creatura eſſentialiter inclinatur ad productionem gratiæ, ac proinde ad concurſum tali effectui neceſſarium: ex quo ſequitur eiuſmodi concurſum omnibus creaturis eſſe debitum, & habere rationem concurſus generalis & connaturalis potius quam ſpecialis, & non debiti.

Quartò dicunt alij ſacramenta producere gratiam phyſicè, non per motum aliquem aut quali-

tatem realem in ipſis receptam, neque etiam per vllam potentiam actiuam, ſiue naturalem, ſiue obedientialem illis innatam, ſed per intrinſecam ſubordinationem, & coniunctionem quam habent vi creationis cũ virtute Dei actiua, per quam conſtituuntur in actu primo ad producendam gratiam, alioſque effectus prædictæ Dei virtuti, non autem natiuæ ipſorum facultati proportionatos. Ita nonnulli authores quorum tacito nomine meminit Suarez tomo. 1. in 3. partem, diſp. 31. ſect. 6. §. His ergo ſuppoſitis. Vbi latè ſuo more ſententiam illam impugnat.

Poteſt autẽ breuiter ea ratione impugnari, quia cum actus ſecundus neceſſariò ſupponat primum ex omnium ſententia, non poteſt ſacramentum exire in actum ſecundum producẽdo gratiã, quin prius in actu primo conſtituatur; non poteſt autem conſtitui in actu primo per vim actiuam Dei; tum quia vis illa eſt tantùm in Deo, & non poteſt cauſa aliqua conſtitui in actu primo totali, & completo ad aliquem effectum, per vim exiſtentem in alia cauſa à ſe realiter diſtincta: tum quia cum virtus diuina ſit virtus principalis, ſi per illam ſacramentum conſtitueretur in actu primo, ſacramentum eſſet cauſa principalis non inſtrumentum gratiæ, aut certè ſi inſtrumentum dici debet, virtus diuina per quam agere dicitur, habebit etiam rationem inſtrumenti, cum impoſſibile ſit cauſam, quæ ſe habet vt inſtrumentum reſpectu cuiuſdam effectus, influere in illum per virtutem quæ non ſit inſtrumentaria, vt patet exemplis rerum omnium ſiue naturalium, ſiue ſupernaturàlium.

Deinde, licet virtus diuina coniuncta ſit creaturis omnibus naturalibus ex neceſſitate creationis, hoc ad ſummum verum eſt, quatenus Deus eſt author rerum naturalium, non autem quatenus eſt author effectuum ſupernaturalium, cuiuſmodi eſt gratia. Creatura enim ex vi creationis non tranſcendit ordinem naturæ, quare vt ſic, habet tantùm coniunctionem cum virtute actiua Dei vt naturæ authoris. Vnde quando ignis, verbi cauſa, producitur, Deus illi veluti adiungit virtutem ſuam, ſeu concurſum generalem, vt cum eo operetur iuxta naturam, & facultates illius, non autem concurſum ſupernaturalem, vt cum eo producat gratiam, aut aliquid huiuſmodi.

Aliàs cum ſimpliciter debeatur creaturis quod illis ex neceſſitate creationis competit, ſequeretur rebus ſingulis ex vi creationis, concurſum ſupernaturalem ad gratiam producendam eſſe debitum, ac proinde ordinem naturæ confundendum eſſe cum ordine gratiæ, quod nimis durum eſt.

Obijcies primò, Deum & ſacramentum vnica, & ſimplici actione producere gratiam; vnde ſequi videtur vnicam agendi virtutem ad hunc effectum in vtroque ſufficere.

Reſpondeo negando conſequentiam, duobus enim modis poteſt actio prædicta ſpectari, primo quatenùs eſt in ſe vnica & ſimplex. Secundò quatenus à duobus agentibus procedit, priori modo non exigit duplicem vim agendi à qua oriatur, ſed tantùm poſteriori.

Obijcies ſecundò. Inſtrumentum non agit virtute propria, ſed virtute cauſæ principalis; ergo

vt agat ſatis eſt quod agenti principali, & virtuti illius coniungatur, etſi in ſe nullam vim operandi habeat.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, ſi enim ſenſus ſit inſtrumentum non habere vires ſufficientes ad producendum effectum niſi à cauſa principali adiuuetur, hoc modo illud concedimus; ſed ex eo contra noſtram aſſertionem nihil colligitur: ſi verò ſenſus ſit inſtrumentum nullam habere in ſe virtutem etiam inſtrumentalem, per quam agat, ſed illud conſtitui in actu primo per extrinſecam virtutem cauſæ principalis, ſic negamus antecedens propter rationes antè allatas.

Obijcies tertiò, colorem per ſolam coniunctionem cum luce fieri aptum ad producendas ſpecies viſibiles; item phantaſma per ſolam coniunctionem ad intellectum agentem, conſtitui ſufficienter in actu primo ad producendam ſpeciem intelligibilem. Et eodem modo ſacramentum per ſolam coniunctionem ad Deum, fieri aptum ad producendam gratiam.

Verùm hæc exempla nihil concludunt. Ad primum dico, longè alia ratione ſe habere lucem reſpectu coloris, quàm Deum reſpectu ſacramenti. Imprimis lumen quo illuſtratur color, inhæret corpori colorato ſecundum extimam illius ſuperficiem, virtus autem diuina non poteſt inhærere ſacramento. Deinde, vel lumen ſe habet tantum materialiter, & diſpoſitiuè ad productionem ſpeciei ſenſibilis, vel ad ſummum tanquam cauſa illius partialis, cum ex ſententia Philoſophorum omnium, color habeat vim actiuam ſaltem partialem

partialem reſpectu propriæ ſpeciei: Deus autem nullam virtutem actiuam ſupponit in ſacramentis reſpectu gratiæ, ſed totam vim ipſis communicat immediatè per ſuam agendi virtutem, vt inquiunt aduerſarij, quod quomodo fieri poſſit ſatis eſt intellectu difficile.

Ad aliud exemplum reſpondeo ex probabiliori ſententia, phantaſmata concurrere materialiter ad productionem ſpeciei intelligibilis, non autem effectiuè.

Quod ſi dicamus concurre effectiuè, ponenda erit virtus productiua tam in intellectu, quam in phãtaſmate; & ita neque intellectus, neque phantaſma conſtituentur in actu primo per ſolam coniunctionem alterius, eo modo quo aduerſarij dicunt ſacramenta in ſe nullam vim agendi habentia, poni in actu primo per ſolam coniunctionem ad virtutem diuinam.

Ac præterea illud ſupererit diſcrimen, quod phantaſma eleuatur ad producendum effectum naturalem, ſacramentum verò ad effectum ſupernaturalem, quod multo mirabilius eſt.

---

## SECTIO VI.

*In qua proponuntur multa argumenta aduerſus cauſalitatem moralem ſacramentorum.*

### SVMMARIVM.

*Argumenta quæ ab aduerſarijs ſumuntur ex ſcriptura, Cõſilijs Patribus, S.T hom. humanitate Chriſti,*

*bis abſolutionis, diſtinctione veterum ſacramentorum, & nouorum dignitate, nihil efficaciter pro cauſalitate phyſica ſacramentorum concludunt.*

QVi cauſalitatem phyſicam in ſacramentis agnoſcunt, varijs modis aduerſus noſtram ſententiã argumentari ſolent. Ac primò arguunt ex ſcriptura, quæ aliquando aquæ baptiſmi tribuit eundem modũ cauſandi gratiã, quem cõcedit ſpiritui ſancto, vt cõſtat ex illis verbis Ioan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto, &c.* Atqui ſpiritus ſanctus producit gratiam phyſicè, ergo idem de aqua baptiſmi aſſerendum eſt.

Reſpõdeo, nihil tale ex hoc loco debere colligi, aliàs ſequeretur aquam non tantùm phyſicè gratiã producere, verùm etiã eſſe cauſam illius principalem; eodem enim modo ſcriptura de illa loquitur ac de ſpiritu ſancto, quem certum eſt eſſe cauſam principalem reſpectu gratiæ.

Quòd ſi dicas hũc cauſandi modum non poſſe cõuenire aquæ, ſimiliter ego negabo priorem illi poſſe cõpetere; quare, aut aliunde probare debes aquam phyſicè influere in gratiã, aut ſi vim facias in teſtimonio allato, ego ex illo pariter concludã aquam eſſe cauſam principalem gratiæ.

Reſpondeo ſecundò, alia etiam ratione oſtẽdi poſſe, locum illum non eſſe intelligendũ de cauſalitate phyſica aquæ; certum enim eſt aquam non operari in baptiſmo, niſi quatenus applicatur baptizato; hæc autem applicatio aquæ ſæpiſſimè peracta eſt antequã forma ſit omnino cõpleta, imo validus erit baptiſmus, etſi tota ablutio facta ſit paulò ante, quàm primum verbũ proferatur; tunc

autē gratia produci non poteſt phyſicè à præterita ablutione, & etiam fatentur aduerſarij, ſed ex illorum mente tota productio fit per vltimā formæ ſyllabā,& tamen tunc verū eſt hominē renaſci ex aqua,& ſpiritu ſancto;ergo ex tali modo loquēdi deduci non poteſt aquam concurrere phyſicè ad productionem gratiæ,ſed ad ſummum moraliter.

Aliàs ſcriptura docet hominē ſaluari per baptiſmum Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, hæc autem præpoſitio ſignificat cauſalitatem phyſicam,videmus enim per oculos, & per manus operamur tanquā per inſtrumēta phyſica.

Reſpondeo, neque ex hoc loquendi modo quidquam poſſe colligi pro cauſalitate phyſica ſacramentorum; certum enim eſt baptiſmum qui recedente fictione operatur, eſſe lauacrum regenerationis, & qui talem baptiſmum ſuſcepit, verè dicitur ſaluari per lauacrum regenerationis, quamuis eiuſmodi baptiſmus non agat niſi moraliter.

Confirmatur, communiter enim dicere ſolemus,dæmones fugari per exorciſmos; per aquam benedictam; per ſignum crucis, & ſimilia; & Eccleſia canit, *per ſignum crucis de inimicis noſtris libera nos Deus noſter*, & Ambroſ. Homil. in paraſceue. *Grande* ( inquit ) *crucis eſt ſacramentum & per hoc ſignum mundus ipſe ſaluatur*, & tamen hæc omnia non concurrunt phyſicè ad prædictos effectus, ſed tantùm moraliter. Ergo idem de ſacramentis reſpectu gratiæ dicendum eſt.

Illud etiam opponi ſolet ex cap. 6. Ioan. *Caro mea verè eſt cibus*, ex quo arguitur carnem Chriſti eodem modo & paſcere animam quo

cibus materialis nutrit corpus; hoc autem fit phyſicè: ergo & illud.

Sed cõtra, nã cibus materialis eatenus eſt verus cibus corporis, & illud realiter nutrit, quatenus corrũpitur per actionẽ comedentis, & mutatur in ſubſtantiã illius; ſi ergo eodem modo caro Chriſti eſſet cibus animæ, illa in animam conuerteretur, proprium eſſe amitteret, quod à fide alienum eſt.

In eo ergo præcisè conſtituenda eſt ſimilitudo inter carnem Chriſti, & cibum corporeum; quod ſicut cibus corporeus verè nutrit corpus, addendo aliquid de nouo ad ſubſtantiam illius, ita caro Chriſti verè, & non fictè nutrit animam conferendo illi gratiam. Quod autem id præſtet moraliter, ſeu per actionem moralem, hoc non impedit quominùs verè ſit cauſa prædicti effectus. Quemadmodum enim dicimus ex communiori ſententia finem eſſe veram, & propriam cauſam effectus, etſi tantùm agat metaphoriè, & moraliter; ita caro Chriſti verè dici debet cauſa nutritionis animæ, etſi gratiam qua anima nutritur, producat tantùm moraliter.

Secundò, aduerſarij arguunt ex varijs concilijs. Senonenſe celebratum anno Domini 1528. agens de baptiſmo, & extrema vnctione, docet ea ſacramenta ſua virtute gratiam conferre, & remiſſionem peccatorum efficaciter operari. Et mogunt. anni. 1549. ait cap. 11. ſacramenta non eſſe ſimplices ritus, ſed ſacroſancta ſignacula, & efficacia ſigna, quæ ritè ea ſuſcipientes gratiam cõferendo ſanctificent. Hæc autẽ & ſimilia verba plus aliquid ſignificãt, quàm moralẽ efficientiam.

Reſpondeo negando conſequentiam, ideo

enim noſtra ſacramenta dicuntur ſua virtute gratiam conferre, vt diſtinguantur ab antiquis, quæ non ſua virtute, ſeu ex opere operato, ſed ex opere operantis gratiam conferebant.

Et ea etiam eſt ratio, cur dicantur efficaciter operari, quia non ſunt vacua, & egena ſigna gratiæ, eo modo quo imago hominis eſt ſignum hominis quem repræſentat; ſed ſigna practica, quæ ex immutabili Dei promiſſione efficaciter, & infallibiliter omnibus non ponentibus obicem gratiam conferunt; idque ex opere operato, ſeu eo ipſo quod opus illud externum, quod Deus ad rationem ſacramenti eleuauit, exercetur à miniſtro cum debita intentione.

Adducunt etiam Concil. Ttrid. quod ſeſſ. 7. can. 6. docet ſacramenta gratiam conferre, eamque continere. Et can. 9. ait tria ſacramenta videlicet Baptiſmum, Confirmationem, & ordinem imprimere characterem in anima, quod ſimiliter de gratia ſtatuendum eſt: perſpicuum eſt autem ſacramenta non propriè dici conferre, continere, & imprimere gratiam abſque influxu phyſico.

Reſpondeo, nos minimè cogi eiuſmodi locutionibus ad cauſalitatem phyſicam ſacramentis concedendam.

Ad primam enim dico, non tantùm cauſam phyſicam, ſed etiam moralem dici conferre effectum, vt ſatis cônſtat ex dictis. Et ſanè aliàs negandum eſſet, paſſione Chriſti, quæ moraliter dumtaxat ad noſtram iuſtificationem concurrere poteſt, nobis conferri gratiam: negandum eſſet contra loquendi modum ſcripturæ, eleemoſinam liberare animam à morte; negandum eſſet Re-

gem errogare pecunias quas per manus aliorum diſtribuit, quæ omnia à ratione, & communi loquendi vſu aliena ſunt.

Ad ſecundum reſpondeo primò, nonnullorum eſſe ſententiam, gratiam eodem modo contineri in ſacramentis quo medicina in vaſe continetur; quod non ita accipiendũ eſt quaſi verò gratia ſit in vaſe tanquam in loco, aut ſubiecto; cum enim ſit qualitas ſpiritualis, in eo neutro modo eſſe poteſt, & migrare nequit de ſubiecto in ſubiectum, ſicut medicina tranſit à vaſe in corpus ægroti. Eatenus ergo verũ eſt gratiã contineri in ſacramento ſicut in vaſe, quatenus ſicut liquor non producitur phyſicè à vaſe in quo cõtinetur, ſed tantùm ab illo hauritur, ita poteſt anima haurire gratiã è ſacramẽtis, etſi non ab ipſis phyſicè procedat, ſed à Deo extrinſecùs infundatur. Et quemadmodum qui eget medicina recurrit ad vas, ita peccator indigens gratia recurrit ad ſacramenta Eccleſiæ.

Reſpondeo ſecundo, ideo ſacramẽta dici continere gratiam, quia moraliter continent merita Chriſti, quæ illis ex Dei acceptatione ita annexa ſunt, vt qui ſacramentum recipit, cenſeatur fieri particeps meritorum Chriſti, & eo ipſo habere ius ad partem aliquam gratiæ, ac ſi per propriam diſpoſitionem illam eſſet promeritus.

Ad tertiam loquendi formam reſpondeo, ideo Concil. dicere Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem imprimere characterem in anima, non quod illum producant per actionem phyſicam, ſed quia character vi illorum productus, ab anima amoueri non poteſt.

Et ea eſt ratio cur Concilium agens de modo

quo ſacramenta gratiam producunt, numquam vtatur verbo imprimendi, etſi gratia eodem modo producatur ac character, quia nimirum gratia facilè deperditur.

Adde quod vulgò dici ſolet peccatum imprimere maculã in anima, quod tamen vt liquet, nõ fit niſi moraliter, cum tam peccatum formaliter ſumptum, quam ipſa macula ſint aliquid morale.

Tertiò arguunt ex patribus quos apertè ſibi fauere arbitrantur. Gregorius Niſſenus in lib. de baptiſmo, *Si quis* (inquit) *mihi dubitando, & ambigendo negotiũ exhibeat, interrogans qua ratione aqua regeneret, dicã ad eum optimo iure, oſtende mihi modum natiuitatis quæ fit ſecũdũ carnem; Dices fortaſſis ſemen cauſa effectrix hominis eſt: audi igitur contra à nobis, quod aqua quæ benedicitur, purgat, & illuminat hominem.* Ex quibus verbis apertè colligitur, ſacramentum eſſe cauſam phyſicam gratiæ, ſicut ſemen cauſa eſt phyſica hominis.

Reſpondeo ex hoc locò potius ſequi oppoſitũ: ſi enim præfatus author exiſtimaſſet ſacramentis effici gratiam, eodem modo quo a ſemine homo producitur; ſicut agens de ſemine dixit illud eſſe cauſam effectricem hominis, ita ſtatim agens de Sacramẽto, dixiſſet illud itẽ eſſe cauſã effectricem gratiæ; hoc enim ſimilitudo poſtulare videbatur: cum ergo alia verba vſurparit, quæ de cauſalitate morali rectè explicari poſsũt, vt patet ex ſuperioribus, nulla vis fiet ipſis ſi de illa intelligantur.

Cyrillus etiam Alexãdrinus lib. 2. in. Ioan. cap. 42, *Quemadmodum* (inquit) *viribus ignis intenſiùs aqua calefacta, non aliter vrit quam ipſe ignis; ſic ſpiritus ſancti operatione, aqua quæ baptizati corpus aſ-*

*pergitur, reformatur ad diuinam virtutē, & potentiā.* Ex quo loco patet (inquiunt) aquam baptiſmi eſſe inſtrumentum phyſicum ſpiritus ſancti, ſicut aqua calefacta eſt inſtrumentum phyſicum ignis.

Reſpondeo hanc ſimilitudinem in eo conſiſtere, quod ſicut aqua calefacit per calorem ignis in ipſa exiſtentem, ita aqua baptiſmi per virtutem diuinam, ad quam reformatur ſeu eleuatur, producit gratiam. Aqua autem baptiſmi non continet hanc virtutem phyſicè, vt ſectione præcedenti latè probatum eſt: debet ergo illam continere moraliter, quatenus virtus diuina ratione meritorum Chriſti, illis ſemper, & infallibiliter aſſiſtit ad productionem gratiæ.

Rurſus Chriſoſtomus homil. 15. in Ioan. *Quod (inquit) eſt matrix embrioni, hoc eſt fidei aqua, ſi quidem in aqua fingitur, & formatur. Nam primùm dictum eſt, producant aquæ reptile animæ viuentis; ex quo autem Iordanis alueū ingreſſus eſt Chriſtus, non amplius reptilia animarū viuētiū, ſed animas rationales, & ſpirituales aqua producit.* Ex qua ſimilitudine cauſalitas phyſica ſacramentorum apertè eruitur.

. Reſpondeo hunc locum ita debere intelligi, vt quando ait Chriſoſtomus hoc eſſe aquam fidei, quod eſt matrix embrioni, ſenſus ſit, quòd ſicut embrio formatur in matrice, ita fides formatur in aqua baptiſmi, ſeu dum homo aquæ baptiſmali immergitur. Sicut autem ex dictis verbis non debemus colligere, fidem eſſe in aqua ſicut in loco, etſi embrio eo modo ſit in vulua; ita nemo deberet ex illis arguere aquam phyſicè influere in fidem, etſi conſtaret vuluam phyſicè concurrere ad generationem embrionis cum hoc

multò minùs indicet Chriſoſtomus quam aliud.

At neque ea cauſalitas rectè deducitur ex verbis quæ ſequuntur, aqua enim initio mundi non concurrebat effectiuè ad productionem reptilium, ſed tantùm erat materia ex qua, & locus in quo ea à Deo formabantur: quando ergo ait Chriſoſt. aquam Baptiſmi nunc producere animas rationales, & ſpirituales, ſicut olim aqua producebat animas reptilium, ſenſus eſt, quod ſicut aliàs in aqua, vita naturalis data fuit reptilibus, non vi aquæ, ſed virtute Dei creatoris; ita vita ſupernaturalis quæ in gratia, fide, aliiſque virtutibus eiuſdem ordinis conſiſtit, confertur hominibus in aqua, non vi aquæ, ſed virtute Chriſti qui eam conſecrauit.

Neque refert quod dicat, aquam animas rationales producere, dixerat enim eodem modo aquam produxiſſe reptilia, ſicut ergo verbum producendi in priori loco non ſignificat efficientiam phyſicam, ita nec in poſteriori: non poteſt etiam in vtroque ſignificare cauſalitatem materialem, quia gratia non formatur ex aqua baptiſmi, eo modo quo reptilia ex aqua compoſita fuêre. Reliquum eſt igitur, vt ſimilitudo in eo tantùm teneat, quod ſicut reptilia producta fuerunt in aqua, ita gratia, & fides formantur in baptiſmo. Et hunc eſſe ſenſum Chriſoſt. ex eo ſatis euidenter conuincitur, quòd his poſterioribus verbis rationem reddit præcedentium, quibus dixerat fidem fingi, & formari in aqua, ſicut embrio formatur in matrice.

Præterea Leo Papa ſerm. 5. de natali Domini *Originem* (inquit) *quam ſumpſit in vtero Virginis,*

*poſuit in fonte baptiſmatis : dedit aquæ quod dedit Matri, virtus enim altiſſimi,& obumbratio ſpiritus ſancti,quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem,eadem fecit vt regeneret vnda credentem.* Quæ verba apertè fauere videntur cauſalitati phyſicæ ſacramentorum.

Reſpondeo, hoc tantùm velle præfatum Pontificem , quod ſicut Virgo non habuit ex natura ſua , ſed ex influxu Spiritus Sancti quòd pareret Saluatorem , ita aqua baptiſmi non habet ex ſe, ſed ex operatione Spiritus Sancti,qui illi ſemper, & infallibiliter aſſiſtit , vt homines regeneret per gratiam.

Vtrum autem aqua phyſicè influat ad eiuſmodi regenerationem,ſicut Virgo ad generationem Chriſti phyſicè concurrit , an verò tantùm moraliter , hoc nullo modo indicat Leo : imo ſi rationem conſulamus , id in prædicta concione tacere debuit , vt ſe accomodaret ad captũ populi, qui diſtinctiones illas philoſophicas intellectu percipere nequit.

Porro quod aqua baptiſmi verè regeneret homines , etſi phyſico influxu careat , & moraliter tantùm ad eorum regenerationem concurrat , ex ſupra dictis ſatis ſuperque probatum relinquitur.

Denique ſancti Patres ſæpe mirantur vim ſacramentorum ad producendam gratiam. Vnde eſt illud vulgatum Aug. ex tract.80.in Ioan. *Quæ eſt tanta virtus aquæ, vt corpus tangat,& cor abluat?* Hinc etiam alij docent modum quo ſacramenta producunt gratiam , captum hominum ſuperare : quod ſanè verum non eſſet ſi agerent tantùm

moraliter, cum modus ille agendi ſit intellectu facillimus.

Reſpondeo, eodem modo mirari Patres vim ſacramentorum ad producendam gratiam, quo mirantur vim Sanctorum ad edenda ingentia miracula, verbo, tactu, cingulo, cathena, linteo, ipſa etiam vmbra: & ſicut ipſi dicunt à nobis concipi non poſſe modum quo aqua gratiam producit, ita etiam dicunt modum quo vmbra Petri miracula edebat, captum noſtrum ſuperare. Hæc tamen phyſicè ad eiuſmodi effectus minimè concurrunt, vt ipſi aduerſarij fatentur, non ergo ita loquuntur Patres, quòd ſacramentis ineſſe vim phyſicè gratiam producendi exiſtiment, ſed quia in ſacramentorum inſtitutione mirantur ſapientiam Diuinam; quæ res ſupremas cum infimis mirabiliter coniungit, & bonitatem illius infinitam, quæ gratiam nobis exhibet per res quas ſtatim habemus ad manum, quæque illis, merita Chriſti ita infallibiliter adiunxit, vt ſacramenta tam certò agant quantùm eſt ex ſe, ac ſi ex neceſſitate naturæ agerent.

Quartò arguunt ex S. Tho. qui variis in locis eorum ſententiæ patrocinari videtur. Maximè verò 3. parte, quæſt. 62. art. 1. vbi agens de cauſalitate ſacramentorum, rejicit tanquam inſufficiens ad eam explicandam exemplum denarij plumbei, quo exhibito datur quædam magna quantitas pecuniæ propter ordinationem Regis; ibi autem interuenit cauſalitas moralis: ergo præter eiuſmodi cauſalitatem S. Tho. aliam in ſacramentis exigit nempe phyſicam.

Confirmatur, nam ibidem diſtinguit duplicem cauſam, principalem, & inſtrumentalem (quod ſanè de cauſa per ſe, & phyſica intelligit) & ſacramentum ad inſtrumentalem reducit. In 3. verò art. concedit ſacramentis inſtrumentalem quandam virtutem, quam in eſſe naturæ fluentem, & incompletam eſſe dicit. Et in 4. dicit eſſe ſpiritualem. Ex quibus omnibus manifeſtum fit, in ſententia S. Doctoris non ſolum ſacramenta producere gratiam phyſicè, ſed etiam ad hoc eleuari per qualitatem aliquam ſpiritualem in ipſis exiſtentem.

Verùm quod ea non ſit mens S. Tho. ex variis locis deprehendi poteſt. Imprimis enim art. 5. quæſt. 45. primæ partis, oſtendens creaturam eſſe non poſſe cauſam ſiue principalem, ſiuè inſtrumentalem creationis, ait inſtrumentum debere habere actionem propriam, quæ ſit diſpoſitio per ſe conducens ad effectum cauſæ principalis; quod probat exemplo ſecuris, quæ ſcindendo lignum diſponit ad formam ſcamni. Sacramenta autem nullam habent actionem quæ ſit diſpoſitio per ſe conducens ad gratiam, vt perſpicuum eſt.

Ibidem etiam docet inſtrumẽtum corporeum non agere niſi tangendo, vel mouendo; at ſacramenta non ſemper tangunt, aut mouent ſubjectum in quo producitur effectus: poteſt enim verbi cauſa Sacerdos ita demiſsè proferre verba abſolutionis, vt aër motus ad pœnitentem non pertingat. Et qui matrimonium contrahunt, non opus eſt vt ſe tangant, aut moueant, cum eiuſmodi contractus fieri poſſit ſolis nutibus, aut etiam

inter abſentes. Sacramenta ergo ex mente Doctoris Angelici non ſunt inſtrumenta phyſica gratiæ.

Præterea idem S. Doctor 3. parte, quæſt. 64. art. 1. ea ratione probat Deum ſolum, vt cauſam principalem immediatè producere gratiam in anima, quia Deus ſolus illabitur animæ, & nihil poteſt immediatè operari vbi non eſt: hæc autem ratio efficaciter probat, gratiam non poſſe produci immediatè, phyſicè à ſacramento vt à cauſa inſtrumentali, quia ſacramentum diſtat ab anima & nullum agens ſiue principale ſiue inſtrumentarium in doctrina S. Thò. agere poteſt immediatè in diſtans, imò cum inſtrumentum phyſicum ſit medium inter cauſam, & effectum, immediatiùs coniungi debet effectui quam cauſa principalis: cum ergo ſacramentum non ſit immediatè conjunctum animæ, aut per ſe, aut per aliquam virtutem actiuam quæ cum aliquo rationis fundamento fingi poſſit, hinc fit gratiam ab illo non poſſe produci phyſicè. Quod etiam clarius patebit iam ex ſolutione eorum quæ ſuperiùs objecta ſunt.

Ad exemplum enim denarij plumbei reſpondeo S.Tho. illud reprobaſſe,eo quod non ſit ſufficiens ad explicandam moralem cauſalitatem ſacramenti: calculus enim plumbeus oblatus Regi ad repetendam ab illo certam pecuniæ ſummam, quam aliàs mutuò accepit, eſt tantùm per ſe loquendo ſignum quo illius memoria excitatur, vt recordetur debiti quod contraxit, non autem eſt titulus obligationis quo moueatur affectus Regis ad ſoluendum debitum, ſed mu-

tuum nondum ſolutum habet rationem talis tituli: At verò ſacramentum, præter quam quod eſt ſignum excitans cognitionem gratiæ quæ in illo confertur, eſt etiam materia, ſeu titulus obligationis qua voluntas Dei mouetur ad gratiam conferendam, vi pacti initi cum Chriſto, cuius merita ſacramentis alligauit, vt horum ſuſceptione ea nobis applicarentur, & gratia conferretur.

Atque ex hoc diſcrimine conſtat denarium plumbeum per ſe loquendo non tranſcendere rationem ſigni, atque adeò exemplum ab illo deſumptum ad explicandam cauſalitatem moralem ſacramentorum, meritò à S. Doctore vt inſufficiens rejici.

Quod verò addit S. Thom. Sacramentum eſſe cauſam inſtrumentalem gratiæ, nequaquam nos perturbat; ipſe enim 3. parte, quæſt. 48. art. 6. adhibita eadem diſtinctione cauſæ principalis qua vtitur loco citato, dicit Paſſionem Chriſti inſtrumentaliter operari ad ſalutem humanam, & eam efficienter cauſare. Et quæſt. 56. art. 2. ait Reſurrectionem Chriſti habere inſtrumentaliter virtutem effectiuam, non ſolùm reſpectu reſurrectionis corporum, ſed etiam reſpectu reſurrectionis animarum. Certum eſt autem paſſionem, & reſurrectionem Chriſti non eſſe cauſas phyſicas iuſtificationis noſtræ, ſed morales dumtaxat. Ergo ex eo quod S. Tho. dicat ſacramenta eſſe inſtrumenta gratiæ, nihil aliud debet colligi quam eſſe cauſas morales illius.

Cætera quæ ſuperiùs ex illo referuntur,

quod iam diximus efficaciter confirmant, quæſt. enim 62. citata artic. 4. ad 1. æqui parat virtutem ſacramentorum ad producendam gratiam, virtuti quam habet vox ſenſibilis ad immutandum intellectum. Quis autem non videt virtutem iſtam non eſſe phyſicam, ſed tantùm moralem, vt pote poſitam in ſignificatione quæ eſt ens morale? Idem ergo ex mente S.Tho. de virtute ſacramentorum pronunciandum eſt.

Quintò aduerſarij principaliter arguunt ex humanitate Chriſti, quam ad opera illa miraculoſa quæ Chriſtus edere ſolebat, phyſicè concurriſſe arbitrantur; propter verba illa Luc. 6. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*, & illa cap. 8. *Noui virtutem de me exiiſſe*, & illa Ioan. 1. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, & illa Matth. 9. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua*, &c. Idem autem à paritate rationis dicendum eſſe volunt de ſacramentis reſpectu gratiæ.

Reſpondeo, has, & ſimiles locutiones denotare quidem cauſalitatem phyſicam ex vſu communi, quando operationes de quibus eſt ſermo, tribuuntur agentibus quorum virtutem naturalem non ſuperant. Quandò verò eiuſmodi operationes agentium quibus aſcribuntur virtutem excedunt, ratio & vſus poſtulat vt denotent tantùm cauſalitatem moralem agentis inferioris, qua Deus, cui tales effectus ſunt naturales, moueatur ad eos producendos. Exempla ſupra attulimus de Paſſione Chriſti, cui omnes effectus à ſcriptura, & Patribus tribuuntur,

qui humanitati Chriſti aſcribi ſolent, quamuis tamen Paſſio ad illos phyſicè concurrere nequeat. Item de ſigno Crucis, quod tantùm concurrit in genere inſtrumenti moralis, idquè multò minùs perfectè quam humanitas Chriſti. Ac denique de Sacramentis quæ fictione recedente gratiam producunt. Cum igitur hæ omnes locutiones non aliter poſſint intelligi in dictis exemplis quam de cauſalitate morali, quid opus eſt vt quando de Chriſti humanitate agitur, ad phyſicam recurramus.

Confirmatur, nam quando dicit Lucas capite citato virtutem de Chriſto exiiſſe, hoc non poteſt intelligi de virtute phyſica illius, eiuſmodi enim virtus cum nihil aliud eſſe poſſit quam potentia proxima agendi & actus primus, tranſire non poterat à Chriſto in aliud ſubjectum, ſed in ipſo remanere debebat; vt patet ex modo agendi cauſarum omnium, quarum virtus ad patiens phyſicè non tranſit.

Virtus verò moralis dici poteſt aliquo modo exire à cauſa in aliud ſubjectum, quatenus cauſa moralis ſuum meritum veluti transfert, & applicat illi; & ratione huius applicationis ſequitur effectus: ſic dicere ſolemus Chriſtum ſua merita paſſiones & ſatisfactiones nobis cõmunicaſſe, quod verè nihil aliud eſt, quam virtutem quandam ab illo exiiſſe, qua ægritudines animi noſtri ſanarentur. Cum igitur prædictæ locutiones magis propriè explicari poſſint de cauſalitate morali quam de phyſica, meritò de illa intelligendæ ſunt. Et idem à fortiori dicendum eſt de reliquis quæ ibi adhibentur vt ex ſuperioribus apertũ eſt.

Sextò,

Sextò, arguunt ex verbis abſolutionis ſacramentalis quæ vera eſſe non poſſe dicunt, niſi miniſter vera, & phyſica actione abſoluat pœnitentem, & peccata illi remittat, quod præſtare nequit niſi phyſicè concurrat ad productionem gratiæ, qua peccata remittuntur. Si enim concurrat tantùm moraliter, non tam dicetur ille peccata remittere, quam Deus ad præſentiam ipſius.

Reſpondeo, Sacerdotem verè poſſe dicere pœnitenti, *Ego te abſoluo*, etſi non phyſicè, ſed moraliter dumtaxat ad abſolutionem concurrat, eo modo quo Iudex dicere poteſt, *Ego abſoluo hunc reum*, etſi concurrat ſolùm moraliter ad illius abſolutionem, iubendo nimirum vt educatur è carcere, & incolumis remaneat. Et ſicut non dicimus Deum ſolum abſoluere reum ad præſentiam Iudicis, ſed Iudicem etiam concurrere tanquam Dei miniſtrum, ad eiuſmodi abſolutionem, ita dici non poteſt Deum ſolum abſoluere peccatorem ad præſentiam Sacerdotis, ſed etiam ipſum Sacerdotem tanquam Dei Vicarium, eiuſmodi abſolutionem moraliter operari.

Septimò, obijciunt nullum fore diſcrimen inter ſacramenta noſtra, & vetera, ſi noſtra gratiam phyſicè non conferunt; quia eſſent tantùm ſigna gratiæ ſicut illa.

Reſpondeo, magnam adhuc ſupereſſe differentiam inter ſacramenta Veteris, & Nouæ Legis; hæc enim moraliter gratiam continent, quia de facto Chriſtus Paſſione ſua eam promeruit, & pretium illius perſoluit, atque illam

ſacramentis Nouæ Legis alligauit. Vetera verò ſacramenta non poterant dici propriè continere moraliter gratiam, quia pretium illius nondum erat ſolutum, vnde gratiam dare non poterant ex opere operato etiam moraliter, ſed hoc ſolum ſacramentis Nouæ Legis competit. Et hoc diſcrimen approbat inter aduerſarios Doctiſſimus Suarez diſput. 10. ſect. 2. illudque reliqui reijcere iure non poſſunt.

Octauò, dicunt cauſalitatem phyſicam ſacramentorum eſſe poſſibilem, atque adeo probabile eſſe eam de facto illis competere, cum ad eorum dignitatem non parum conferat.

Reſpondeo primò, negandam eſſe conſequentiam; multa enim ſunt poſſibilia reſpectu omnipotentiæ Dei, quæ tamen nunquam actu erunt, tantùm abeſt vt actu iam ſint. Poteſt Deus creare mille mundos, mortuos ſuſcitare, cæcis viſum reſtituere, &c. quis autem dicat hæc omnia actu à Deo fieri? nullus profectò ſi ſana mente prædictus ſit.

Neque refert quod dicitur, eam cauſalitatem ad ſacramenti dignitatem multum conferre. Imprimis enim hoc non eſt ita certum, quia ſi res attentè conſideretur, cauſalitas moralis ſacramentorum æquiualet phyſicæ, quia habet effectum ſemper certum, & infallibilem neceſſitatem ex ſuppoſitione inſtitutionis Diuinæ, & Deus cum illis operatur per modum agentis naturalis: quare nulla eſt ratio cur exiſtimare debeamus cauſalitatem phyſicam

multum ad dignitatem ſacramentorum conferre ſupra moralem.

Et quamuis modus ille cauſandi eſſet multò præſtantior morali, non inde ſufficiens argumentum erueretur ad illum ſacramentis concedendum: quia Deus non ſemper ea operatur, quæ ad majorem creaturarum dignitatem, & præſtantiam conducere poſſent.

Eo vel maximè, quòd in ſacramentorum inſtitutione nihil aliud ſpectaſſe videtnr, quam hominum iuſtificationem, quæ perinde haberi poteſt,& æquè perfectè,ſiuè ſacramenta agant tantùm moraliter, ſiue phyſicè.

Reſpondeo ſecundò, probabilius eſſe, etiam de potentia abſoluta, ſacramenta non poſſe producere gratiam phyſicè: quia nullus apparet modus quo ad talem effectum producendum à Deo eleuari poſſint, vt ex ſuperioribus ſufficienter intelligitur. Et hæc de ſpinoſiſſima quæſtione ſatis.

## SECTIO VII.

*Vtrum gratia ſacramentalis diſtinguatur ab habituali.*

### SVMMARIVM.

*Nonnulli dicunt gratiam ſacramentalem nihil addere ſupra habitualem: alij volunt eam addere habitũ realiter ab illa diſtinctum. Sed vera, & communis*

*ſententia eſt, eam addere reſpectum ad quadam auxilia actualia, quibus homo finem ſacramenti ſuſcepti conſequi poſſit.*

NOnnulli in ea ſunt ſententia, vt exiſtiment gratiam ſacramentalem nullo pacto diſtingui à gratia ſanctificante, quæ hic appellari ſolet gratia virtutum,& donorum. Ita Bonauent. Richardus, & Gabriel, teſte Sayro lib.5.quæſt. vnica,art.1.

Verùm hæc opinio communiter à Theologis reiicitur; quia cum vna ſit in ſacramentis omnibus gratia habitualis, eadem etiam eſſet in omnibus gratia ſacramentalis; & ita fruſtra multiplicata eſſent tot ſacramenta, inter ſe ſpecie diſtincta quod dici non poteſt.

Nec dicas, gratiam habitualem ab vno collatam ab aliis augeri poſſe, atque adeo varietatem illorum non eſſe fruſtaneam.Ne inquam hoc dicas, nam ad augmentum gratiæ præcedentis, oporteret tantùm vnum & idem ſacramentum ſæpius repetere, & ita ſemper alia eſsent ſuperflua.

Obiicies fruſtra fit per plura quod fieri poteſt per pauciora, vt aiunt Philoſophi; ſed quidquid fit per gratiam ſacramentalem fieri poteſt per habitualem, ergo dicendum eſt fruſtra poni gratiam ſacramentalem ab habituali,ſeu ſanctificante diſtinctam.

Reſpondeo, quod fit per gratiam ſacramentalem, non poſſe fieri præcisè per gratiam habitualem, quia per gratiam ſacramentalem homo eleuatur ad conſequendum proprium fi-

nem ſacramenti: vnde illi debetur ex pacto diuino auxilium aliquod, eiuſmodi finis adeptioni proportionatum; quod de gratia habituali per ſe, & extra ſacramentum ſumpta affirmari nequit.

Ex his ergo certum relinquitur gratiam ſacramentalem aliquid addere ſupra habitualem. Quid autem illud ſit quod per eam additur, non ſatis perſpicuum eſt.

Quidam enim exiſtimant gratiam ſacramentalem addere habitum quendam realiter à gratia ſanctificante, aliiſque habitibus infuſis diſtinctum: quam ſententiam tribuunt Paludano, & Capreolo, Sotus in 4. diſtinct. 1. quæſt. 3. art. 2. Valentia, diſput. 3. quæſt. 3. puncto 2. & alij. Cum hoc tamen diſcrimine, quod Paludanus etſi ſubobſcurè loquatur, videtur tamen indicare eſſe habitum diſtinctum à gratia, & habibitus infuſis, quo homo iuuetur ad conſequendum proprium finem ſacramenti, Capreolus verò vult eſſe characterem, vel ornatum animæ.

Sed hæc etiam opinio parum habet probabilitatis; nam ſi gratia ſacramentalis eſt habitus realiter diſtinctus à gratia habituali, & virtutibus infuſis, quæro in quo ſubjecto immediatè ſit eiuſmodi habitus: vel enim eſt in ipſa eſſentia animæ, vel in potentiis illius: non in eſſentia, quia gratia habitualis in illa reſidet, & ſufficit ad omnes effectus gratiæ quorum eſſentia animæ eſt capax: non etiam in potentiis, quia cum ſint operatiuæ, in iis tantùm infunduntur habitus operatiui qui ad

actus ſupernaturales ordinantur: nullus autem actus ſupernaturalis procedit ab eiuſmodi potentiis, qui non poſſit facilè reduci ad virtutes infuſas, aut dona Spiritus Sancti quæ in illis exiſtunt. Fruſtra ergo aſſeritur gratiam ſacramentalem addere habitum à gratia, & virtutibus infuſis realiter diſtinctum.

Et hæc ratio militat non tantùm contra Palud. ſed etiam aduerſus Capreolum, qui rurſus ſpeciatim refelli poteſt, partim ex iis quæ diximus ſect. 3. vbi oſtendimus prædictum ornatum animæ quem nonnulli comminiſcuntur, eſſe imaginarium: partim ex iis quæ infra dicemus de charactere, oſtendemus enim eum longè diuerſum ſortiri effectum ab effectu gratiæ ſacramentalis, imo illum nonnunquam infundi homini qui gratiam ſacramentalem, ex defectu diſpoſitionis debitæ non recipit, vt patet in illis qui ad ſacramentum baptiſmi, vel confirmationis fictè accedunt; ex quibus apertè colligitur gratiam ſacramentalem eſſe quid diſtinctum ab ornatu, vel charactere.

Dices S. Thom. art. infra citando ad 3. ait gratiam ſacramentalem ſe habere ad gratiam iuſtificantem, ſicut ſpecies ad genus: vnde videtur ſequi gratiam ſacramentalem eſſe habitum, non ſecus ac habitualem, cum ſpecies habitus verè habitus ſit.

Reſpondeo, Non eſt mens S. Thom. gratiam ſacramentalem eſſe propriè ſpeciem reſpectu habitualis, cum hæc in ſententia illius ſit ſpecies infima. Vult ergo tantùm dicere, quan-

dam reperiri analogiam inter gratiam ſacramentalem, & habitualem, vt inter ſpeciem, & genus: quod ſicut ſpecies continet genus, & aliquid præterea, ita gratia ſacramentalis continet habitualem, & reſpectum ad auxilia quædam actualia.

Communis igitur & verus dicendi modus eſt, gratiam ſacramentalem addere ſuper gratiam ſanctificantem, reſpectum ad auxilium aliquod ex pacto diuino iis debitum, qui ſacramentum dignè ſuſcipiunt, vt per illud ſacramenti finem conſequi poſſint. Quo fit vt propriè loquendo gratia ſacramentalis nihil aliud ſit quam gratia ipſa habitualis, prout in ſacramento confertur cum ordine ad prædictum auxilium, homini ex promiſſione diuina debitum.

Ita quoad rem ipſam S.Tho. 3. parte, quæſt. 62. art. 2. Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 3. art. 2. Suarez diſp. 7. ſect. 3. Valentia diſp. 3. quæſt. 3. puncto 2. Sayrus lib. 5. cap. 5. quæſt. vnica, art. 2. Vincentius de Sacramentis in genere, parte 7. dub. 2. & multi alij quos iſti referunt.

Probari verò poteſt hæc ſententia ex dictis, quia gratia ſacramentalis addit aliquid ſupra gratiam habitualem, vt probatum fuit contra primam opinionem: illud autem quod addit non eſt quidam habitus realiter diſtinctus à gratia, & virtutibus illam comitantibus; ergo neceſſe eſt vt ſit quoddam auxilium, cuius beneficio finem ſacramenti homo aſſequi valeat.

Confirmatur, nam baptiſmus non tantùm ad

hoc ordinatur, vt deleat peccatum originale, & homo per illum regeneretur in Chriſto, ſed etiam vt diſponat ſuſcipientem ad ſeruandam legem diuinam, cuius eſt profeſſio: item ad dignè ſuſcipienda alia ſacramenta, quorum eſt ianua; hæc autem & ſimilia non poſſunt ritè peragi abſque auxilio quodam diuino.

Rurſus, confirmatio non ſolùm ordinatur ad augendam gratiam habitualem in Baptiſmo collatam, ſed etiam ad fidem coràm tyranno conſtanti animo profitendam; quod etſi per fidei, & fortitudinis habitus extra ſacramentum collatos fieri poſſit, non tamen æquè benè ac per gratiam confirmationis, ad hunc effectum à Deo ſpecialiter deſtinatam. Vnde ſequitur, in confirmatione gratiam habitualem habere reſpectum ad auxilia quædam ſupernaturalia, quæ Deus intuitu illius ſacramenti paratus ſit conferre, quotieſcunque neceſſitas confitendi fidem occurrerit.

Deinde, in pœnitentia tribuitur homini gratia ſanctificans, & ſuſcitans à morte peccati, eum qui poſt baptiſmum in peccatum lethale lapſus eſt, & remittens illi pœnam æternam, non tamen omnem temporalem ſicut fit in Baptiſmo, ſed iuxta diſpoſitionem pœnitentis, qui etiam fit fortior ad deinceps reſiſtendum occaſionibus peccatorum, & ad ſatisfaciendum pro peccatis præteritis, quod vt liquet, ſine auxiliis gratiæ fieri non poteſt. Et idem proportione ſeruata de reliquis ſacramentis affirmandum eſt. Vnde concluditur, gratiam ſacramentalem, præter gratiam

habitualem includere reſpectum ad quædam auxilia, ad finem ſacramenti conſequendum neceſſaria.

## SECTIO VIII.

### *An ſacramenta antiquæ legis gratiam contulerint.*

SVMMARIVM.

*Sacramenta antiquæ legis non conferebant gratiam ex opere operato, ſed tantùm ex opere operantis quatenus iuſti illis ſacramentis vtentes merebantur augmentum gratiæ.*

AGimus hoc loco de ſacramentis omnibus antiquæ legis, excepta circunciſione, de qua commodior erit dicendi locus in diſput. de baptiſmo cuius erat figura. De alijs ergo ſacramentis authores variè ſentiunt, & referri poſſunt tres ſententiæ, quarum duæ priores ſunt extremæ, & tertia veluti media.

Prima ſententia eſt magiſtri in 4. diſt. 1. vbi docet ſacramenta antiquæ legis non contuliſſe gratiam ſiue ex opere operato, ſiue ex opere operantis.

Secunda præcedenti contraria tribuitur hugoni à S. Victore, Bonauent. & nonnullis alijs, qui putant prædicta ſacramenta gratiã contuliſſe & ex opere operato, & ex opere operantis.

Tertia verò quæ eſt media, docet in ſacramẽtis illis datam fuiſſe gratiam, non quidem ex opere operato, ſed ex opere operantis.

Et hæc eſt communis inter Doctores, eamque defendit S. Tho. 3. parte, quæſt. 62. art.6.& ibidem illius interpretes, ac multi alij quorum meminit Sayrus lib. 5. de ſacram. in genere cap. 7. art. 3.

Iuxta hanc ergo ſententiam, quæ nobis probabilior videtur, dicendum eſt primò, *Sacramenta vetera non contuliſſe gratiam ex opere operato.* Quod probari poteſt primò authoritate Pauli,qui ad Galat. 4. vocat ſacramenta illa, infirma & egena elementa; infirma quia non poſſunt à peccato mundare, egena eo quod in ſe gratiam non continent, ait S. Tho. 1. 2. quæſt. 103. art. 2. Et Hebr. 9. ait ſacramenta illa eſſe iuſtitias carnis, quæ conſcientiam mundare non poſſunt.

Secundò, authoritate Concil. Florent. quod in decreto Eugenij, agens de diſcrimine quod inter ſacramenta vetera & noua intercedit. *Illa enim* (inquit) *non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant: hæc verò noſtra, & continent gratiam, & eam dignè ſuſcipientibus conferunt.*

Tertiò, authoritate Auguſt. qui in Pſal. 73. *Alia ſunt* (inquit) *Sacramenta dantia ſalutem, alia promittentia ſaluatorem: ſacramenta noui teſtamenti dant ſalutem, ſacramenta veteris teſtamenti promiſerunt ſaluatorem: mutata ſunt ſacramenta, facta ſunt faciliora, pauciora, ſalubriora, fœliciora.* His conſona repetit ſæpe aliàs, eique conſentiunt cæteri Patres.

Quartò ratione, quia tota lex vetus iuſtificare non poterat, ergo multo minus id præſtare valebant ſacramenta illius. Sequela patet, quia ſacraméta erant tantùm pars antiquæ legis. Antecedés oſtenditur ex verbis illis Ioan. 1. *Lex per Moyſen data eſt, gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Quibus notatur diſcrimen inter legem veterem, & nouam, quod hæc non illa, gratiam conferret per ſe, & vi propria.

Confirmatur hæc ratio. Quia quod res externæ, & ſenſibiles, cuiuſmodi ſunt ſacramenta, gratiam conferant ex opere operato, hoc pendet ex promiſſione Dei, quæ nobis per ſcripturas, aut doctrinam fidei innoteſcit: ex his autem non poſſumus cognoſcere factam eſſe à Deo talem promiſſionem ſacramentis antiquis, ſed potius ex illis oppoſitum deducitur, cum dicat Paulus Hæbr. 8. miniſterium Chriſti melius eſſe Moſaïco, & in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſſe. Cui conſonat id quod ſcribit Auguſt. ad Pſal. 72. promiſſiones Iudæorum fuiſſe tantùm temporales, noſtras verò æternas. Dici ergo non poteſt, ſacramenta vetera habuiſſe vim conferendi gratiam ex opere operato.

Vnum eſt quod aduerſus hanc aſſertionem obijci poteſt, nimirum per antiqua ſacrificia datam fuiſſe remiſſionem peccati mortalis, vt conſtat ex cap. 5. & 6. Leuitici, peccatum autem mortale non poteſt remitti niſi per gratiam ſanctificantem; ergo vetera ſacrificia, & idem dicendum eſt de Sacramentis, vim habebant hanc gratiam conferendi.

Reſpondeo, quæ locis citatis, aut alijs dicuntur de ſacrificijs pro peccatis, aut peccatorum remiſſione, intelligi debent de remiſſione peccatorum, non quidem ſecundum culpam, & pœnam æternam ipſis debitam, ſed ſecundum pœnam lege præſcriptam, & immundiciam quandam corpoream, & legalem quam peccantes contrahebant, quæque illos reddebat ineptos ad cultum diuinum. Itaque qui prædicta ſacrificia Deo offerebant, fiebant idonei ad res ſacras adminiſtrandas, & à pœna lege præſcripta liberi erant; gratiam tamen internam ex opere operato non recipiebant.

Secundò dicendum eſt, *Sacramenta antiquæ legis gratiam contuliſſe ex opere operantis, quatenus iuſti illis ſacramentis vtentes merebantur augmentum gratiæ.* Ratio eſt, quia iuſti in veteri lege merebantur augmentum gratiæ, & gloriæ, quibuſcunque operibus bonis; ergo etiam eam merebantur per vſum ſacramentorum, & oblationem ſacrificiorum quæ à Deo præcepta erat, & ad cultum latriæ pertinebat.

Confirmatur, nam ſcriptura commemorat multa ſacrificia quæ Deo pergrata fuerunt, nimirum ſacrificium Abelis, Abrahæ, Dauidis, Salomonis, Eliæ, &c. Item nemo negare poteſt, quin oblatio turturum in templo facta à ſacratiſſima virgine, meritoria & Deo gratiſſima fuerit: hinc ergo euidenter ſequitur vſum ſacrificiorum, vel ſacramentorum antiquæ legis in iuſtis hominibus fuiſſe bonum, & meritorium augmenti gratiæ.

Dicet aliquis. Non datur meritum de cōdigno

apud Deum ſine promiſſione mercedis, vt ſuppono ex tract. de gratia diſp. 11. ſect. 6. ſed ſacrificijs, vel ſacramentis antiquis nulla facta eſt à Deo gratiæ, ſed tantùm bonorum temporalium promiſſio: ergo in vſu illorum non dabatur augmentum gratiæ.

Reſpondeo, promiſſio gratiæ non eſt facta ſacramentis illis quatenus erant cæremoniæ quædam externæ ad legem veterem pertinentes, vnde vt ſic eam conferre non poterant, ſed tantùm vt erant bona quædam opera, facta ab hominibus iuſtis ex fide Chriſti venturi, ita vt augmentum gratiæ in eorum vſu collatum, non daretur ex vi ſacramenti vt tale erat, ſed iuxta meritum, & diſpoſitionem operantis.

*Finis diſputationis octauæ.*

# DISPVTATIO NONA.

## *De minus præcipuo ſacramentorum effectu, nempe charactere.*

Quinque ſectiones complectens.

*DVO ſunt effectus ſacramentorum nouæ legis, gratia & character. Prior omnibus ſacramentis eſt communis, poſterior tribus dumtaxat competit; de quo nonnulla inueſtiganda occurrunt per quinque ſectiones. Imprimis, an character conferatur per aliqua ſacramenta. Secundò, an character ſit ens reale, abſolutum, & ab anima diſtinctum. Tertiò, in quo prædicamento collocandus ſit character. Quartò quodnam ſit ſubiectum illius immediatum. Quintò, an character animæ indelebiliter inhæreat.*

## SECTIO I.

*An character conferatur per aliqua ſacramenta.*

SVMMARIVM.

*Aſſertio fidei eſt contra Vuitcleſſum, Lutherum,*

*Caluinum & alios, tria noua legis ſacramenta nempe baptiſmum, confirmationem, & ordinem, characterem imprimere.*

CHaracteris nomine hoc loco intelligimus notam aliquam, vel ſignum ſpiritale animo indelebiliter à Deo impreſſum: & quærimus an aliqua eiuſmodi nota à nonnullis ſacramentis producatur, ad eum modum quo ab illis producitur gratia ſanctificans, de qua præced. diſp. actum eſt.

Prætermiſſa ſententia Vuicleffi, Lutheri, Caluini, aliorumque hæreticorum qui nullum eiuſmodi characterem admittunt; affirmandum eſt cum omnibus Theologis, nonnulla nouæ legis ſacramenta nimirum Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem dum validè ſuſcipiuntur, in animis fidelium characterem imprimere.

Hæc aſſertio eſt de fide, & determinata olim fuit in Concil. Florent. in inſtruct. Armen. decreto de Sacramentis, his verbis. *Inter ſacramenta tria ſunt, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo quæ characterem, id eſt ſpirituale quoddam ſignum à cæteris diſtinctum, imprimunt in anima, indelebile, vnde in eadem perſona non iterantur; reliqua verò quatuor non imprimunt, & reiterationem admittunt.*

Idem definitum fuit in Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. de ſacramentis in genere. *Si quis dixerit in tribus ſacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, vnde ea iterari non poſſint, anathema ſit.*

Ex quibus determinationibus conſtat primò, inter ſacramenta nonnulla reperiri quæ characterem imprimunt, alia quæ talem effectum non habent. Secundò, ideo baptiſmum, confirmationem, & ordinem non poſſe iterari, quia characterem imprimunt. Vnde colligitur ratio à poſteriori qua euidenter oſtenditur dari characterem, quoties concilia, vel Patres aſſerunt ſacramenta nonnulla iterari non poſſe.

Patres omnes eidem ſententiæ communi calculo ſubſcribunt. Damaſcenus lib. 4. fidei orthodoxæ, cap. 10. ſic habet. *Per baptiſmum accipimus primitias ſpiritus, & deinde ſignaculum, & tutelam, & ſanctificationem:* quibus verbis apertè ſignaculum, ſeu characterem à gratia, item etiam ab ipſo baptiſmo diſtinguit.

Baſilius oratione 13. ait, quòd ſicut Imperator militibus, & paſtor ouibus; ita Deus in baptiſmo dat ſignum quo ab alijs cognoſcantur. Vides ex Baſilio quòd ſicut ouibus, & militibus imprimitur character, vt per illum notum ſit ad quem Dominum, aut ducem pertineant; ita in baptiſmo imprimitur character hominibus, vt ſint tanquam milites Chriſti, & peculium illius, & à reliquis hominibus diſtinguantur.

Epiphanius tomo primo lib. 1. hæreſi 8. opponens baptiſmum circuncifioni ſic habet. *Illic circuncifio fuit carnalis, quæ inſeruit tempori vſque ad magnam circuncifionem, hoc eſt baptiſmum qui circuncidit nos à peccatis, & obſignat nos in nomen Dei.* Ex quibus verbis patet, quòd ſicut in circunciſione dabatur ſignum aliquod carnale, quo Iudæi à gentibus diſtinguebantur; ita in baptiſmo imprimitur

primitur nota aliqua ſpiritalis, cuius beneficio fideles ab infidelibus diſtinguuntur.

Auguſtinus tract. 5. in epiſt. 1. Ioan. *Si ex ſacramento* ( inquit ) *charitatem quiſque habeat, tunc ſe dicat natum eſſe ex Deo: ſi autem non habeat, characterem quidem impoſitum habet, ſed is deſertor vocatur.* Et epiſt. 50. ſic ait, *Ideo non rebaptizamus malos, vt ſic iterum per baptiſmum abluantur à peccatis; quia ſic iniuriam faceremus charactèri Imperatoris.* Similia inculcat ſæpe aliàs.

Ratio autem primaria prædictæ aſſertionis ſumitur ex voluntate, & inſtitutione Chriſti, qui ſicut liberè tot, & non plura ſacramenta in tali, vel tali materia inſtituit; ita ordinauit vt nonnulla ex illis characterem in animis ſuſcipientium imprimerent.

Huius autem inſtitutionis Chriſti certos nos facit Eccleſia, quam ipſa ab Apoſtolis accepit, vt colligitur ex regula illa quam tradit Auguſt. lib. 5. de baptiſmo, cap. 23. *Quæ vniuerſa tenet Eccleſia, eo ipſo ab Apoſtolis bene præcepta dicuntur, etiamſi ſcripta non reperiantur.* Quare cum vniuerſalis Eccleſia doceat in tribus ſacramentis nouæ legis imprimi characterem, non dubium eſt quin hæc doctrina ab Apoſtolis ad nos, continuata ſerie temporis fluxerit.

Congruentia verò ex eo ſumi poteſt, quod per tria ſacramenta homo ſpecialiter deputatur ad quendam Dei cultum, & ab alijs diſtinguitur. Sic per baptiſmum homo fit membrum Eccleſiæ, & eſt capax aliorum ſacramentorum, in quorum vſu ſpecialis quidam religionis Chriſti cultus verſatur; ac denique à non fidelibus diſtinguitur.

Per confirmationem etiam homo conſtituitur Chriſti miles, & ſpecialiter deputatur ad fidem coram tyranno conſtanti animo profitendam, quoties occaſio occurrerit; & per eam differt à Chriſtianis qui tantùm ſunt baptizati, ſicut vir fortis differt ab infantulo.

Denique per ſacramentum ordinis homo ſpecialiter conſecratur, & deputatur ad ſacramenta alijs ex officio adminiſtranda, & diſtinguitur à laïcis tanquam proprius miniſter Chriſti, cuius ſacerdocium peculiari modo participat. Quare rationi conſentaneum videtur vt hæc tria ſacramenta notam aliquam, ſeu characterem ſpiritualem in animis ſuſcipientium imprimant.

Dices, qui fictè accedit ad aliquod ſacramentum, peccat mortaliter; tunc autem veriſimile non eſt ei characterem conferri, quia cum character ſit donum valde eximium, vix credi poteſt Deum illud homini actu mortaliter peccanti tribuere.

Reſpondeo, hoc magis nouum videri non debet, quam quod Deus Balaam peccatori, imo actu lethaliter peccanti, item Caïphæ, alijſque peccatoribus donum prophetiæ interdum contulerit: hæc enim dona per ſe peccato non repugnant, ſicut gratia ſanctificans. Et idem de charactere affirmandum eſt.

## SECTIO II.

*An character ſit ens reale, abſolutum, & ab anima diſtinctum.*

### SVMMARIVM.

*Character qui per ſacramenta quædam nouæ legis imprimitur, eſt ens reale, abſolutum, & ab animæ ſubſtantia, & potentijs realiter diſtinctum.*

TRia quærimus in iſta ſectione vt patet, primò an character ſit ens aliquod reale, an verò ens rationis, ſeu denominatio extrinſeca ex eo adueniens, quòd aliquis ex inſtitutione diuina ad ſacras actiones deputetur.

Secundò, an poſito quod character ſit ens reale, ſit etiam ens abſolutum, an verò ad relationem pertineat.

Tertiò an ſuppoſito quod ſit ens abſolutum, ab anima realiter diſtinguatur. Quibus difficultatibus triplici aſſertione fiet ſatis.

Prima aſſertio. *Character qui per ſacramenta quædam nouæ legis imprimitur in anima, eſt ens reale.* Ita omnes, ferè Theologi contra Durandū qui oppoſitum docuit. Probari autē poteſt primò efficaciter ex Concil. Florent. & Trid. præcedenti ſectione citatis, quæ cum ſtatuant characterē eſſe ſignum ſpirituale animæ impreſſum, idque indelebile, ſatis oſtendunt illum eſſe ens aliquod verum, & reale;

ſi quidem relatio rationis, aut denominatio extrinſeca neque eſt quid ſpirituale, neque in anima imprimitur, neque indelebilis dici poteſt.

Confirmatur, nam Theologi ex eo probant gratiam, & charitatem eſſe aliquid reale, imo oppoſitum non eſſe in fide tutum, quia Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 11. docet gratiam, & charitatem eſſe aliquid infuſum in cordibus: cum ergo ſeſſ. 7. can. 9. de Sacramentis in genere, dicat characterem eſſe quoddam ſignum ſpirituale, & indelebile in anima impreſſum, ex hoc loquendi modo colligitur non modo characterem eſſe ens reale, ſed etiam non poſſe abſque errore defendi quod ſit ens rationis.

Confirmatur vlteriùs, quia Concil. Trident. dicens anathemà negantibus characterem, intendit damnare errorem hæreticorum qui omnem characterem auferunt: ipſi autem non negant quin in miniſtris conſurgat relatio aliqua rationis, ex eo quod deputentur ad actiones ſacras. Concilium ergo damnat eos qui negant characterem eſſe aliquid reale, quod præter alios aduertunt illuſtriſſimus Bellarm. lib. 2. de Sacramentis cap. 19. & doctiſſimus Suarez tomo 3. in 3. partem, diſp. 11. ſect. 2.

Secundo, idem ſuadetur ex Patribus præced. ſect. citatis. Damaſcenus enim ait per baptiſmum nos accipere ſignaculum, ſeu characterem, & ſanctificationem; quo loquendi modo ſignificat non minus characterem eſſe aliquid reale, quam ſit gratia qua ſanctificamur.

Baſilius verò comparat, characterem ſigno quo oues notantur, quod ſignum eſt aliquid reale. Et

ſimiliter Epiphanius illum æquiparat notæ circunciſionis, quæ realis erat.

Quod denique confirmat Auguſt. lib. 2. contra Parmen. cap. 13. vbi ait characterem non minus hærere in anima, quam nota corporalis hæreat in carne.

Tertiò, ſi vera eſſet ſententia Durandi, ſequeretur eodem modo in lege veteri impreſſum fuiſſe characterem per ordinationem ſacerdotum, quo iam in conſecratione ſacerdotum nouæ legis imprimitur: ſi quidem illi etiam ſacerdotes per ordinationem ſuam deputabantur ad munus aliquod ſacrum. Conſequens antem à communi Theologorum ſenſu alienum eſt.

Dices, ſi character eſſet aliquid reale, in Chriſto eſſet conſtituendus, at falſum eſt fuiſſe in Chriſto characterem aliquem ſacramentalem.

Reſpondeo negando aſſumptum, tum quia character eſt participatio quædam ſacerdotij Chriſti, per quam ei homines configurantur, participando aliquam poteſtatem in ordine ad ſacramēta, circa quæ Chriſtus plenam habet poteſtatem: tum quia character eſt nota ſeruorum, militum, & ouium: Chriſtus autē eſt Dominus, dux, & Paſtor hominū.

Secunda aſſertio. *Character ſacramentalis eſt ens abſolutum, non autē relatiuum.* Ita cōmuniter Theologi contra Scotum, qui putat characterem eſſe relationem extrinſecùs aduenientem, id eſt, quæ poſito fundamento, & termino non ſtatim exiſtit.

Probatur autem primò, quia omnis relatio prædicamentalis fundatur in aliqua entitate abſoluta; hæc autem nulla in propoſito aſſignari poteſt, præter eſſentiam characteris, ergo character ſecūdum

ſuam eſſentiam eſt ens abſolutum, non relatiuum. Maior nota eſt lippis & tonſoribus: Minor ſuadetur, quæro enim quodnam ſit hoc fundamentum, vel enim eſt ipſa anima, vel aliqua entitas recepta in anima: non anima, quia ſi anima eſſet fundamentum prædictæ relationis, ſequeretur hominem eo ipſo quo anima præditus eſt, habere peculiarem illam ad Chriſtum relationem, in qua Scotus rationem characteris conſtituit, & conſequenter charactere eſſe inſignitum: ſiquidem poſitis fundamento, & termino alicuius relationis ſtatim relatio ipſa conſurgit.

Non etiam dici poteſt, quod entitas aliqua inhærens animæ ſit fundamentum prędictæ relationis; quia character eſſe poteſt in anima abſque gratia, fide, charitate, aliiſque omnibus habitibus qui in anima recipi ſolent. Reliquum igitur eſt vt dicamus characterem ipſum eſſe entitaté realem, & abſolutam in qua allatus reſpectus fundatur.

Secundò, communis eſt philoſophorum ſententia ad relationem non dari per ſe motum, ſeu actionem; motus verò, ſeu actio terminatur per ſe ad characterem, quandoquidem ſicut gratia, ita & character à Deo verè, phyſicè, & per ſe producitur. Non igitur character dici poteſt relatio.

Cæterùm maior propoſitio, de qua eſſe poſſet aliqua difficultas, vera eſt non ſolùm in relationibus ab intrinſeco aduenientibus, ſed etiam in illis quas Scotus extrinſecus aduenientes appellat; non enim eſt per ſe motus, verbi cauſa ad dextrum, & ſiniſtrum quod ex Scoto ipſo genus eſt relationum extrinſecus aduenientium, ſed ad tale vbi, & ſic de reliquis.

Tertiò denique, ſi character eſt relatio, hoc habet quatenus eſt ſignum, vt ipſe vult Scotus; at ſignum non eſt propriè relatio, ſed entitas aliqua abſoluta, quæ connotat relationem ad aliud, vt patet exempli cauſa in hædera ſuſpenſa, quæ eſt ſignum vini venalis; ea enim vt ſic, non eſt relatio, ſed tantùm connotat quendam reſpectum ad vinum quod ſignificat.

Tertia aſſertio. *Character eſt ens poſitiuum, realiter ab anima diſtinctum.* Hæc etiam eſt communis Theologorum, contra Dominicum à Soto qui in 4. diſt. 1. quæſt. 4. art. 2. docet opinionem Durandi, qua parte aſſerit characterem non eſſe rem diſtinctam à ſubiecto, nunquam ſibi viſam eſſe ita multum à veritate alienam: oppoſitam tamen dicit ſtatim eſſe conſonantiorem dictis Sanctorum, atque adeo probabiliorem.

Probatur autem imprimis noſtra hæc aſſertio ex ſupradictis, quia ſi character eſſet quid indiſtinctum ab anima, non diceretur in illa imprimi quando ſuſcipitur ſacramentum; non enim ſe habet anima per modum ceræ, in qua figura dicitur imprimi, etſi figura à quantitate ceræ non diſtinguatur, ſed ſit quidam illius modus dumtaxat; nam cum ſit ſpiritualis, concipi non poteſt quomodo de nouo conſignari poſſit, niſi recipiat entitatem aliquam ab ipſa realiter diſtinctam. Maximè cum character in relatione non conſiſtat, vt ante probatum eſt.

Deinde, ſicut gratia, & virtutes ſupernaturales fiunt in anima, per propriam & phyſicam actionem Dei ad illas terminatam, ita & character. Ex ea autem actione rectè colligunt

Theologi gratiam, & virtutes eſſe entitates aliquas ab anima realiter diſtinctas: ergo idem de charactere affirmandum eſt.

## SECTIO III.

*In quo prædicamento collocandus ſit character.*

SVMMARIVM.

*Character ſacramentalis directè pertinet ad prædicamentum qualitatis. Non reducitur autem ad ſecundam illius ſpeciem, quæ eſt potentia actiua, & paſſiua; multò minus ad tertiam, aut quartam, ſed ad primam, quæ eſt habitus, & diſpoſitio.*

IN hac cõtrouerſia varij variè ſentiunt. Nonnulli dicunt characterem per ſe, & directè in nullo prædicamento conſtitui, ſed tantùm reductiuè ad qualitatem pertinere. Ita poſt ſanctum Tho. & Richardum, Gregor. de Valentia tomo 4. diſp. 3. quæſt. 4. puncto 3.

Alji dicunt characterem pertinere directè, & per ſe ad primã ſpeciem qualitatis. Ita Suarez diſp. 11. ſect. 3. Vazquez diſp. 134. cap. 3. Coninck quæſt. 63. art. 3. & Sayrus lib. 3. de Sacramentis in genere cap. 2. quæſt. 3. art. 2.

Aliorum eſt ſententia, characterem conſtitui in ſecunda ſpecie qualitatis, quæ eſt naturalis potentia, & impotentia. Ita S. Tho. 3. parte, quæſt. 63. art 2. quem ſequitur Caietanus, Soto, & alij Tho-

miſtæ, item Franciſcus Syluius ad prædictum articulum,& Puteanus ibidem dubit. 3.atque etiam Sayrus loco citato.

Alij denique exiſtimant characterem per ſe,& directè pertinere ad quartam ſpeciem qualitatis, nempe ad figuram, quia per illum configuramur Chriſto.Ita Marſilius,teſtibus Valentia,& Suarez locis citatis. Quid in tanta opinionum varietate probabilius nobis videatur, paucis aſſertionibus patefiet.

Prima aſſertio. *Character ſacramentalis directè pertinet ad prædicamentum qualitatis.* Ratio eſt, quia character eſt res aliqua ſupernaturalis animæ infuſa,non eſt autem relatio vt probatum eſt; neque poteſt dici quòd ſit ſubſtantia, vel quantitas,aut aliquod ex ſex vltimis prædicamentis; ſupereſt ergo vt ſit vera qualitas,& ad prędicamentum qualitatis directè pertineat, nõ minus quam qualitates naturales,à quibus, & à ſupernaturalibus abſtrahi poteſt vna ratio communis,quæ vniuocè omnibus conueniat.

Neque refert quod character ſit inſtrumentum,ratio autem inſtrumenti ſit imperfecta & incompleta, ac conſequenter excludi videatur à directa linea categoriæ; hoc inquam nihil refert, ſiquidem qualitates naturales ſunt inſtrumenta ſubſtantiæ, & tamen directè ad prædicamentum qualitatis pertinent; quia ſecundum ſuum eſſe ſubiectum verè afficiunt, eique inhærent.

Neque etiam obſtat, quòd corruptibile, & incorruptibile dicantur genere differre, & idem dicendum videatur de re naturali, & ſupernaturali. Illud enim prius intelligen-

dum eſt de genere phyſico, non autem de genere logico; cum certum ſit Angelos, verbi cauſa, reponi directè in prædicamento ſubſtantiæ, non ſecus ac corpora naturalia, eſto illi incorruptibiles ſint ex natura ſua, hæc verò corruptioni obnoxia.

Secunda aſſertio. *Character non pertinet ad ſecundam ſpeciem qualitatis, quæ eſt potentia phyſica.* Ratio eſt, quia illa tantùm eſt vera potentia phyſica, quæ verè, & phyſicè ordinatur ad aliquem actum, vel eliciendum ſi ſit potentia actiua, vel in ſe recipiendum ſi ſit potentia paſſiua: atqui character non ordinatur propriè ad eliciendum, aut recipiendum phyſicè aliquem actum, vt facilè patebit ſi diſcurramus per omnia ſacramenta quæ characterem imprimunt, quod mox ſoluendo varias obiectiones præſtabimus. Ergo character non eſt vera potentia phyſica ſiuè actiua, ſiue paſſiua, & conſequenter non pertinet ad ſecundam ſpeciem qualitatis, in qua vera potentia phyſica dumtaxat conſtituitur.

Dices primò, per baptiſmum hominem fieri potentem ad recipienda alia ſacramenta, atque adeo characterem baptiſmi eſſe potentiam paſſiuam, phyſicam, in ordine ad alia ſacramenta.

Reſpondeo negando conſequentiam, homo enim per baptiſmum non fit phyſicè potens ad recipienda alia ſacramenta, quaſi verò in illo ponatur quædam potentia phyſica, in qua immediatè recipiantur alia ſacramenta, eo modo quo forma ſubſtantialis in potentia phyſica materiæ recipitur: hoc enim non ita eſt, cum ſacramenta ſint res quædam corporeæ, quæ non niſi

in re corporea recipi queunt. Fit ergo homo potens moraliter ad ſacramenta alia recipienda, quatenus Deus inſtituit, vt nullus validè ad reliqua ſacramenta accedat, quin charactere baptiſmali ſit inſignitus: ex quo patet potentiam illam non eſſe phyſicam, ſed dumtaxat moralem.

Dices ſecundò, confirmationem ordinari ad ea præſtanda quæ pertinent ad pugnam ſpiritualem contra hoſtes fidei, quod dici non poteſt, niſi character confirmationis ſit potentia actiua phyſica.

Reſpondeo non etiam id ſequi, quia confirmatus pungat cum hoſtibus fidei, actibus fortitudinis, fidei, charitatis, & ſimillibus qui effectiuè procedunt ab intellectu, & voluntate: item à virtutibus infuſis, variiſque gratiæ auxiliis; neque opus eſt vt character confirmationis ad eos phyſicè concurrat; maxime cum ab homine nondum confirmato elici poſſint, vt patet in iis qui ante confirmationis, imo & baptiſmi ſacramentum martyrij palmam adepti ſunt. Potentia igitur illa non eſt phyſica, ſed moralis, quatenus Deus inſtituit, vt qui tali ſigno eſt præditus, idoneus ſit ad fidem coram tyranno profitendam.

Dices tertiò, characterem ſaltem ſacerdotalem videri potentiam phyſicam reſpectu gratiæ alteri per ſacramentum collatæ: Sacerdos enim ſacramentum alteri conferens, verè in eo producit gratiam.

Reſpondeo, neque hoc dici poſſe; potentia enim actiua phyſica, habet effectum ſibi conna-

turalem, & phyſicum: ſed gratia non poteſt eſſe effectus connaturalis, & phyſicus vllius qualitatis creatæ, vt oſtenſum eſt in tract. de gratia diſp. 9. ſect. 1. ergo character Sacerdotalis non poteſt eſſe potentia actiua, phyſica reſpectu gratiæ.

Opponet aliquis, characterem ſacerdotalem producere phyſicè gratiam in alio, non per potentiam quidem naturalem, ſed per obedientialem actiuam qua à Deo eleuatur ad talem effectum.

Sed imprimis, hoc effugium ſtatim præcluditur ex dictis diſput. præced. vbi modum illum eleuationis improbauimus: & quamuis concederemus characterem de facto ita eleuari, ſanè ratio illa potentiæ obedientialis actiuæ, cum ponatur communis omnibus entibus, non ſufficeret vt clarè perſpectam haberemus naturam, & ſpecificam rationem characteris quam hîc inquirimus, illumque conſtitueremus in ſecunda ſpecie qualitatis; aliàs dicendum eſſet lignum, lapidem, aquam, Angelum, aut ſaltem qualitates omnes cuiuſcunque naturæ, & rationis, eſſe ex natura ſua potentias actiuas, & ad ſecundam qualitatis ſpeciem pertinere, cum æque à Deo eleuari poſſint ad producendam gratiam.

Tertia aſſertio. *Character ſacramentalis non pertinet ad vltimam qualitatis ſpeciem quæ eſt figura.* Ratio eſt, quia figura illa quæ poſtremam qualitatis ſpeciem conſtituit, eſt propriè terminus quantitatis corporeæ, & in ea fundatur, ridiculum eſt autem exiſtimare chara-

ᵭerem eſſe figuram hoc modo, ita vt termi-net quantitatem materialem.

Dicitur ergo figura impropriè, & metaphori-cè, quatenus per illum configuramur Chriſto; ſicut enim Chriſtus qui eſt figura, ſeu character ſubſtantiæ Patris, deſignatus fuit per poteſtatem excellentiæ, vt eſſet ſummus Sacerdos, & ſacra-menta inſtitueret, modo ſupra memorato; ita per characterem homines deſignantur, vt ritè ſacra-menta adminiſtrent, aut recipiant; hoc autem non ſufficit vt character in ſpecie figuræ conſti-tuatur, quia res non ponuntur in prædicamento, ſecundum id quod illis competit metaphoricè, ſed tantùm iuxta ea quæ de illis dicuntur pro-priè, vt docet S. Thom. 3. parte, quæſt. 63. art. 2. ad 1. Aliàs Chriſtus conſtituendus eſſet in ſpe-cie Leonis, & Agni, &c. cum hæc, & plura alia de illo dicantur metaphoricè.

Quarta aſſertio. *Character ſacramentalis perti-net ad primam qualitatis ſpeciem, quæ eſt habitus, vel diſpoſitio.* Sequitur ex dictis. Quia cum cha-racter ſit vera qualitas, neque conſtituatur in ſe-cunda, aut quarta ſpecie vt oſtenſum eſt, & ne-mo reducat eum ad tertiam, quæ eſt patibilis qualitas, aut paſſio; reliquum eſt vt ad primam illius ſpeciem, quæ eſt habitus & diſpoſitio per-tineat.

Confirmatur, nam character eſt qualitas in-delebiliter animæ impreſſa, non vt ſit principium phyſicum alicuius operationis, ſed tantùm vt per illam homo ſpecialiter ſit deſtinatus, & veluti conſignatus ad aliquid ex officio agendum, vel recipiendum, quo ipſo ſubjectum bene afficit, &

ad modum cuiuſdam diſpoſitionis permanentis, ſeu habitus: ſicut ergo ſanitas, pulchritudo, & ſimilia quibus corpus benè afficitur abſque vllo ordine ad operationem, ad primam ſpeciem qualitatis referuntur, ita character cum ſit forma benè ſubjectum in ſe afficiens,eaque permanens, ad eandem ſpeciem reduci debet.

Aduerſus hanc aſſertionem Puteanus cum aliis duo obiicit. Primò, habitus ſiue acquiſitos, ſiue infuſos intendi, & remitti; characterem autem nullo modo intendi, aut remitti; atque adeo non eſſe habitum.

Reſpondeo, characterem ex natura ſua talem eſſe vt poſſit intendi, & remitti: contingere autem vt nunquam actu intendatur,quia Deus non vult vt ſacramentum per quod producitur, quoque intendi poſſet,iteretur;hoc autem eſt per accidens reſpectu characteris,ſicut per accidens eſt quod multæ aliæ qualitates tam naturales, quam ſupernaturales actu nunquam intendantur, etſi intenſionis ſint capaces.

Secundò obiicit, omnes habitus eſſe ad vnum determinatos, characterem autem non eſſe determinatum ad vnum, quia poteſt quis illo malè vti,ſi ſacramentum ob malum finem conferat,aut benè,ſi ob ſolam Dei gloriam illud adminiſtret, & conſequenter non eſſe habitum.

Reſpondeo primò, ſicut poteſt aliquis vti charactere benè, aut malè in genere moris, de quo procedit argumentum, ita & multis aliis habitibus,qui ex ſe ſunt indifferentes, vt quis illis benè, aut malè vtatur in illo genere. Et ſic verbi cauſa poteſt quis vti ſcientia, vel ob finem prauum,

vel ob Dei gloriam; ſicut ergo hæc indifferentia non obſtat quo minus ſcientia ſit verus habitus; ita indeterminatio quam habet character, vt quis eo benè, vel male vtatur, non impedit quin in prima ſpecie qualitatis ſedem habeat.

Reſpondeo ſecundò, ſi loquamur de bonitate, & malicia in eſſe naturæ, ſeu vt aiunt, in ſuo genere: ſic neque charactere, neque vllo alio habitu quis benè, & malè vti poteſt. Nam ſi quis per habitum ſcientiæ iudicat, iudicium illud bonum eſt, ſeu rectum in ſuo genere: ſi verò iudicium ſit prauum, ſeu falſum, non procedit à ſcientia, & qui ita iudicat, ea tunc non vtitur.

Similiter qui vtitur charactere, validè ſacramentum conficit, & talis actus eſt bonus in ſuo genere, ſeu in eſſe naturæ. Si verò ſacramentum non conficit, tunc charactere non vtitur: & talis actus, qui non eſt bonus in eſſe naturæ, in characterem reduci non poteſt.

## SECTIO IV.

*In quo ſubiecto immediato ſit character.*

### SVMMARIVM.

*Character ſacramentalis nō recipitur immediatè in*

*intellectu, nec etiam in voluntate, nec in vtraque potentia, ſed in ipſa anima eſſentia.*

CHaracter actu reperitur vt in ſubjecto remoto, in omnibus illis hominibus qui recipiunt aliquod ex ſacramentis quæ characterem imprimunt. In aliis verò eſt capacitas ad recipiendum characterem, ſicut & alia dona ordinis ſupernaturalis, per potentiam obedientialem paſſiuam.

Iam quæritur in quo ſubjecto immediato ſit character. In qua re illud certum eſt, characterem eſſe ſubjectiuè in anima; cum enim ſit qualitas ſpiritualis, non niſi in ſubjecto ſpirituali eſſe poteſt vnde Concil. Florent. & Trid. vbi agunt de charactere, docēt illum imprimi in anima porro cum in anima tria ſpectari poſſint, ſubſtantia, intellectus, & voluntas illius, dubium eſt in quonam illorum immediatè character recipiatur.

Multi docent characterem immediatè recipi in intellectu. Ita S. Tho. 3. parte, quæſt. 63. art. 4. Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 4. art. 4. cum aliis Thomiſtis. Valentia diſp. 3. quæſt. 4. puncto 4. Sayrus lib. 4. de Sacramentis cap. 4. quæſt. 1. art. 2. Sylvius ad prædictum 4. art. S. Tho. Puteanus quæſt. 63. dubit. vltima & alij non pauci.

Alij in ea ſunt ſententia, vt exiſtiment characterem eſſe proximè in voluntate. Ita cum Scoto Fauentinus in 4. diſp. 6. cap. 3. & alij quidam Scotiſtæ.

Alij dicunt illum eſſe immediatè in eſſentia animæ,

animæ, quæ eſt ſententia Marſilij & Gabrielis, quorum veſtigiis inſiſtunt Suarez diſp. 11. ſect. 4. & Vaſquez diſp. 134. cap. 4.

Denique alij docent characterem eſſe in eſſentia animę, & vtraque potentia illius, quam ſententiam tribuunt Alexandro & Bonauent. Suarez, & Vaſquez locis iam proximè citatis.

Prima aſſertio. *Character ſacramentalis non recipitur proximè in intellectu.* Probatur, nam ſi quæ ratio eſt cur character in intellectu conſtitui debeat, ea eſt maximè, quia ordinatur ad actum diuini cultus, qui actus eſt quædam fidei proteſtatio, quare cum fides ſit in intellectu, idem de charactere affirmandum videtur.

Verùm hæc ratio non eſt efficax, primò, quia ex illa ſequitur characterem eſſe potius in voluntate quam in intellectu, ſiquidem cultus diuinus immediatè, & proxime procedit à virtute religionis quæ in voluntate reſidet, non autem à fide, licet ab illa dirigatur.

Secundò, quia hæc ratio ſupponit characterem ſe habere vt potentiam phyſicam, reſpectu actuum qui ad cultum diuinum ſpectant, effectiuè, & phyſicè in illos influente: at ſupra oſtendimus characterem non habere rationem potentiæ phyſicæ, ſed tantùm moralis, quatenus eſt ſignum ſpirituale quo homo deſtinatur ad cultum Dei.

Obiiciet aliquis cum Puteano loco citato, characterem à Dyoniſio vocari lumen ſpirituale; lumen autem cum iuuet intellectum in intelligendo, debet in eo recipi.

Sed ex hoc loquendi modo nihil concluditur,

quia etiam gratia habitualis, quæ non eſt in intellectu, ſed vel in eſſentia vt nobiſcum ſentit ipſe Puteanus; vel in voluntate, vt non pauci exiſtimant; non rarò à Patribus lumen appellatur.

Accedit, quòd character eatenus iuuat intellectum, quatenus qui charactere, verbi cauſa, ſacerdotali præditus eſt, intelligit ſe ex officio Euchariſtiam conficere: hoc autem non ſufficit vt dicamus characterem eſſe in intellectu; aliàs aſſerendum erit characterem militarem eſſe in intellectu, quia ad hoc iuuat, vt miles intelligat ſe certare ex officio; ad quod non tenetur qui charactere militari non eſt inſignitus.

Secunda aſſertio. *Character ſacramentalis non recipitur immediatè in voluntate.* Hæc etiam ſufficienter probabitur, ſi fundamenta quibus aduerſarij oppoſitum ſuadere conantur conuellamus.

Imprimis enim dicunt characterem eſſe diſpoſitionem ad gratiam, gratiam autem, quam non diſtingui putant à charitate, in voluntate conſtituunt; vnde conſequenter characterem in eodem ſubjecto collocandum eſſe arbitrantur.

Verùm hæc ratio duo ſupponit quæ nos falſa eſſe exiſtimamus. Primò, gratiam, & charitatem idem eſſe realiter, cuius oppoſitum oſtendimus in tract. de gratia diſp. 8. ſect. 3.

Secundò, characterem eſſe diſpoſitionem ad gratiam, quod falſum eſt, ſi de diſpoſitione phyſica intelligatur; ſi verò ſermo tantùm ſit de diſpoſitione morali, non opus eſt vt ea ſit in eo-

dem ſubiecto immediato, in quo forma ad quam diſponit recipitur, vt conſtat ex actibus fidei, ſpei, contritionis, & ſimillibus qui diſponunt moraliter ad gratiam, cum tamen illi ſint in intellectu, aut voluntate, hæc verò in ipſa ſubſtantia animæ. Vide quæ hac de re dicta ſunt in prædicto tract. de Gratia diſp. 9. ſect. 3.

Aliud argumentum aduerſariorum ex eo petitur, quia character eſt ſignum, ſeu fundamentum quo homo obligatur ad Deum, & ad cultum diuinum. Atqui obligatio ſpectat ad voluntatem, quia per actum illius homo ſe obligat; ergo character in ipſa voluntate collocandus eſt.

Reſpondet Sayrus negando conſequentiam, quia (inquit) non ſemper debet eſſe qualitas, in ſubiecto in quo eſt obligatio, ſed in eo in quo eſt actus ad quem obligamur: quare cum actus characteris ſit potius in intellectu quam in voluntate, in illo potius quam in iſta character eſſe debet.

Sed hæc reſponſio ex dictis reiicitur, quia character ordinatur ad cultum diuinum, at cultus diuinus proximè elicitur à virtute religionis, quæ eſt in voluntate, etſi dirigatur à fide, quæ eſt in intellectu; ergò potius in voluntate quàm in intellectu conſtituendus eſt.

Neque refert quod ſubdit Sayrus, characterem habere majorem conuenientiam cum fide, quam cum virtute religionis; hoc enim negari poteſt, ſaltem ſi fides, & character ſpectentur vt ſunt principia cultus diuini, quomodo hîc maximè ſpectari debent: quia eiuſmodi

actus non procedit à fide, vt à cauſa, ſed eſt tantùm quædam illius proteſtatio per exteriora ſigna: procedit autem efficienter à charactere in ſententia Sayri; Vnde ex hoc capite potiùs dicendum erit, characterem eſſe in voluntate cum virtute religionis, à qua proxime actus diuini cultus eliciuntur, quàm in intellectu cum habitu fidei.

Aliter ergo dicendum eſt ad præfatum argumentum, quòd etſi homo per characterem obligetur Chriſto, non tamen propterea rectè concluditur, illum debere eſſe in voluntate; quia ſicut milites, verbi cauſa obligantur Duci per actum voluntatis, & ſignum talis obligationis in capite, aut pectore deferunt; ita fieri poteſt vt character ſit alibi quàm in voluntate, etſi ſit ſignum quo fideles Chriſto obligantur.

Ex dictis collige primò, à veritate alienam eſſe eorum ſententiam, qui docent characterem eſſe in ſubſtantia animæ, & potentiis illius, ſeu in tota imagine Trinitatis. Cum enim oſtenſum fuerit contra priorem ſententiam, illum non eſſe in intellectu, & contra poſteriorem, non eſſe in voluntate; hinc neceſſariò ſequitur, eum eſſe non poſſe in tota imagine Trinitatis, quæ in eſſentia, & potentiis animæ conſiſtit.

Præterquam quod in probabiliori ſententia, eſſentia animæ realiter diſtinguitur à ſuis potentiis, & etiam ipſæ potentiæ inter ſe; quare ſi character in omnibus illis conſtitueretur, dicendum eſſet in ſuſceptione verbi cauſa, baptiſmi, imprimi ad minimum tres characteres reipſa diſtinctos, quod valdè abſurdum eſt.

Tertia aſſertio. *Character immediatè recipitur in*

*in ipſa ſubſtantia animæ.* Hæc ſequitur ex dictis, cum enim character ſit qualitas ſpiritualis, in anima eſſe debet, vt initio huius ſectionis aduertimus:at verò in anima tria ſunt,ſubſtãtia,& potentiæ illius, cum igitur probatum ſit characterem non eſſe in potentiis animæ, ſequitur eum in eſſentia illius collocandum eſſe.

Confirmatur, nam cum intellectus, & voluntas ſint facultates operatiuæ,in iis tantùm ponuntur habitus operatiui. Character autem non eſt habitus proprie operatiuus, cum non concurrat phyſicè ad actus diuini cultus, ſed tantùm moraraliter ex ordinatione Dei, vt ſuperiùs diximus: ergo non debet collocari in facultatibus animæ, ſed in ipſa eſſentia.

Maxime quia nullus eſt actus intellectus, aut voluntatis inter eos ad quos requiritur character, qui non habeat ſufficientia principia (ſecluſo charactere) à quibus produci poſſit.

Obiicies primo cum Puteano eſſentiam animæ cumulatiſſimè perfici per gratiam habitualem, atque adeo characterem in illa collocandum non eſſe.

Reſpondeo, eſſentiam animæ cumulatiſſimè perfici per gratiam ſanctificantem, vt peccata ab ea expellat, & hominem Deo gratum, & filium eius adoptiuum conſtituat: vt autem homo vlteriùs deſtinetur ad ſacramenta adminiſtranda, vel recipienda aut aliquod aliud munus obeundum,& ab aliis diſtinguatur,valdè congruum eſt vt præter gratiam, recipiat characterem in ipſa animæ ſubſtantia.

Obiicies ſecundò, habitus recipitur in poten-

tiis, non autem in ipſa animæ eſſentia ; in noſtra autem ſententia character eſt habitus.

Reſpondeo, duplex eſt habitus, alius operatiuus, alius non operatiuus ; prior ponitur in potentiis animæ, quia ſunt operatiuæ : poſterior verò in ipſa animæ ſubſtantia collocatur, vt de gratia ſanctificante ſentit S. Thom. & multi alij.

## SECTIO V.

*An character animæ indelebiliter inhæreat.*

### SVMMARIVM.

*De fide eſt characterem eſſe ab anima indelebilem, ſaltem quandiu homo viuit. Poſt mortem verò illius etiam remanere in anima certum eſt apud Theologos, qui tamen ſentiunt tunc in ea non eſſe poteſtatem conferendi, aut ſuſcipiendi ſacramenta.*

ILlud breuiter dicendum eſt in hac difficultate, characterem eſſe ab anima indelebilem, iuxta determinationem Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 9. quæ eſt eiuſmodi. *Si quis dixerit in tribus ſacramentis, baptiſmo ſcilicet, confirmatione, & ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, vnde ea iterari non poſſint, anathema ſit.*

Ex qua definitione colligunt Suarez 3. parte, qu. 63. ad art. 5. & Ægidius de Coninck ibid.

eſſe de fide characterem indelebiliter inhærere animæ, ſaltem quandiu homo viuit; hoc enim ſenſu docent loqui eo loco Concilium, & non de alterius vitæ tempore.

Vbi obſeruandum eſt primò, quòd etſi non ſit de fide, characterem remanere in anima etiam poſt mortem; illum tamen tunc perſeuerare eſt certũ apud grauiores Theologos, qui ideo communi ſenſu docent hominem decedentem poſt baptiſmum, ſi poſtea ſuſcitetur, verè manere baptizatum, nec nouo baptiſmo egere.

Itaque ſignum illud ſpirituale manet poſt mortem, in beatis quidem ad maiorem ipſorum gloriam, in damnatis autem ad eorum confuſionem. Ad eum modum quo militaris character remanet in militibus poſt victoriam, in victoribus ad gloriam, in victis ad pœnam, vt docet S. Doctor art. 5. citato in reſp. ad 3.

Obſeruandum eſt prætereà, quòd etſi character remaneat in anima poſt mortem, non tamen in illa remanet poteſtas conficiendi, aut recipiendi ſacramenta, quia cum hæc ſint inſtituta pro ſolis viatoribus, illiſque dumtaxat vſui eſſe poſſint, hinc fit vt prædicta poteſtas illis tantùm competat.

Si tamen aliquis, velut alter Lazarus, è mortuis eſurgeret, vt iterum moreretur, ille poſſet vti charactere qui ante obitum ipſi conceſſus fuerat, eandemque poteſtatem retineret.

Cæterùm non conſentiunt inter ſe authores, in tradenda ratione huius indelebilitatis: ſed omiſſis controuerſiis dicimus eam veram eſſe cauſam, quia ſi character deleri poſſet ab ani-

ma, hoc fieret vel defectu ſubiecti, vel defectu cauſæ conſeruantis, vel per aduentum contrariæ alicuius qualitatis: At ſubjectum in quo eſt character nempe anima, deficere non poteſt, cum ea ſit ſpiritualis, & immortalis. Deus etiam qui eſt cauſa illius conſeruans, ex pia, & ſuaui prouidentia ſtatuit nunquam ſuum concurſum ei denegare: ac tandem character non habet contrarium à quo poſſit è ſubjecto expelli. Hinc ergo fit vt character ab anima via ordinaria deleri nequeat.

Vbi nota, quòd ſicut per characterem baptiſmi homo acquirit ius ad ſuſcipienda reliqua Eccleſiæ ſacramenta, ita per eundem Eccleſia acquirit ius perpetuum in eos qui baptiſmum ſuſcipiunt, ita vt nunquam ab illius iuriſdictione ſe ſubtrahere queant, quamuis fidem abnegent, & ante rationis vſum parentum opera, aqua baptiſmali perfuſi fuerint, vt determinatum fuit in Concil. Trid. ſeſſ. 7. de Baptiſmo, can. 14.

*Finis diſputationis nonæ.*

# DISPVTATIO DECIMA.

## *De cæremonijs ſacramentorum quæ vulgò ſacramentalia appellantur.*

### Duplici ſectione complexa.

*EXplicatis ijs quæ pertinent ad naturam, cauſas, & effectus ſacramentorum in genere, ratio poſtulat vt de ritibus qui in eorum adminiſtratione ab Eccleſia obſeruari ſolent, decimam hanc diſputationem inſtituamus; Ita tamen vt hîc generalis quædam notio eiuſmodi cæremoniarum tradenda ſit dumtaxat, ea vero quæ ad ſingulorum ſacramentorum ritus pertinent in ſequentes diſputationes, ſint reijcienda. Duo igitur in præſenti diſputatione inueſtiganda occurrunt, Primò, an ſit in Eccleſia poteſtas inſtituendi ſacramentalia. Secundò an ſacramentalia habeant vim aliquam delendi peccata venialia, alioſque effectus in nobis producendi.*

# SECTIO I.

*An ſit in Eccleſia poteſtas inſtituendi ſacramentalia,*

### SVMMARIVM.

*In Eccleſia reſidet poteſtas inſtituendi ſacramentalia, & obligandi fideles ſub peccato mortali, ad certas cæremonias ab ipſa inſtitutas, in ſacramentorum adminiſtratione ſeruandas.*

LVtherus,& Caluinus in eo conſentiunt,quòd doceant in ſacramentorum adminiſtratione præter cæremonias eſſentiales ipſis ſacramentis, adhibendas eſſe alias, eas nimirum quæ in ſcriptura habent mandatum, vel exemplum: & Eccleſiá poſſe ſtatuere modum quo eiuſmodi cæremoniæ obſeruandæ ſunt, vt vitetur confuſio.

Addit Caluinus, Eccleſiam non habere poteſtatem nouos alios ritus inſtituendi, cuius oppoſitum docet Lutherus de quibuſdam cæremonijs pertinentibus ad eruditionem,ſplendorem,& ordinem Eccleſiæ; dũmodo fideles non teneantur ſub peccato eas obſeruare, neque eas obſeruent ex intentione cultus, & religionis, ſed tantùm ob humanam quandam politiam.

Prima aſſertio. *In Eccleſia reſidet poteſtas inſtituendi ſacramentalia.* Vt hoc clariùs intelligas,nota in ſacramentis duo genera cæremoniarum repe-

riri, aliæ enim pertinent ad ipſam ſubſtantiam ſacramentorũ, quales ſunt verbi cauſa, in baptiſmo ablutio, cum prolatione horum verborum, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, & ſimiles.

Aliæ verò non pertinent ad ſubſtantiam ſacramentorum, ſed illis tantùm adiunguntur, vt cum maiori reuerentia adminiſtrentur, & ſuſcipiantur. Et huius poſterioris generis cæremoniæ, ſacramentalia à Theologis interdũ appellantur, quamuis aliàs hoc nomen extendatur ad multos alios ritus, qui ſimilitudinem aliquam habent cum ijs qui in ſacramentis vſurpantur.

Porro ex ijs quæ diſp. 4. huius partis dicta ſunt de cauſa efficiente ſacramentorum, ſatis perſpicuum relinquitur, cæremonias prioris generis ab Eccleſia non poſſe inſtitui; quare aſſertio tantùm intelligenda eſt de poſterioribus.

Probari autem poteſt authoritate Concil. Trid. quod ſeſſ. 21. cap. 2. ita ſcribit. *Præterea declarat hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in ſacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret.*

Et ibidem, hanc poteſtatem in Eccleſia viguiſſe confirmat verbis illis Apoſtoli. 1. ad Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Et Paulum ea vſum colligit ex cap. 11. eiuſdem epiſt. vbi Paulus nonnullis ordinatis circa vſum Euchariſtiæ, *Cætera* (inquit) *cum venero diſponam.*

Google

Secudò, idem probatur ex vſu Eccleſiæ. Legimus enim actor. 15. Apoſtolos in Concilio congregatos, præcepiſſe vt gentiles à ſanguine, & ſuffocato abſtinerent; quæ ſanè noua erat cæremonia reſpectu gentilium, quibus nunquã Deus ſimilem abſtinentiam indixerat; ſed ſolis Iudæis, qui poſt Chriſti mortem ab ea lege liberi erant.

Teſtatur etiam Auguſt. Epiſt. 118. inter alios ritus quos Apoſtoli inſtituerunt, vnum eſſe, vt homines ad ſacramentum Euchariſtiæ ieiuni accedant, & de hoc fuiſſe locutum Paulum cum loco citato dixit, *cætera cum venero diſponam*. Quibus verbis promiſit ſe traditurum modum quo ſumenda eſſet Euchariſtia.

Denique ex Iure Canonico & Concil. Voluminibus apertum eſt multa à ſummis Pontificibus, & Concilijs circa ſacramentorum ritus ordinata, & immutata fuiſſe. Quod certiſſimo argumento eſt, poteſtatem ſacramentalia inſtituendi, à Chriſto Eccleſiæ conceſſam fuiſſe.

Tertiò, idem ratione oſtenditur. Nam cum ſummus Pontifex habeat poteſtatem gubernandi Eccleſiam conuenienti modo, nulla ratione ipſi deneganda eſt facultas inſtituendi ſacramentalia, quæ ad digniorem, & conuenientiorem ſacramentorum adminiſtrationem non leuiter conducunt. Maximè cum Chriſtus paucas eiuſmodi cæremonias per ſe ipſum inſtituerit, vt teſtis eſt Auguſt. epiſt. ante citata: vbi aduertit, ideo Chriſtum non præcepiſſe quo ordine ſumẽda eſſet Euchariſtia, vt Apoſtolis per quos Eccleſiam diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum. Quod ſimiliter de multis alijs cæremonijs affirmandũ eſt.

Adde, quòd Eccleſia Chriſti non minorem habet virtutem, & poteſtatem quam ſynagoga Iudæorum, hæc autem plures ritus inſtituit, vt conſtat ex libris Eſther, Iudith, & Machabeorum, in quibus fit mentio quorundam feſtorum, quæ ab Hebræis inſtituta fuerunt.

Imo priuati homines interdum cæremonias inſtituerunt, vt patet ex Geneſ. 28. vbi Iacob erexit lapidem in titulum fundens oleum deſuper, & vocauit nomen loci illius Bethel, in memoriam viſionis quam ibi habuerat. Si ergo eiuſmodi poteſtas conceſſa fuit ſynagogæ, & nonnullis priuatis hominibus, quo iure denegabimus illam Eccleſiæ Chriſti, & ſummis Pontificibus qui eam gubernant?

Secunda aſſertio. *Eccleſia habet poteſtatem obligandi fideles, ad certas caremonias ab ipſa inſtitutas, in ſacramentorum adminiſtranione ſeruandas, ita vt grauiter peccet miniſter qui data opera, ſine vlla neceſſitate eiuſmodi caremonias prætermittit.* Hæc aſſertio imprimis apertè ſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 13. de Sacramentis in genere, quod ita habet. *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſia Catholica ritus, in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos; aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Eccleſia paſtorem mutari poſſe; anathema ſit.*

Poteſt etiam prædicta aſſertio comprobari, ex eo quòd in Eccleſia eſt poteſtas condendi leges quæ obligent ſub mortali, vt ſufficienter oſtendi poteſt ex nonnullis locis ſcripturæ, Matth. 18. *Si autem Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut ethnicus,*

*& Publicanus*. Luc. 10. *qui vos ſpernit me ſpernit.* Actor 15. *viſũ eſt ſpiritui ſancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quã hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos, &c.* 1. ad Theſſal. 4. *Scitis quæ præcepta dederim vobis*, & poſtea, *Itaque qui hæc ſpernit non hominem ſpernit, ſed Deum.* Si ergo Eccleſia habet hanc poteſtatem, non dubium eſt quin poſſit obligare miniſtros ſacramentorum, ad certos ritus obſeruandos; atque adeo quin ipſi miniſtri grauiter peccent ritus illos contemnendo, aut abſque neceſſitate prætermittendo.

Obijcies primò, Iſaiæ 29. Deum conqueri quod Iudæi eum timuerint, ſeu coluerint mandato hominum; & doctrinis; ex quo videtur colligi, non poſſe homines obligari in conſcientia ad ſeruandos ritus à varijs Pontificibus inſtitutos: imo quòd magis eſt, eiuſmodi rituum obſeruantiam, aut malam, aut nullius eſſe meriti apud Deum.

Reſpondeo, hunc locum minimè fauere nouatoribus; ideo enim reprehenduntur Iudæi, quòd Deum coluerint, non iuxta id quod ab illo præceptum erat, ſed iuxta ſcribarum traditiones, aut futiles, aut diuinæ legi contrarias. Quod Chriſtus ipſis exprobrans Matth. 15. *Quare* (inquit) *& vos tranſgredimini mandatum Dei, propter traditionem veſtram?* Et Marci 7. *Bene* (inquit) *irritum facitis præceptum Dei propter traditionem veſtram.* Quod ideo Chriſtus dixit, quia iuxta doctrinam ſcribarum, filij Iudæorum dabant ſacerdotibus quæ parentibus egenis erant neceſſaria; quod omnino contrarium erat

mandato diuino, de parentibus honorandis.

Illa igitur ab Iſaia vocantur mandata hominum, quæ proprio hominum ingenio inuenta ſunt, & principijs noſtræ fidei repugnant. Præcepta autem ab Eccleſia impoſita, non ſunt merè humana, cum Deo inſpirante data ſint, vt conſtat ex 1. ad Cor. 14. vbi poſtquam Paulus multa inſtituit circa ordinem prophetandi, loquendi, addit, *ſi quis Propheta, aut ſpiritualis eſt, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata.* Ex quo patet eum vocare mandata Domini, quæ Deo inſpirante impoſita fuerant; quæ proinde non poſſunt non eſſe valde vtilia.

Obijcies ſecundò, Apoſtolum vbique libertatem Chriſtianam prædicare, & maximè cap. 5. epiſt. ad Galat. quo loco nulla ratione patitur, vt fidelium conſcientiæ in ſeruitutem redigantur: quod tamen contingeret, ſi eccleſia poſſet inſtituere ritus obligantes in conſcientia.

Reſpondeo, locum illum peſſima fide citari à nouatoribus: Paulus enim eo cap. 5. pergit vrgere Galatas, qui è gentiliſmo ad Chriſtianiſmum tranſierant, vt firmi, & conſtantes perſeuerent in fide Chriſti, quam in baptiſmo profeſſi ſunt; & iugum legis Moſaïcæ non admittant, ne priuentur fructu paſſionis,& redemptionis Chriſti, in quo nec circunciſionem, nec præputium, ſed fidem charitate formatam quidquam prodeſſe monet.

Poſtea verò vocat illos ad libertatem Chriſtianam,quæ in eo conſiſtit,quòd homines per Chriſtum liberati ſint à ſeruitute, ea quidem inutili,

& multùm oneroſa cæremoniarum legis Moſaïcæ, non autem ab obedientia Principum ſæcularium, & Prælatorum Eccleſiæ, atque ab omni lege poſitiua, vt garriunt hæretici; eiuſmodi enim libertas eſt turpiſſima, & honeſtati morum, ac rectæ rationi repugnat; atque adeo valdè aliena à mente Pauli, qui vbique ſedulò inculcat, obediendum eſſe ſuperioribus ſiue Eccleſiaſticis, ſiue ſæcularibus. Vnde cap. 13. epiſt. ad Roman. Docet non eſſe poteſtatem niſi à Deo, eumque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtere, & ſibi damnationem acquirere, & parendum eſſe ex néceſſitate, non tantùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Quæ omnia generatim dicta ſunt de omni poteſtate, ſiue ea ſæcularis ſit, ſiue Eccleſiaſtica; quamuis ab Apoſtolo applicentur in particulari ad poteſtatem ſæcularem.

Idem etiam agens de ſuperioribus Eccleſiaſticis cap. 13. epiſt. ad Hæbreos. *Obedite* (inquit) *præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Similia habet ſæpe aliàs; ex quibus euidenter colligitur, poſſe à ſupperioribus condi leges quæ ſubditos obligent in conſcientia, hancque obligationem nullatenus Chriſtianæ libertati officere.

Obijcies tertiò, Auguſt. epiſt. 119. conqueri quod multitudine cæremoniarum Eccleſiam aliqui ita onerauerint, vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum. Hoc argumento poſt Caluinum vtitur Petrus Molinæus lib. 2. de vocat. Paſtorum tract. 2. cap. 1.

R. P. D.

R. P. D. Ioannes à ſancto Franciſco congregationis noſtræ ſuperior generalis meritiſſimus, pag. 579. doctiſſimæ illius reſponſionis quam aduerſus prædictum librum edidit, iure Molinæum impudentiæ arguit, quòd Auguſtini verba ad ſuam hæreſim comprobandam, à vero, & germano ſenſu detorqueat. Perſpicuum enim eſt Auguſt. epiſt. illa 119. & 118. ſedulò inculcare, ſeruandas eſſe cæremonias illas quæ à Chriſto, aut ab Apoſtolis vel à Concilijs Epiſcoporum inſtitutæ fuerunt; vel etiam quæ longa conſuetudine ab vniuerſali Eccleſia approbantur. Eà verò ſolùm reſecanda exiſtimat, quæ neque ſanctarum ſcripturarum authoritatibus continentur, nec in Concilijs Epiſcoporum ſtatuta inueniuntur, nec conſuetudine vniuerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diuerſorum locorum, diuerſis moribus innumerabiliter variantur; ita vt vix, aut omnino nunquam inueniri poſſint cauſæ, quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt. Vides Auguſtinum his verbis exiſtimare ſuperfluas, eas tantùm cæremonias locales, quæ à priuatis hominibus inſtituuntur, neque ab Eccleſia approbantur, cuiuſmodi non ſunt illæ quibus in ſacramentorum adminiſtratione vtimur; vt nimis clarum eſt.

## SECTIO II.

*An ſacramentalia habeant vim aliquam delendi peccata venialia, alioſque effectus in nobis producendi.*

### SVMMARIVM.

*Sacramentalia non habent vim delendi peccata venialia ex opere operato, ſed ex opere operantis dumtaxat. Item non excitant in nobis aliquos motus ſupernaturales, niſi per modum impetrationis & obiecti: ac tandem eorum nonnulla habent vim moralem expellendi Dæmones.*

VT hoc clariùs intelligas, aduerte primò multa à Theologis numerari ſacramentalia, quæ ferè hoc verſiculo continentur.

*Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.* Per primum verbum intelligitur oratio dominica prout in Eccleſia publicè recitatur. Per ſecundum aqua luſtralis; per tertium panis benedictus qui diebus dominicis in Eccleſijs dari ſolet; per quartum confeſſio illa generalis, quæ fit extra ſacramentum, & ab Eccleſia tum in Miſſa, tnm ad primam, & completorium vſurpatur: per quintum intelligitur eleemoſinæ diſtributio; per ſextum benedictio Epiſcopi, vel Abbatis conſecrati.

Aduerte ſecundò, præter hæc ſacramenta-

lia quædam alia à nonnullis numerari, nimirum orationem quæ fit in Eccleſia conſecrata, tunſionem pectoris, vnctionem ſacramentalem, &c.

Verùm hæc ad priora facilè reduci poſſunt, primum quidem ad orationem; ſecundum ad confeſſionem in qua tunditur pectus; tertium verò ſumptum pro vnctione cæremoniali minus principali, & accidentaria, ad tinctionem. Quòd ſi ſumatur pro vnctione ſacra, quæ eſt eſſentialis nonnullis ſacramentis, ea non eſt ſacramentale, ſed ſacramentum propriè dictum. Et ita de alijs.

His poſitis prior aſſertio ſit. *Sacramentalia non habent vim delendi peccata venialia ex opere operato.* Ratio eſt, quia cum ſacramentalia non ſint inſtituta à Chriſto, ſed ab Eccleſia, totam vim ſuam habent ab Eccleſia, non à Chriſto: Eccleſia autem nunquam ſacramentalia inſtituit in eum finem, vt per ſe, & ex opere operato peccata venialia delerent; ergo verum eſt ſacramentalibus eiuſmodi virtutem non competere.

Reliqua perſpicua ſunt, minor dumtaxat probanda eſt diſcurrendo per omnia, aut ſaltem per præcipua ſacramentalia ex numeratis in dicto verſiculo. Imprimis enim ſi quę ratio eſt, cur exiſtimare debeamus aquam luſtralem habere vim delēdi ex opere operato peccata venialia, ea eſt, quia in illius benedictione petitur vt ſit in sāctificationem, hoc autem ex eiuſmodi verbis non conuincitur, imo potius oppoſitum, nam verbum ſanctificandi non minus extenditur ad ſanctificationem à peccatis mortalibus, quam ad remiſſio-

nem venialium : ſicut ergo ob prædicta verba, nemo cogitabit aquam benedictam habere vim delendi ex opere operato, peccata lethalia, ita nec ex iiſdem colligi debet, eam per ſe venialia delere poſſe : ſed talis effectus referri debet in orationem Eccleſiæ, quæ aquam benedicens, eatenus petit à Deo vt ſit in ſanctificationem, quatenus ab eo poſtulat, vt aqua luſtrali vtentibus immittere dignetur auxilia ſupernaturalia, quibus excitentur ad actum contritionis, vel amoris Dei ſuper omnia, & tandem gratiam remiſſionis peccatorum ex opere operantis conſequantur.

Deinde, quod etiam panis benedictus ab Eccleſia non ſit inſtitutus ad delenda per ſe peccata venialia, hinc patet, quia initio dabatur tantùm catechumenis, loco Euchariſtiæ cuius non erant capaces; conſtat autem catechumenis non potuiſſe remitti peccata venialia, ob defectum baptiſmi.

Porro deficiente ea conſuetudine, qua fideles diebus dominicis ad Euchariſtiam accedere ſolebant, factum eſt vt ipſis, iiſdem diebus porrigeretur panis ille benedictus, non quidem vt eorum peccata venialia deleret, nullum enim extat veſtigium talis inſtitutionis, ſed vt eſſet ſignum Euchariſtiæ, eiſque in memoriam reuocaret feruorem præteritum, quo ad tantum ſacramentum accedere ſolebant.

Rurſus, quod affertur ex Iure Canonico ad probandum confeſſionem generalem eſſe

inſtitutam ad prædictum effectum, nullius eſt ponderis: citatur enim ex diſt. 3. de pœnit. Canon. *De Quotidianis*, in quo nulla ſit mentio confeſſionis generalis, ſed tantùm orationis dominicæ, cui tribuitur aliqua vis, non ſolùm circa venialia, ſed etiam circa mortalia. Quod manifeſto indicio eſt, id non debere intelligi de efficacia ex opere operato, ſed per modum imperantis auxilia quibus homo ad gratiam ſe diſponere valeat.

Idem autem dicendum eſt de confeſſione generali, quæ ſi iuncta ſit cum interno actu veræ pœnitentiæ, qua homo peccata deteſtetur, delere poterit culpas veniales, non ex opere operato, ſed ex diſpoſitione operantis.

Denique, vt reliqua præteream benedictio Epiſcopi non tollit ex ſe culpam venialem, ſed ad ſummum adiunctam habet quandam indulgentiam, qua remittitur pœna debita culpæ antea remiſſæ.

Neque refert, quòd Leuit. 6. promiſerit Deus ſacerdotibus veteris legis, vt qui ab ipſis benedicerentur forent benedicti; hoc enim intelligitur de benedictione quadam legali, & externa qua homo purificaretur ab immundicia externa, non autem à culpa interna, quod multò operoſius eſt.

Ex his liquidò conſtat, ſacramentalia non eſſe ab Eccleſia inſtituta, vt ex opere operato culpas veniales deleant. Quod etiam ea ratione confirmatur, quia probabilius eſt Eccleſiæ non ineſſe poteſtatem ad inſtituenda ſigna quædam externa, quæ ex vi inſtitutionis, ſeu ex

opere operato habeant virtutem delendi peccata venialia. Si quidem ex verbis illi Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, ſolùm colligitur Eccleſiam habere poteſtatem remittendi peccata in ſacramento pœnitentiæ. Illa autem Math. 16. *Quæcunque ſolueritis ſuper terram, &c.* non ſolùm intelliguntur de remiſſione peccatorum per ſacramentum pœnitentiæ, ſed etiam de poteſtate quam habet Eccleſia remittendi per indulgentias, pœnas culpis iam remiſſis debitas: item ligandi, & ſoluendi per excommunicationem, & alias cenſuras; Nullus autem locus extat in tota ſcriptura, qui indicet Eccleſiæ datam eſſe poteſtatem inſtituendi ſacramentalia, quæ habeant vim prædictam remittendi peccata venialia. Ergo ſignum eſt eam ipſi non eſſe conceſſam. Maximè cum ex traditione, aut graui aliqua ratione non conſtet de oppoſito.

Poſterior aſſertio. *Sacramentalia habent vim delendi peccata venialia ex opere operantis.* Sequitur ex dictis, nam ex omnium conſenſu, ſacramentalia habent aliquam vim remittendi peccata venialia, vel ergo illam habent ex opere operato, vel ex opere operantis, ſeu quatenus excitant in nobis pium aliquem motum, & diſplicentiam de peccatis, ſiue formalem, ſiue virtualem: prius dici non poteſt vt probatum eſt, ergo poſterius verum eſſe neceſſe eſt.

Confirmatur, nam modus ille operandi valde conformis eſt ſacramentalium inſtitutioni ſeu

conſecrationi, quæ non fit verbis, aſſertiuis, quibus abſolutè futura remiſſio peccatorum, aut piorum motuum excitatio ſignificetur, ſed verbis deprecatorijs, quibus Eccleſia precatur nobis pios motus, quibus diſponamur ad obtinendam à diuina miſericordia peccatorum noſtrorum veniam. Et hæc oratio Eccleſiæ etſi interdum ſit imperatoria,non tamen ſemper, & infallibiliter effectum ſuum conſequitur, ſed ſolùm quando id Deus expedire iudicat; quia videlicet effectus ille non fundatur in ſpeciali aliqua promiſſione Dei, ſed in communi lege de efficacia orationis, quam certum eſt non ſemper exaudiri.

Denique, inter ſacramentalia numerari ſolent actus quarundam virtutum, nimirum eleemoſina, tunſio pectoris, & ſimiles: conſtat autem apud omnes, eiuſmodi actus habere vim remittendi peccata venialia, ſaltem ex opere operantis, quatenus ratione deteſtationis, aut aliorum piorum motuum quos continent, hominem diſponunt ad remiſſionē peccatorum à Deo impetrandam: ergo idem de ſacramentalibus ſtatuendum eſt.

Aduerſus has aſſertiones obijciet aliquis cum Gregor. de Valen. tomo 4. diſp. 7. quæſt. 4. puncto 1. noſtram ſententiam non ſatis congruere cum exiſtimatione quā habent fideles de vſu ſacramentalium, arbitrantur enim ſe,quotieſcunque vſurpant aquam benedictam reuerenter, remiſſionem venialium conſequi, quamuis in illis tunc nullus excitetur motus, qui citra eiuſmodi aquæ vſum valeat ad illam remiſſionem.

Reſpondeo,non multum curandum eſſe,quæ-

nam ſit hac in re aut alijs ſimilibus exiſtimatio vulgi, cum ea ab Eccleſia non approbetur, neque à peritioribus Theologis ſed tantùm à paucis Doctoribus, quorum ſententia hac in parte nullo firmo fundamento innititur, vt ſatis oſtenſum eſt.

Dices præterea cum eodem authore, imaginem Crucifixi, lectionem ſcripturæ, & alia huiuſmodi aptiora eſſe ad pios motus excitandos, quàm ſacramentalia; atque adeo illis potius tribuendam eſſe vim dimittendi peccata venialia quam ſacramentalibus; quod tamen à communi ſenſu fidelium abhorret.

Reſpondent nonnulli, prædicta excitare interdum motus aliquos, & affectus pios qui ſunt ordinis naturalis, ſacramentalia verò ex meritis Eccleſiæ, quæ eorum vſu nobis applicantur, excitare in nobis motus pios ſupernaturales, nimirum impetrando auxilia ſupernaturalia, quibus prædicti motus in nobis producuntur. Cum autem peccata venialia non poſſint remitti abſque motu aliquo ordinis ſupernaturalis, vt tanquam certum ſupponitur ex dicendis in materia de pœnitentia, fit vt vis illa remittendi venialia ſpecialiter tribuatur ſacramentalibus, non autem imaginibus, lectioni ſcripturæ, alijſque eius generis.

Sed hæc reſponſio non eſt ſatis plena, procedit enim tantùm de ijs ſacramentalibus, quæ per orationes Eccleſiæ benedicuntur, & ad remiſſionem peccatorum ſpecialiter deputantur, qualis eſt verbi cauſa aqua luſtralis, in cuius benedictione petitur vt ſit ſalus mentis,

& corporis, & vt præſentia Sancti Spiritus adeſſe dignetur,&c. Sunt autem alia ſacramentalia quæ non benedicuntur per orationem aliquam Eccleſiæ; alia quæ benedicuntur quidem, ſed benedictio illa non ordinatur ad remiſſionem peccatorum venialium, vt patet verbi cauſa, ex benedictione veſtium ſacerdotalium quæ etiam inter ſacramentalia collocari ſolent.

Hæc igitur non habent vim vllam applicandi orationes, ſeu merita Eccleſiæ ad impetrandam remiſſionem peccatorum venialium, ſed ex ſe ſecluſo gratiæ auxilio, habent tantùm virtutem aliquam excitandi quoſdam motus reuerentiæ erga Deum, & res ſacras; aut deteſtationis naturalis peccatorum; qui motus cum ſint valdè imperfecti & ordinis tantùm naturalis, non magis apti ſunt ad tollendas culpas leuiores, quam motus excitati ab imagine Crucifixi, aut à ſacra lectione, qui etiam ſunt tantùm naturales niſi gratia concurrat, vt præter alios obſeruat Coninck quæſt.71.art.3.dub.vnico,nu.23.

Propter hanc rationem, quæ meo iudicio efficax eſt, addi poteſt prædictæ reſponſioni, triplicem eſſe titulum ob quem res nonnullæ ponuntur inter remedia peccatorum venialium.

Primus eſt, quia habent vim aliquam impetrãdi remiſſionem venialium ex meritis Eccleſiæ, quæ ſuo vſu moraliter applicant, qualia ſunt illa tantùm, quorum ſit mentio in allata reſponſione.

Secundus eſt, quia licet non habeant vim impetrandi prædictum effectum ex orationibus Eccleſiæ, habent illam alia ratione, nimirum ex

diuina promiſſione quæ his, aut illis actionibus facta eſt. Et ea eſt ratio, cur largitio eleemoſinæ dicatur habere ſpecialem quandam vim ad remiſſionem peccatorum, quia ſæpe in Scriptura illi promittitur eiuſmodi effectus.

Tertius eſt, quia etſi non habeant vim impetrandi prædictum effectum, ſiue ex meritis Eccleſiæ, ſiue ob ſpecialem Dei promiſſionem, ex genere ſuo, & modo quo fiunt continent aliquam deteſtationem peccatorum, vt patet, verbi cauſa in Confeſſione, Tunſione pectoris, &c. Et ita dicuntur habere quandam efficaciam ad illa delenda.

Sed ſanè nondum perfectè quieſcit animus; nam imprimis quædam ſunt ſacramentalia, quæ nullo ex prædictis modis habent vim delendi peccata venialia, vt conſtat ex benedictione Epiſcopi, quæ non habet, ſiue ex orationibus Eccleſiæ, ſiue ex ſpeciali Dei promiſſione vim impetrandi remiſſionem venialium; neque etiam ex ſuo genere adiunctam habet deteſtationem peccatorum. Quod ſimiliter dici poteſt de ipſa confeſſione generali, quæ ſæpiſſimè dicitur abſque vllo motu, vel ſenſu pœnitentiæ.

Deinde licet illis concedamus vim quandam excitandi motus pios reuerentiæ erga Deum, qui aliquo modo virtualiter contineant diſplicentiam peccatorum, non propterea dicendum erit ea ſpecialem vim habere ad hominem purgandum à culpis venialibus; aut ſi hoc dicitur, æquo, aut certè potiori iure fatendum erit concionem ſacram, aut imaginem Chriſti Cruci affixi, quibus ſæpiſſimè excitantur motus reuerentiæ

ergà Deum, & pœnitentiæ peccatorum, locum habere inter hæc remedia.

Reſpondeo igitur ad obiectionem allatam ex Gregor.de Valentia, verum eſſe ea quæ ab ipſo in medium proferuntur, non minorem habere vim excitandi pios motus, quam plurima ſacramentalia; & conſequenter æque apta, aut aptiora eſſe ex ſe ad purganda peccata venialia. Quod nemini nouum videri debet, cum prædictorum remediorum numerus nulla Scripturæ, Eccleſiæ, SS. Patrum, aut Theologorum authoritate ſit definitus; & alij plura, alij pauciora admittant iuxta varias rationes quibus mouentur, vt conſtat ex dictis.

Quæret hic aliquis, an quædam ſacramentalia habeant vim excitandi in nobis infallibiliter ex opere operato, motus aliquos ſupernaturales gratiæ actualis.

Reſpondeo negatiuè, & ratio eſt, quia ſicut gratia habitualis eſt proprius effectus Dei, ita & actualis: ſicut igitur Eccleſia non poteſt inſtituere ſignum aliquod externum cuius vſu, vel applicatione infallibiliter conferatur gratia habitualis ex opere operato, ita nec ſignum in quo eo modo detur gratia actualis, ſed pertinet ad Deum ſolum illam ſub tali, vel tali ſigno infallibiliter promittere,& conferre.

Confirmatur, nam ſi ſacramentalia habent vim excitandi in nobis per ſe ex opere operato, motus ſupernaturales gratiæ, eiuſmodi virtus debet fundari in promiſſione diuina, qua ſcilicet Deus ſe ſponte obligauerit, ad conferendum infallibiliter talem effectum in vſu ſacra-

mentalium: nullibi autem, ſiue in Scripturis, ſiue in Iure Canonico, ſiue in Patribus extat eiuſmodi promiſſio; ergo gratis aſſeritur ſacramentalia habere vim ex opere operato, ad excitandos in nobis motus gratiæ actualis.

Reſtat igitur vt dicamus, ſacramentalia habere vim nobis obtinendi gratias actuales per modum impetrationis, quatenus habent vim aliquam moralem applicandi merita Eccleſiæ, quorum intuitu effectus ille interdum obtinetur.

Quod vt liquet, intelligitur de iis dumtaxat ſacramentalibus, quæ per conſecrationem ſpecialiter ab Eccleſia ad talem effectum ordinantur. Cætera verò quæ eo modo non benedicuntur, habent tantùm naturalem quandam vim ad excitandos, per modum obiecti, motus aliquos naturales, vt ſatis patet ex iis quæ hactenus dicta ſunt.

Sciſcitaberis rurſus, an quædam ſacramentalia habeant vim fugandi Dæmones. Reſpondeo affirmatiuè, vt conſtat ex traditione, & praxi Eccleſiæ.

Dubium eſt autem qualis ſit eiuſmodi virtus, cui reſpondetur primò eam non eſſe ordinis naturalis vt nonnulli ſomniarunt, ſacramentalia enim cum ſint res quædam corporeæ, non poſſunt habere vim vllam naturalem ad agendum in Dæmones, quorum ſubſtantia eſt ſpiritualis.

Reſpondeo ſecundò, actionem qua Dæmones expelluntur, non eſſe phyſicam, ſed moralem; eiiciuntur enim per orationes, & varia ſigna ſacra quæ ſicut nullam habent in ſe virtutem phyſicam ad talem effectum, ita per actionem phyſicam

eum non producunt, ſed tantùm per actionem moralem,quatenus Dæmones percipientes ſigna quæ ad eorum expulſionem adhibentur, coguntur è corporibus exire, ac ſi vi aliqua externa adhibita ab illis eiicerentur.

Reſpondeo tertiò, multa poſſe conducere ad hanc efficaciam moralem ſacramentalium,imprimis orationem,& ſanctitatem miniſtri: etſi enim hæc cauſa non ſit ſufficiens, aut neceſſaria ad compeſcendos Dæmones,nonnihil tamen ad hoc conferre poteſt, vt probat exemplum Raguelis, qui dicebat Tobiæ 7.*Non dubito quod Deus preces & lachrymas meas in conſpectu ſuo admiſerit*, vt ſcilicet abigeretur Dæmon ille qui ſeptem viros Saræ necauerat.

Secundò, & magis ad hoc conferunt orationes Eccleſiæ;ſicut enim effectus Sacramentorum à Chriſto maximè pendet, quia miniſter nomine illius ea adminiſtrat:ita vis qua ſacramentalia fugant Dæmones, pendet ex meritis, & ſanctitate Eccleſiæ cuius perſonam ſuſtinet miniſter: vnde ſicut orationibus Eccleſiæ fit vt peccata venialia deleantur, aut motus gratiæ excitentur in nobis per modum impetrationis, ita precibus eiuſdem, expulſio Dæmonum è corporibus obſeſſis à Deo impetratur.

Tertiò, Eccleſia expellit Dæmones non ſolùm orationibus, & per modum impetrationis, ſed etiam per modum imperij;quatenus poteſtate ipſi à Deo conceſſa,Luc. 10.calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, ita vt Dæmonia ei ſubiiciantur,iubet Dæmones è corporibus exire, vt patet ex forma exorciſmo-

rum quibus Eccleſia vti conſueuit.

Quartò denique, ad expellendos Dæmones ſignúm crucis, & inuocatio nominis Ieſu plurimum confert, vt docent omnes Patres. Vnus ſufficiat nobis Athanaſius, qui in lib. de Incarnat. & ſalutari aduentu Domini, *Veniat* (inquit) *qui iſtorum dictorum experimentum capere velit, & in ipſis præſtigijs Dæmonum, & impoſturis vaticiniorum, & in miraculis Magiæ, vtatur ſigno Crucis ab ipſis deriſo, nomenque Chriſti inuocet, & videbit quomodo eius rei metu Dæmones fugiant, vaticinia conquieſcant, magiæ & veneficia taceant.* Taceamus & nos parumper, & primæ huic parti de Sacramentis Eccleſiæ, ad maiorem Ieſu Chriſti Sacramentorum authoris gloriam, finem imponamus.

*Finis diſputationis decimæ, atque adeò primæ partis huiuſce tractatus de Sacramentis Eccleſiæ.*

# DOCTRINÆ DE SACRAMENTIS IN COMMVNI.

*COMPENDIVM ABSOLVTIſſimum, in modum Indicis Alphabetici concinnatum.*

Vbi numerus paginam indicat.

## A

### ADVLTVS.

*QVamuis adultus accedens ad ſacramentum cum vera contritione, gratiam ſanctificantem aſſequatur, eſto ſacramentum non perficiatur; non tamen acquirit gradum illum gratiæ qui datur ex vi ipſius ſacramenti, ſeu ex opere operato.* 197

*Baptiſmus in re ſuſceptus, vel ſaltem in voto, ſi realiter haberi non poſſit, eſt medium neceſſarium adultis ad primam gratiam aſſequendam.* 119

*Baptiſmus re ſuſceptus, eſt adultis neceſſarius, et-*

Digitized by Google

*iam neceſſitate præcepti, ita vt etſi per contritionem ſint iuſtificati, realiter baptizari debeant ſi poſſint vt conſequantur beatitudinem.* 119

*In articulo mortis, licet adulto baptiſmum petere à Miniſtro non tolerato ſi alius deſit, neque communicatio cum tali Miniſtro vergat in perniciem ſuſcipientis, vel aliorum qui adſtant. Eccleſia enim quæ eſt pia mater hoc ita permittit, propter periculum quod aliàs ſaluti fidelium immineret.* 254

*Adultus in mortis articulo conſtitutus, tenetur baptiſmum petere à Miniſtro non tolerato (ſi alius deficiat) quia datur præceptum de eo realiter ſuſcipiendo: nec ſufficit baptiſmus flaminis quando alter haberi poteſt.* 256

## AMENTES.

*Qui poſt rationis vſum in amentiam inciderunt, inualidè ſacramentum ſuſcipiunt: niſi dum ratione potirentur, illud aliquo modo ſuſcipere voluerint. Aut ſi tunc habuerint voluntatem nunquam recipiendi ſacramentum: neque illam poſtea retractarunt.* 231

## ANGELVS BONVS.

*Si Angelus bonus ſacramentum adminiſtraret, illud pro rato habendum eſſet, quia talis Angelus non niſi ex iuſſu Dei ſacramentum conficeret. Hinc Amphilochius apud Nicephorum in Epiſcopum à bono Angelo validè conſecratus fuit.* 145

## ANIMA.

*Anima beata etiamſi corpus aereum aut aliud eiuſmodi aſſumeret; non eſſet Miniſter ordinarius ſacramentorum: quia ex illa & tali corpore non reſultaret verus homo.* 147

## ATHANASIVS.

*Baptiſmus ab Athanaſio, dum puer eſſet, ioco collatus*

*tus validus, quia ipſe intendebat facere quod videat Epiſcopum Alexandrinum facientem, eſto id fecerit cum leui aliqua recreatione animi.* 176

## ATTRITIO.

*Ad gratiam per ſacramentum comparandam, non ſufficit dolor de peccatis ex motiuo aliquo humano, vel naturali ortus. Quia cum gratia ſit ſupernaturalis, non niſi per diſpoſitionem eiuſdem ordinis haberi poteſt.* 238

*Etſi attritio ſupernaturalis per ſe extra ſacramentum, ad hominem iuſtificandum non ſufficiat; eſt tamen ſufficiens diſpoſitio ad primam gratiam ſacramentis obtinendam, vt habetur in Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4.* 239

*Attritio ſupernaturalis etiam cognita talis, eſt diſpoſitio ſufficiens ad primam gratiam ſacramentis mortuorum aſſequendam. Neque opus eſt vt qui ad ea accedit, putet ſe eſſe contritum: aliàs non poſſet illa ſumere cum animo conſequendi effectum ad quem ſunt inſtituta.* 241

*Si quis bona fide ad ſacramenta viuorum accedens cum peccato mortali, cuius conſcientiam non habet, verè ſit attritus; talis diſpoſitio ſufficiet vt gratiam recipiat, ſumptione eiuſmodi ſacramentorum.* 240
vide v. ſuſcipiens.

## AVGVSTINVS.

*Ideo dixit Auguſtinus ſe dubitare an ſacramentum iocosè collatum eſſet validum, quia nondum in aliquo Concilio Regionali, aut plenario definitum erat, an baptiſmus ſine intentione collatus valeret, vt ipſemet aſſerit.* 172

*Dum etiam ait ſe non timere Ebrioſum, aut adulterum, aut homicidam; quaſi dicat eos omnes bapti-*

*zare validè; per ebrioſum non intelligit eum qui actu ebrius eſt, ſed ebrietati aſſuetum; qui dum rationis vſum recuperauit, validè baptizare poteſt.* 179

---

# B

## BAPTISMVS.

A *Temporibus Apoſtolorum eum ſemper Eccleſia ordinem obſeruauit, vt adultos qui ad fidem noſtram conuertuntur, priùs inſtruat quàm ijs baptiſmum adminiſtret.* 47

*Licet aqua elementaris calida ſit, aut per venas ſulphureas, vel cineres tranſierit, &c. apta eſt ad baptiſmum validè conferendum. Quia cum eiuſmodi alterationibus retinet vſum, & ſpeciem aquæ elementaris.* 70

*Baptiſmus inualidè confertur in luto, & in vino limphato & in iure vltra naturam aquæ addenſato, ob craſſiores partes decocta carnis ibi relictas.* 71

*Aqua ex floribus, vel herbis arte ſtillata, ceruiſia, lachrima, phlegma, non ſunt materia baptiſmi: quia hæc omnia ab aqua elementari ſpecie differunt. At verò nix, grando, glacies, & ſimilia ad baptiſmum non ſufficiunt; quia non ſunt apta proximè ad corpus abluendum.* 70

*Ad eſſentiam baptiſmi non requiritur verbum concionale, cũ baptiſmus validè conferatur paruulis, qui ob vſus rationis defectum concionẽ percipere nequeunt.* 44

*Illa forma baptiſmi eſt valida,* Ego te baptizo, in nomine Patria, & Filia, & Spiritu ſãcta, *quia licet*

*patria ex ſe ſignificet locum in quo quis natus eſt, vt tamen hîc, & nunc profertur patrem denotat* 62

*Qui inter baptizandum dicit*, Ego te baptizo in nomine Patris; & Filij, & Spiritus ſancti, & beatæ Virginis *nihil efficit, ſi intendat Virginẽ diuinis perſonis æquare: ſecus ſi illius opem tantùm baptizans implorare velit.* 58

*Qui poſt vſum rationis cũ ſola originis labe ad baptiſmi ſacramentum accedit, recipiet gratiam; etſi nullum actum pœnitentiæ eliciat. Quia dolere de peccato ad illum propriè ſpectat qui propria voluntate peccauit.* 237

*Baptiſmus non tantùm ordinatur ad hoc vt deleat peccatum originale, ſed etiam vt diſponat ſuſcipientem ad ſeruandam legem diuinam, cuius eſt profeſſio; quod fieri nequit ſine auxilio gratiæ.* 343. 344

*Baptiſmus præſtat reliquis ſacramentis, quatenus peccatum originale remittit; imo peccata actualia, ſi adſint, & totam pœnam illis debitam, vt docet Concil. Florentinum in decreto de Armenis.* 116

*Ordine naturæ baptiſmus præcedit Confirmationem, quia per baptiſmum homo accipit vitam ſupernaturalem; per Confirmationem verò augmentum talis vitæ. Prius eſt autẽ natura accipere vitam, quã creſcere.* 115

*Sacerdos peccati mortalis conſcius, omittens ſine neceſſitate ſolẽnitates baptiſmi, peccat peccato omiſſionis, Quia ſolemnitates omittit contra præceptum Eccleſiæ. Non autem etiam peccato commiſſionis, eo quod indignè miniſtrat; quia non agit ex officio* 208. Vide plura verbo, Adultus. v. Infantes, v. parentes.

B E A T V S.

*Etſi homo beatus nẽ ſit miniſter ordinarius ſacramẽtorũ, ſi tamen aliquod ex illis conferret, conferetur illud*

*validè contuliſſe: quia credendum eſſet illum à Deo extraordinariè miſſum, ad tale munus obeundum.* 147

*Beati in corporibus aſſumptis multa intelligẽt extra verbum per ſpecies, ſeu phantaſmata corporea, quæ per beatificam viſionem in verbo clarè perſpicient.* 81

---

# C

## CAVSA.

*DVplex eſt cauſa, phyſica, & moralis: phyſica dicitur quæ phyſicè, & realiter influit in effectum: moralis quæ per ſe non attingit effectum phyſicè, ſed mouet aliam cauſam à ſe diſtinctam, vt talem effectum phyſicè producat.* 284

## CHARACTER.

*Aſſertio eſt de fide, definita in Concilijs Florentino, & Tridentino, nonnulla ſacramenta nouæ legis, nimirùm Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, dum validè ſuſcipiuntur, characterem imprimere in anima, id eſt notam aliquam ſeu ſignum ſpirituale.* 351

*Characterem eſſe ens reale ſatis colligitur ex dictis Concilijs, quatenus ſtatuunt illum eſſe ſignum ſpirituale animæ impreſſum, idque indelebile. Hoc enim dici non poſſet, niſi character eſſet ens aliquod verum, & reale.* 355

*Character eſt ens abſolutum, non relatiuum: ad relationem enim non datur per ſe motus, ſeu actio vt*

*conſtat ex philoſophia: actio vero per ſe terminatur ad characterem, cum Deus illum verè, & phyſicè producat.* 357

*Character eſt ens poſitiuum, realiter ab anima diſtinctum: aliàs certè non diceretur in ea imprimi. Cum enim anima ſit ſpiritualis, concipi nequit quomodo de nouo cõſignetur, niſi entitatem à ſe realiter diſtinctam recipiat.* 359

*Character ſacramentalis directè pertinet ad prædicamentum qualitatis, non minus quam qualitates naturales, à quibus & à ſupernaturalibus abſtrahi poteſt vna ratio communis, quæ vniuocè omnibus conueniat.* 361

*Character non pertinet ad ſecundam ſpeciem qualitatis, quæ eſt potentia phyſica; quia verè, & phyſicè non ordinatur ad aliquem actum eliciendum, aut in ſe recipiendum, vt patet diſcurrendo per ſacramenta characterem imprimentia.* 362

*Character non pertinet ad vltimam qualitatis ſpeciem, quæ eſt figura; cum ridiculum ſit exiſtimare per illum terminari, & modificari quantitatem aliquam corpoream; quod proprium eſt munus figuræ prædicamentalis.* 364

*Character ad primam ſpeciem qualitatis reducitur, ſicut ſanitas, pulchritudo, & ſimilia quibus corpus benè afficitur: quia cum hominem conſignet ad aliquid ex officio agendum, vel recipiendum; hoc ipſo illum benè afficit, idque admodum cuiuſdam diſpoſitionis permanentis.* 366

*Cum intellectus, & voluntas ſint facultates operatiuæ; in ijs tantùm ponuntur habitus operatiui. Character autem non eſt habitus propriè operatiuus, cum moraliter tantùm ad actus diuini cultus concurrat.*

*Quare non in potentijs, ſed in ipſa animæ ſubſtantia conſtituendus eſt.* 373

*De fide eſt characterem remanere in anima quandiu homo viuit: illum etiam remanere poſt mortem docent grauiores Theologi; in beatis quidem ad gloriam, in damnatis ad pœnam, & eorum maximam confuſionem.* 375

*Licet character remaneat poſt mortem, non tamen poteſtas conficiendi, aut recipiendi ſacramenta, quæ ſunt instituta pro ſolis viatoribus. Si quis tamen Sacerdos reſurgeret, vt iterum moreretur, validè vti poſſet facultate quam ante obitum acceperat.* 375

*Character non eſt per ſe ordinatus ad gratiam producendam; aliàs deberet eam producere quando ſimul cum illa infunditur. Imo ſi quando charactere inſignitus amittit gratiam, deberet eam poſteà recuperare beneficio characteris.* 292

## CHRISTVS.

*Chriſtus Dominus ſacramenta omnia nouæ legis per ſe, immediatè inſtituit, vt colligitur ex Concilio Trident. ſeſſ. 7. can. 1. Quod intelligendum eſt de Chriſto quatenus erat Deus, non autem vt erat homo.* 126

*Etſi in ſcriptura non reperiantur apertè, & expliciiè formæ omnium ſacramentorum, inde non ſequitur eas à Chriſto prolatas non fuiſſe. Quia ſicut Chriſtus multa fecit quæ ſcripta non ſunt; ita multa dixit quæ non ſunt ſcriptis mandata.* 127

*Chriſtus vt homo dici poteſt aliquo modo ſacramentorum inſtitutor: tum quia illorum inſtitutionem, & efficaciam de condigno nobis promeruit: tum quia diuinam eorum inſtitutionem promulgauit:*

*tum quia vt homo eorum materiam, & formam deſignauit.* 134

*Poteſtas Excellentiæ Chriſti in 4. Conſiſtit. 1. Quòd illius paſſio operetur in ſacramentis 2. Quòd in illius nomine ſacramenta conferantur. 3. Quòd ipſe poſſit materiam,& formam ſacramentorum deſignare. 4. Quòd effectum ſacramenti ſine ſacramento conferre valeat.* 135

## CIRCVNCISIO.

*Circunciſio dicitur ſacramentum antiquæ legis licet ante illam eſſet inſtituta: quia per circunciſionem ſpecialis populus cœpit congregari, & ad legem ſuſcipiendam diſponi: & poſtea fuit veluti character quo Iudæi ab alijs diſtinguebantur.* 103

*Cum circunciſio eſſet quædã cæremonia ſacra, inſtituta ad aliquam ſanctificationem Iudæorũ,habebat veram rationem ſacramenti antiquæ legis.* 102

*Circunciſio reſpectu virorum erat ianua ad alia ſacramenta, ita vt nullus maſculus ad alias cæremonias legales admitteretur, quin prius eſſet circunciſus.* 103

*Qui ſubdebantur Circunciſioni, vt ea erat cæremonia antiquæ legis, tenebantur præcepta legis ſeruare; non autem gentes quæ ex quadam imitatione, aut conſuetudine circuncidebantur.* 104

## CLERICVS.

*Clericus exercens in peccato mortali actus minorum ordinum, non peccat mortaliter: quia eiuſmodi actus, licet aliqua ratione ſint ſacri, non parùm diſtant ab actibus quibus ſacramenta conficiuntur. 218, peccat tamen venialiter.* 219

## COMPOSITIO SACRAMENTI.

*Non eſt de ratione ſacramenti vt ex rebus & verbis componatur, vt liquet ex veteribus ſacramentis,*

*quæ eiuſmodi compoſitionem non admittebant.* 32

*Non tantùm alia ſacramēta nouæ legis, ſed ipſam etiam pœnitentiam, & matrimonium ex rebus, & verbis ſuo modo componi, eſt cōmunis ſentētia Theologorum contra Durandum.* 33. 34

*In ſacramentis nouæ legis, compoſitio ex rebus, & verbis ſe habet per modum compoſitionis ex materia, & forma, vt apertè docet Concilium Florentinum in Decreto Eugenij.* 36.

*Sicut ad compoſitionem entis naturalis, materia, & forma vt partes eſſentialiter concurrunt; ita res, & verba ad compoſitionem ſacramenti: cum tam illæ, quam iſta ſacramentaliter ſignificandi vim habeant.* 39

*Duplex eſt materia, & forma ſacramentorum; partialis, & totalis: materia partialis ſunt res, forma partialis verba: Materia totalis ſunt res & verba ſimul iuncta; forma totalis eorum ſignificatio.* 37

*Vt ſacramentum ex rebus, & verbis coaleſcere cenſeatur, non opus eſt vt res, & verba habeant inter ſe coniunctionem, & ſimultatem mathematicam, aut phyſicam, ſed moralis ſufficit.* 41

*Inter materiam, & formam ſacramentorum ea propinquitas moralis ſufficit, quæ requiritur vt iuxta varias formarum ſignificationes, & conditiones actionum quibus ſacramentum conſtat, forma dicatur vniri materiæ.* 42

*In ijs ſacramentis in quibus materia proxima eſt actio quædam ipſius miniſtri, denotata per verbum indicatiui modi, diſiunctio phyſica inter materiam, & formam debet eſſe exigua.* 43

CONFIRMATIO.

*Confirmationis ſacramentum, etſi ſecundum quid*

*ſit inferius baptiſmo, abſolutè tamen illo eſt præſtantius. Quia ſupponit gratiam in illo acceptam, & intenſiorem addit. Quo fit vt à Patribus perfectio, & conſummatio baptiſmi vocari ſoleat.* 116

*Confirmatio iuxta ordinem naturæ præcedit Euchariſtiam, quia per eam homo roboratur, & quaſi in ſtatu virili conſtituitur vt ad Euchariſtiam, quæ eſt cibus perfectorum, melius accedere poſſit.* 115

*Confirmatio non ſolùm ordinatur ad augēdam gratiam habitualem in baptiſmo ſuſceptam; ſed etiam ad fidem coram tyranno forti animo profitendam: quod ſine auxilijs gratiæ fieri nequit.* 344

*Sacramentum confirmationis non eſt ad ſalutem neceſſarium neceſſitate medij; neque etiam neceſſitate præcepti, ſiue diuini, ſiue Eccleſiaſtici.* 122

## CORRECTIO.

*Alium corrigens in peccato mortali, non peccat mortaliter; quia non eſt ſpecialiter conſecratus ad actum illum exercendum; & eiuſmodi actus ſanctificationem aliquam in ſe non continet. Si tamen adſit ſcandalum, peccatum erit mortale.* 226

## CREATVRA.

*Nulla creatura poteſt inſtituere ſacramenta, poteſtate quam vocant authoritatis: quia qui tali poteſtate præditus eſt, agit independenter à quouis alio agente.* 129

*At neque ex Dei commiſſione poteſt creatura vlla inſtituere ſacramenta, cum ea non poſſit actioni, vel rei deſignatæ tribuere virtutem qua certò, & infallibiliter gratia conferatur.* 130

## CVLTVS DEI.

*Cultus Dei externus duplex eſt, alius qui fit per ſolas actiones corporis, vt cum Deum voce laudamus;*

*alius qui conſiſtit in oblatione rerum externarum, vt cum cereos accendimus in honorem Dei.* 75

# D

## DEVS.

*Licet virtus diuina coniuncta ſit creaturis omnibus naturalibus ex neceſſitate creationis, hoc ad ſummum verum eſt, quatenus Deus eſt author rerum naturalium, non autem ſupernaturalium.* 319

*Multa ſunt poſſibilia reſpectu omnipotentiæ Dei, quæ tamen actu nunquam erunt: quare licet fieri poſſet per eiuſmodi potentiam, vt ſacramenta phyſicè gratiam producerent, non ſequeretur ea de facto tali virtute prædita eſſe.* 338

*Deus non ſuplet defectum intentionis in miniſtro quoad effectum ſacramenti, ſiue immediatè in paruulis, ſiue mediatè in adultis, mediante nimirùm illorum fide, & deuotione.* 197

*Sacramenta antiqua etſi gratiam non conferrent, eam tamen figurabant, & promittebant. Quare in eorum inſtitutione neceſſaria erat diuina ſapientia, & authoritas, ac proinde à Deo inſtituta fuerunt.* 125

## DIABOLVS.

*Si Dæmon ſacramentum aliquod conferret, illud irritum haberetur; quia minimè credendum eſſet, Deum illi tale miniſterium concedere voluiſſe. Licet autem peccator ſit membrum Diaboli, validè tamen adminiſtrat, quia eſt homo.* 146

## DIACONVS.

*Licet probabile ſit Diaconum, & Subdiaconum in peccato mortali ſolemniter Euangelium, vel Epiſtolam cantantes, peccare mortaliter; oppoſitum tamen videtur probabilius: etiam quando prædicti proponunt longo tempore exercere actus ſuorum ordinum in mortali.* 219. *&c.*

## DISPOSITIO MINISTRI.

*Sacramentum adminiſtrare ex officio in ſtatu peccati mortalis, peccatum eſt mortale ex genere ſuo; cum omnino ſit contra dignitatem Chriſti, hoſtem ipſius idem cum illo opus ſacrum efficere, ſanguinem eius diſpenſare, perſonam illius gerere, &c.* 202

*Adminiſtrare ſacramentum in ſtatu peccati mortalis, non ex officio, ſed ex neceſſitate, (vt ſi quis ſacerdos vel laicus puero morienti baptiſmi beneficium priuatim impendat) non eſt peccatum mortale ex genere ſuo ſed ad ſummum veniale.* 206. Vide v. Matrimonium.

*Cum ille qui ſacramentum miniſtrare debet, teneatur elicere actum contritionis priuſquam illud adminiſtret; conſequenter tenetur diligenter examinare, an peccato mortali obſtrictus ſit, nec ne.* 210. Vide v. Miſſa.

---

# E

## ECCLESIA.

*IN Eccleſia eſt poteſtas ſimplicis miniſterij ad conficienda, & adminiſtranda ſacramenta. Eam ſiquidem ipſi à Deo concedi neceſſarium*

*erat, vt miniſtri, partes quibus ſacramenta conſtare debent, inter ſe connecterent, & nobis applicarent.* 140

## EFFICACIA SACRAMENTORVM.

*Quæ in ſcriptura tribuūtur ſacramentis quoad cauſalitatem gratiæ, aſcribuntur etiam paſſioni Chriſti: hæc autem cum non exiſtat, non poteſt operari phiſicè, ſed tantum moraliter. Quare idem de ſacramentis dicendum eſt.* 294

*Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam vt inſtrumenta moralia illius; quia cum moraliter merita Chriſti contineant, Deum mouent moraliter, vt intuitu eiuſmodi meritorum gratiam nobis infundat.* 285.

*Sacramenta nouæ legis non producunt gratiam phyſicè: tum quia illam ſemper producunt moraliter quod ſatis eſt tum quia illam interdum producunt quando non exiſtunt, quod non niſi moraliter fieri poteſt: tum quia nullus modus aſſignari poteſt quo res corporeæ ad hoc eleuari queant. 288. &c.* Vide titulum ſequentem.

*Ideo ſacramenta noſtra dicuntur ſua virtute gratiam conferre, vt diſtinguantur ab antiquis, quæ non ſua virtute ſeu ex opere operato ſed ex opere operantis gratiam conferebant.* 325

*Sacramenta dicuntur efficaciter operari, quia non ſunt vacua ſigna gratiæ, ſed practica, quæ infallibiliter omnibus non ponentibus obicem gratiam conferunt.* 325

*Sacramenta eo ſenſu dicuntur conferre gratiam, quo cauſa moralis dicitur conferre effectum. Sic dicimus paſſione Chriſti nobis conferri gratiam, quia illa moraliter ad noſtram iuſtificationem concurrit.* 325

*Eatenus tantum gratia dicitur contineri in ſacra-*

*mentis, vt in vaſe; quatenus ſicut liquor hauritur è vaſe, à quo phyſicè non producitur: ita poſſumus haurire gratiam è ſacramentis, etſi ea ab ipſis phyſicè non producatur.* 326

*Ideo quædam ſacramenta dicuntur imprimere characterem, non quod phyſicè agant; ſed quia character vi illorum productus, ab anima amoueri non poteſt.* 326

*Eodem modo mirantur Patres vim ſacramentorum ad producendam gratiam, quo mirantur vim ſanctorum ad edenda miracula verbo, tactu, cingulo, ipſa etiam vmbra, quod mirabilius eſt.* 331

*Cauſalitas moralis ſacramentorum æquiualet phyſicæ, quia habet effectum ſemper certum, & infallibilem neceſſitatem ex ſuppoſitione inſtitutionis diuinæ, & Deus cum illis operatur per modum agentis naturalis.* 338

*Sacramenta vetera non contuliſſe gratiam ex opere operato inde colligitur, quia quod res ſenſibiles eo modo gratiam conferant, id pendet ex promiſſione Dei: at ex ſcriptura, aut aliunde non conſtat ſacramentis antiquis factam fuiſſe eiuſmodi promiſſionem.* 346

*Sacramenta vetera conferebant gratiam ex opere operantis, quatenus viri iuſti ſicut aliis bonis operibus merebantur augmentum gratiæ, ita & vſu ſacramentorum, & oblatione ſacrificiorum quæ à Deo præcepta erat.* 348.

## ELEVATIO SACRAMENTI.

*Sacramenta non poſſunt eleuari ad gratiam producendam per qualitatem aliquam corpoream; quia hæc qualitas non poteſt habere maiorem proportionem cum gratia, quam ſacramenta ipſa quæ etiam ſunt corporea.* 303

*Sacramenta eleuari non poſſunt per qualitatem aliquam ſpiritualem, ad producendam phyſicè gratiam; quia cum eiuſmodi qualitas ſit inextenſa, & indiuiſibilis, in ſubiecto corporeo, & eſſentialiter ex multis partibus conſtante, recipi nequit.* 303

## EPISCOPVS.

*Epiſcopus in peccato mortali ſacramentalia conficiens, verbi cauſa, Chriſma Confirmationis, oleum infirmorum, conſecrationem altarium, templi, calicis, &c. non peccat lethaliter.* 217

## ERROR.

*Error ſubſtantialis perſonæ non irritat ſacramentum in ſex prioribus ſacramentis, vnde qui baptizans Paulum putat ſe baptizare Petrum, & dicit,* Petre ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. *Validè baptizat. Et ſic de alijs.* 193

*Si tamen miniſter baptiſmi non haberet intentionem baptizandi alium quam Petrum, & de facto baptizaret Paulum putans eum eſſe Petrum; profectò nullus tunc eſſet baptiſmus defectu intentionis.* 194. vide v. Matrimonium.

## EVCHARISTIA.

*Eucharistia cum non conſiſtat in vſu ſeu applicatione, ſed fiat per conſecrationem materiæ, non pendet in ſuo fieri à voluntate ſuſcipientis; quare applicari poteſt (ſine fructu tamen) homini inuito.* 230

*Qui proferret verba illa,* hoc eſt corpus meum, *non præſente pane, nihil efficeret, etſi ſtatim poſt verborum prolationem panis illi porrigeretur.* 43

*Eucharistia eſt abſolutè præſtantior reliquis ſacramentis: tum quia eſt eorum finis: tum quia ſimul eſt ſacramentum, & ſacrificium: tum quia ipſum ſanctitatis authorem continet* 116

*Euchariſtia non eſt medium abſolutè neceſſarium in re, aut voto ad primam gratiam aſſequendam, neque ad conſecutionem gloriæ: datur tamen præceptum diuinum de ea ſumenda.* 120

*Sacramentum Euchariſtiæ peti poteſt in articulo mortis à miniſtro non tolerato, quia licet hoc ſacramentum non ſit neceſſarium neceſſitate medij, eſt tamen neceſſarium neceſſitate præcepti diuini, quod pro eo tẽpore obligat.* *262.* Vide v. Laicus. v. Miſſa.

---

# F

## FIDES MINISTRI.

*ASſertio fidei eſt, definita in varijs Concilijs, hæreticos poſſe validè ſacramenta miniſtrare; atque adeo miniſtri fidem ad valorem ſacramenti non eſſe neceſſariam.* 153

*Gregorius vocat Euchariſtiam ab Arriano confectam, conſecrationem ſacrilegam; non quod verè non conſecraret ſi eſſet verus Sacerdos, ſed quia conſecrando grauiter peccabat.* 157

*Vt miniſter gerat ſufficienter perſonã Eccleſiæ, quantum opus eſt ad valorem ſacramenti, ſatis eſt quod veram materiam, & formam applicet, & intendat facere quod facit Eccleſia; eſto fide careat.* 158

*Multi qui olim ab hæreticis ordinati fuerant, iuſſu ſummorum Pontificũ iterum ordinati fuerunt; quia hæretici illi cum non eſſent ritu Eccleſiæ ordinati alios ordinandi poteſtatem non habebant.* 158

## FORMA SACRAMENTORVM.

*Ad eſſentiã ſacramenti requiritur verbũ conſecrato-*

*rium, quo materia conſecratur, ſeu benedicitur; vnde Paulus 1. cor. 10. vocat formam Euchariſtia,* verba benedictionis. 48.

*Verba ſacramentorum habent vim materiam conſecrandi, non ex ſe, ſed ex Chriſti inſtitutione: vnde ex Chriſto expectatur talis conſecratio, non ex Dæmone; ac proinde referri non poteſt ad incantationem magicam.* 50

*Forma ſacramentorum eſt determinata ex inſtitutione Chriſti, ita quidem vt in matrimonio ſufficiant ſigna conſenſum declarantia, in alijs verba neceſſaria ſint.* 51

*Quando verba ordinaria ſacramentorum mutantur in alia alterius idiomatis, quæ eandem habent ſignificationem, ſacramentum valet. Item quando intra idem idioma, mutantur in alia, idem ex communi vſu ſignificantia.* 54

*Si verba in quæ forma ordinaria mutatur, ſecundum vnum ſenſum ſunt ſynonima, & ſecundum alium æquiuoca; proferri debent iuxta ſenſum communis formæ, aliàs ſacramentum non valet; ſicut nec quando verba mutantur in alia quæ diuerſum ſenſum habent.* 55. 56

*Quando verbis formæ aliquid additur, aut ſubtrahitur quod ſenſum illius ſubſtantialem variat, ſacramentum nullum eſt: ſecùs ſi ſenſus formæ additione illa, aut ſubtractione non immutetur.* 57. 59

*Quando verba formæ ita tranſponuntur, vt varietur ſenſus, ſacramentum nullum eſt: ſi verò ſenſus non immutetur, ſacramentum valet.* 61

*Quando in prolatione formæ intercipitur aliqua mora adeo notabilis, vt non ſit vnus, & continuus orationis ſenſus, ſacramentum non tenet; ſecus ſi verba priora*

*priora cum poſterioribus vnam faciant orationem, vnumque ſenſum.* 60

*Quando corrumpitur aliquod verbum formæ, ſi ea corruptione ſenſus immutatur, ſacramentum inualidè adminiſtratur: ſi autem ſenſus integer manet, ſacramentum validè perficitur.* 61

*Sacramentum tenet quando miniſter verba corrumpit de induſtria: dummodo ſeruetur ſenſus formæ, & ille habeat veram intentionẽ faciendi quod facit Eccleſia.* 62

*Vt corruptio formæ ſacramentum non impediat, non opus eſt vt verba corrupta per ſe idem ſignificent ac integra; ſed ſatis eſt quod hic, & nunc prolata eundem ſenſum aſtantibus referant.* 62

*Quando ſenſus formæ ſeruatur, ſacramentum tenet, etſi miniſter peculiarem errorem introducere velit: quia cũ priuato errore poteſt ſubſiſtere intentio faciendi quod facit Eccleſia.* 64

*Quando verba formæ ita mutantur, vt illorum ſignificatio ambigua remaneat; ſi miniſter velit ſenſum erroneum ſignificare, ſacramẽtum regulariter erit nullum defectu intentionis, & etiam defectu formæ.* 67

*Si Arrianus formam baptiſmi proferat, cum abſoluta voluntate ſignificandi & faciendi quod per eam Chriſtus ſignificari, & fieri voluit; baptiſmus tenebit, etſi ille perſonarum æqualitatem tali forma ſignificari non credat. 66.* Vide v. Materia ſacramentorum, v. Chriſtus.

## FORNICARII.

*Fornicarij, & concubinarij publici ſunt tolerati ab Eccleſia: & quamuis antiqua iura ſtatuerent, ſacramenta ab ijs ſumenda non eſſe, hoc correctum fuit à*

*concilio Conſtantienſi, iuxta quòd prædicti non ſunt vitandi, niſi nominatim declarati fuerint ſuſpenſi.* 252

# G

## GENESIVS.

*GEneſius Chriſtianorum ſacra irridens ſubitò conuerſus, baptiſmum ſincerè petiit; hiſtrio verò qui eum baptizauit, Chriſtianos, etſi iocosè agens, imitatus fuit, intendens facere quod illi præſtabant.* 176.

## GRATIA.

*Gratia duobus modis homini conferri poteſt, primò ex opere operantis, ſeu ex merito actionis alicuius, vt ab illo elicitæ; Secùndò, ex opere operato, ſeu ratione operis externi, vt illi applicatur nullo habito reſpectu ad meritum ſucipientis* 274

*Sacramenta noua legis verè conferre gratiam eſt aſſertio de fide, definita in Concilio Tridentino aduerſus hæreticos huius temporis, qui docent ſacramenta non aliter producere gratiam, quam excitando fidem quam ſolam iuſtificare arbitrantur.* 269

*Aſſertio eſt de fide, ſacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato, ſeu ratione operis externi applicati citra omne meritum ſuſcipientis : quomo-*

*do baptiſmus iuſtificat paruulos qui nullum actum meritorium exercere valent.* 276

*Etſi ſacramenta habeant vim producendi gratiam ex opere operato, ſeu abſque ordine ad vllam ſuſcipientis diſpoſitionem; vt tamen eam actu producant neceſſaria eſt in ſuſcipientibus aliqua diſpoſitio poſitiua: item vt actu non ponant obicem.* 278

*Sacramenta non producunt aliquam diſpoſitionem ad gratiam, ſed gratiam ipſam immediatè: nam vel diſpoſitio illa eſſet naturalis, vel ſupernaturalis: non naturalis quia ad gratiam quæ eſt ſupernaturalis non ſufficeret: non ſupernaturalis, quia ad illam requireretur alia diſpoſitio eiuſdem ordinis, & ita daretur progreſſus infinitus.* 280

*Gratiam ſacramentalem addere aliquid ſupra habitualem, hinc perſpicuum fit, quia aliàs ſicut in omnibus ſacramentis vna eſt gratia habitualis, vna etiam in illis eſſet gratia ſacramentalis: atque adeo fruſtra tot ſacramenta ſpecie diſtincta inſtituta eſſent.* 340

*Gratia ſacramentalis non addit ſupra ſanctificatẽ habitum realiter ab ipſa diſtinctum, talis enim habitus vel eſſet in ſubſtantia, vel in potentijs animæ, quod dici non poteſt: cum gratia ſanctificans, & habitus ſupernaturales ſint in illis, & ad omnes effectus ſufficiant.* 341

*Gratia ſacramẽtalis addit ſupra ſanctificantem reſpectum ad auxilium aliquod, ex pacto diuino ijs debitum qui ſacramentum dignè ſuſcipiunt. vt per illud ſacramenti finem conſequi poſſint.* 343. Vide v. efficacia ſacramentorum.

# H

## HOMO.

*Solus homo eſt miniſter ordinarius ſacramentorum: cuius rei triplex congruentia aſſignatur. Prima, quod ſolus homo redemptus fuerit. Altera, quod Chriſtus vt homo ſit primarius ſacramentorum miniſter. Vltima, quod in homine reperiatur aliquid ſpirituale, & aliquid ſenſibile.* 144. 145

*Non quilibet homo eſt miniſter ordinarius Sacramentorum, ſed ſolus viator: Chriſtus enim poteſtatem conferendi baptiſmum, conficiendi Euchariſtiam, abſoluendi à peccatis, &c. non niſi hominibus viatoribus conceſſit.* 146

*Quilibet homo viator non eſt miniſter ordinarius omnium ſacramentorum, vt vult Lutherus; ſed ille tantùm qui ſpecialiter à Deo ad eiuſmodi munus deputatus, & conſecratus fuit.* 148

*Cum purus homo non poſſit de condigno, & ex toto rigore iuſtitiæ mereri, aut ſatisfacere pro alijs; conſequenter nequit habere poteſtatem excellentiæ circa ſacramenta, tam perfectè ac Chriſtus.* 136

*Poteſt tamen puro homini communicari poteſtas Excellentiæ, modo aliquo inferiori; quatenus poteſt illi dari tãta gratia, vt mereatur alijs de congruo gratiam ipſis conferendam, in vſu rei alicuius ſenſibilis quam ipſe deſignauerit, &c.* 138

*Eiuſmodi poteſtas nulli de facto communicata fuit,*

*cum ea detur propter vſum, & nemo vnquam extra ſacramentum peccata remiſerit; materiam, aut formam ſacramentorum deſignarit; aut alia fecerit quæ ad poteſtatem illam attinent.* 139

*Poteſtas quam à Deo accipiunt ſacramentorum miniſtri, non tantùm extenditur ad opus externum, & materiale ſacramentorum, ſed etiam formaliter ad ipſum ſacramentum, quod eſt quid myſticum, & ſupernaturale.* 181. Vide v. creatura.

# I

## INFANTES.

*INfantibus nondum rationis vſu præditis, baptiſmus re ſuſceptus eſt neceſſarius neceſſitate medij, iuxta legem Dei ordinariam, & extra caſum martyrij.* 118

*Baptiſmus re ſuſceptus eſt neceſſarius ex præcepto, etiam paruulis; non quod ipſi propriè ligentur tali præcepto, cum rationis vſu careant; ſed quatenus ipſorum parentes curare debent vt in neceſſitate baptizentur.* 119

*Infantes ſunt capaces baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ, & etiam Ordinis ex communiori ſententia; licet ob defectum vſus rationis eorum receptioni conſentire nequeat. Et idem dic de adultis quibus nunquam rationis radius illuxit.* 231

*In infantibus ad effectum ſacramenti nulla requiritur actualis diſpoſitio, ſed ſicut aliena voluntate pec-*

*cauerunt, ita ſine proprio actu gratiam in ſacramento recipiunt, & à peccato originali mundantur.* 236

## INSTRVMENTVM.

*Duobus modis poteſt vnus homo eſſe inſtrumentum alterius, Primò, ſecundum membra corporea, & potentias ſentientes. Secundò, quantum etiam ad intellectum, & rationem, ita vt actio illius relicta ſit arbitrio.* 174

*Inter illa inſtrumenta illud eſt diſcrimen, quod prius miniſterium ſuum exercere poteſt, etſi non habeat niſi intentionem faciendi opus externum. Poſterius verò debet habere inſuper intentionem agendi iuxta voluntatem, & præſcriptum cauſæ principalis.* 174

*Duo ſunt genera inſtrumentorum, alia quæ habent ex ſolo vſu quod ſint inſtrumenta alicuius effectus. Alia quæ id habent non ſolum ex vſu, ſed etiam ex propria compoſitione.* 315

## INTENTIO.

*Ad valorem ſacramenti neceſſaria eſt in miniſtro intentio faciendi quod facit Eccleſia, id eſt, faciendi non tantùm actum illum externum materialiter ſpectatum, quem facit Eccleſia; ſed myſterium ſacrum quod ipſa celebrat.* 166

*Si legitima intentio miniſtri deficiat, vel contraria adſit quando eſſentiale aliquod verbum formæ profertur, nullum fit ſacramentum: ſecùs verò ſi contraria illa intentio habeatur, quo tempore verbum aliquod accidentale formæ pronunciatur.*

198. 199

*Cum intentio miniſtri ferri debeat circa id quod à formis ſacramentorum deſignatur, conſequens eſt vt ea verſari debeat circa materiam, vel perſonam quæ ſit præſens, aut phyſicè, aut moraliter iuxta exigentiam cuiuſque ſacramenti.* 193

*Ille propriè non gerit perſonam Eccleſiæ, qui non habet intentionem conformem intentioni Eccleſiæ: & quamuis exterius faciat quod facit Eccleſia, hoc tantùm ſufficit vt in foro exteriori, vices Eccleſiæ gerere videatur.* 180

*Vt ſacramentum ſit ratum, intentio actualis non eſt neceſſaria: non enim eſt in poteſtate hominis talem ſemper intentionem habere, propter occurrentes varias cogitationes, quibus interdum, velit nolit diſtrahitur.* 187, &c.

*Intentio habitualis non ſufficit ad valorem ſacramenti: quia actus habitualiter tantùm voluntarius, non eſt humanus, & rationalis qualis eſſe debet actus quo ſacramenta conficiuntur.* 188

*Quando S. Tho. docet intentionem habitualem ad valorem ſacramenti ſufficere, per habitualem virtualem intelligit. Eam autem habitualem vocauit iuxta modum loquendi, ſuo tempore inter Doctores vſitatum.* 189

*Ad valorem ſacramenti non ſufficit intentio interpretatiua: Quia actus interpretatiuè tantùm voluntarius, non eſt humanus, nec propriè voluntarius; cum non eliciatur à voluntate humano, & rationabili modo agente.* 190

*Deficiente actuali intentione neceſſaria eſt virtualis, eaque ſufficit ad valorem ſacramenti:*

*dicitur autem virtualis, quando actualis remanet per aliquid ſui, ratione cuius dicitur mouere ad operandum: in quo ab habituali diſtinguitur.* 190

*Ad valorem ſacramentorum (ſi matrimonium excipias) non ſufficit intentio conditionalis, niſi ea ſtatim in abſolutam reſoluatur, poſita nimirum conditione: quia voluntas conditionata vt ſic, manet ſuſpenſa, & nihil operatur niſi apponatur conditio.* 191

*Ad valorem ſacramenti conſiſtentis in vſu, ſeu actione, neceſſaria eſt in ſuſcipiente vſu rationis prædito, intentio illud ſumendi; quia actio illa debet eſſe humana, & fieri humano modo, quod dici non poteſt niſi ſucipiens conſentiat.* 229

*Ad valorem ſacramenti non eſt neceſſaria in ſuſcipiente intentio actualis, neque etiam virtualis propriè, ſed ſatis eſt quod actualis præceſſerit, neque per contrariam voluntatem fuerit retractata.* 231

*Intentio conferentis ſacramentum ſe habet aliquo modo vt principium actiuum: intentio verò ſuſcipientis ſe habet veluti materialiter, per modum diſpoſitionis quæ obicem tollit: vnde illa debet eſſe perfectior quam hæc. 189.* Vide plura v. Auguſtinus. v. Amentes. v. Athanaſius v. Deus. v. Euchariſtia.

## IVDEX.

*Iudex per ſe non peccat lethaliter, in ſtatu peccati mortalis ſententiam ferens: per accidens tamen ratione ſcandali, poteſt peccare lethaliter, ſi nimirum ſit publicus peccator, & alios eiuſdem criminis reos damnet, fur fures, adulter adulteros.* 224

*Iudex in peccato mortali exiſtens, officium ſuum exercet indignè priuatiuè, quatenus priuatur aliqua perfectione quæ ipſi valde conduceret: non tamen in-*

*dignè contrariè, quia, vt peccator, non habet aliquid contrarium officio iuſti iudicis, vt ſic.* 225

# L

## LAICVS.

*LAicus ſibi conſcius peccati mortalis, in neceſſitate ad Euchariſtiam non præmiſſa confeſſione accedens, non tenetur prima opportunitate confiteri. Item nec Sacerdos communicans in dicto ſtatu, more laicorum.* 214. *&c.*

## LEX NATVRÆ.

*Cum Deus ſit ſummè miſericors, & velit ex ſe omnes ſaluari, dubium eſſe non poteſt, quin ab ipſo in lege naturæ, remedium aliquod ad infantium ſalutem fuerit inſtitutum.* 86

*Remedium illud non conſiſtebat in ſolo actu interno fidei, ſed adiunctam habebat actionem aliquam ſenſibilem, quæ ſe haberet per modum profeſſionis externæ, internæ fidei.* 88

*Eiuſmodi remedium erat verum ſacramentum, quia erat cæremonia ſenſibilis, inſtituta ad paruulorum ſanctificationem quam ſignificabat.* 93

*Remedium legis naturæ ita à Deo inſtitutum fuit, vt ipſe in ſpecie determinauerit qua cæremonia externa homines vterentur ad ſanctificandos infantes: neque illam determinationem hominum arbitrio reliquerit.* 94

*Prædictum remedium erat paruulis neceſſarium*

Digitized by Google

*neceſſitate medij quatenus ſine illo ab originali macula liberari, & conſequenter ſaluari non poterant. Erat etiam neceſſarium ex præcepto, quatenus parentes tenebantur illud paruulis applicare.* 100

*Illud eſt diſcrimen inter ſtatum puræ naturæ & ſtatum naturæ, quod prior ſi daretur, non includeret niſi præcepta ex ſolo ductu rationis orta. Poſterior verò, includebat præcepta quæ ex ratione humana, fide illuſtrata procedunt.* 101

## LEX VETVS.

*Cum in veteri lege variæ eſſent cæremoniæ, inſtitutæ ad ſanctificationem legalem Iudæorum, quæque gratiam veram per Chriſtum dandam ſignificabant; conſequenter varia tunc erant ſacramenta.* 104

*Sacramenta omnia antiqua ad tria capita reducuntur: alia enim ordinabantur vt homines in ſtatu colendi Deum conſtituerentur. Alia ad vſum eorum quæ ad cultum Dei ſpectabant. Alia ad remouenda impedimenta diuini cultus.* 104

*Quædam ſacramenta vetera erant figuræ noſtrorum. Circunciſio, baptiſmi. Agnus Paſchalis, Euchariſtiæ. Purificationes, pœnitentiæ; Conſecrationes ſacerdotum, Ordinis.* 105

*Inter ſacramenta antiqua nulla erant quæ eſſent propriè loquendo figuræ trium ſacramentorum nouæ legis, nimirum Confirmationis, extremæ vnctionis, & matrimonij. 105.* Vide v. Deus. v. Efficacia ſacramentorum.

## LEX GRATIÆ.

*Congruum fuiſſe vt in noua lege ſacramenta inſtituerentur; tum ex veteri lege; tum ex diſtinctione fidelium ab infidelibus; tum ex peccatis hominum: tum*

*ex modo cognitionis eorum naturalis deprehenditur.* 106. 107

*Sacramenta noua legis ſunt ſeptem. Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium. Cuius numeri congruentia ſumitur ex ſimilitudine vitæ ſpiritualis & corporalis.* 111

*Quod autem ſacramenta noua ab antiquis dinſtingui debuerint, facilè colligitur primò, ex diuerſitate ſtatus fidelium nouæ, & veteris legis. Secundò, ex accidentaria diuerſitate fidei. Tertio, ex diuerſitate morbi.* 108. 109

*Non ideo Deus mutabilitatis argui debet, quòd alia ſeruis, alia liberis: item quod alia paruulis, alia adultis ſacramenta tradat. Sicut nec Paterfamilias, quòd diuerſa tradat præcepta pro temporum, & perſonarum varietate.* 110

## LVMEN.

*Lumen quo illuſtratur color, inhæret corpori colorato, ſecundum extimam illius ſuperficiem; & ſe habet ad productionem ſpeciei ſenſibilis, aut materialiter, aut ad ſummum tanquam cauſa illius partialis.* 320

# M

## MATERIA SACRAMENTORVM.

*Materia ſacramentorum eſt determinata ex inſtitutione diuina; in nonnullis quidem ſacramentis ſecundum ſpeciem vltimam, in aliјs ſecundum genus.* 51

*Eædem res, & verba eſſentialia ſacramentorum quæ ſufficiunt in vna Eccleſia, ſufficiunt in omnibus. Hinc latinus baptizans, aut conſecrans ritu Græcorum, ſacramentum perficeret, quamuis non ſine peccato.* 52

*Materia ſacramentorum dicitur mutari ſubſtantialiter, vel quando mutatur ſecundum ſpeciem phyſicam; vel quando non poteſt aſſumi ad vſum, ad quem talis materia ab Eccleſia vſurpari ſolet.* 69

*Dicitur mutari accidentaliter, quando poſt mutationem factam, remanet eadem ſecundum ſpeciem phyſicam, & ſecundum vſum ad quem ab Eccleſia ſumi ſolet.* 69

*Si quis de induſtria, aut ex craſſa ignorantia ſacramentorum formam, aut materiam ſubſtantialiter immutat, peccat mortaliter; ſi verò ex inaduertentia, obliuione, aut animi perturbatione, venialiter.* 71

*Qui de induſtria in ſacramenti materia, aut forma mutationem aliquam valdè notabilem, licet alioqui accidentalem inducit, vt qui, verbi cauſa baptizat* in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta, *peccat mortaliter.* 73

*Qui nulla rationabili cauſa compulſus, aſſumit materiam, aut formam dubiam in adminiſtratione ſacramentorum, peccat mortaliter; propter periculum conficiendi inualidè, cui ſine iuſta cauſa ſe exponit.* 71

*In neceſſitate poteſt aſſumi materia dubia ſi certa non habeatur, verbi cauſa oleum in Confirmatione, ſi non habeatur copia Chriſmatis. Idem dic de forma dubia, ſi certa ignoretur.* 72

## MATRIMONIVM.

*Vt ſacramentum Matrimonij, quod eſſentialiter conſiſtit in contractu, ratum ſit; non ſufficit quod con-*

*trahentes velint ſimul matrimonio coniungi, ſed prætera opus eſt vt mutuos conſenſus externo aliquo ſigno formaliter exprimant.* 232

*Quando Nicolaus Pontifex dicit ſolum conſenſum ſufficere ad matrimonium, non excludit ſigna externa, quibus mutuus vtriuſque partis conſenſus exprimitur, ſed conſenſum in copulam carnalem.* 18

*Quia per traditionem contractus veluti inchoatur, & per acceptationem perficitur; hinc fit, vt in matrimonio (cui ratio contractus competit) traditio ſit materia, acceptatio forma.* 38.

*Matrimonium fundatur in contractu humano, qui legitimè fiat; vt autem contractus ſit legitimus, in vno loco ſatis eſt quod priuatim fiat; in alio requiritur vt fiat coram Parocho, & teſtibus.* 52

*Conſenſus factus ſub conditione de futuro, veluti ſuſpenſus manet, nec habet rationem conſenſus abſoluti, donec impleatur conditio: & conſequenter ipſum matrimonium tandiu eſt veluti pendens, & in fieri.* 192

*Matrimonium ratione ſignificationis alijs ſacramentis excellit, quatenus ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia, tanquam ſponſi cum ſponſa, vt colligitur ex Paulo ad Epheſ. 5.* 117

*Sacramentum matrimonij non eſt neceſſarium reſpectu particularium hominum, ſed reſpectu totius Eccleſiæ: vt ea nimirum per generationem carnalem filiorum conſeruetur.* 122

*In hoc diſtinguitur matrimonium ab alijs ſacramentis, quod error ſubſtantialis perſonæ, matrimonium etiam contractum irritum reddit: quia contrahentes ex quorum mutuo conſenſu oritur vinculum, directè intendunt talem perſonam, excluſis alijs omni-*

*bus.* 195

*Qui matrimonium contrahunt in peccato mortali, non peccant lethaliter quatenus hoc ſacramentum ſibi inuicem adminiſtrant; ſed qua parte ſacramentum illud, quod eſt viuorum, & exiſtentium in gratia, indignè ſuſcipiunt.* 208. Vide v. compoſitio ſacramenti.

## METVS.

*Qui metu ad ſacramentum compellitur, validè illud ſuſcipit; quia abſolutè vult ſacramentum ſumere: ſecundum quid verò minimè, quatenus ſi metus abeſſet, ad illud non accederet.* 231

## MISSA.

*Ad alia ſacramenta adminiſtranda, Sacerdos peccati mortalis reus accedere poteſt cum ſola contritione; vt autem celebret, debet præterea ſacramentaliter confiteri; non propter ipſam celebrationem, ſed propter ſumptionem Euchariſtiæ.* 210

*Sacerdos cum conſcientia peccati mortalis celebrans, vt minimum duplex peccatum mortale perpetrat.* 1. *omiſſionis, quatenus non confitetur cum poſſit.* 2. *Commiſſionis, quatenus indignè Euchariſtiam recipit. Quod ſi præterea non ſit contritus, peccat grauiter; quia actum ordinis indignè exercet.* 211

*Sacerdos peccati mortalis reus, licitè celebrare poteſt non præmiſſa confeſſione, quando adeſt neceſſitas celebrandi; vt ſi periculum ſit ne quis ſine viatico intereat: aut ſi Sacerdos ille teneatur ex officio ſacrum facere, & alioqui non adſit confeſſarius qui eum audire poſſit.* 211

*Si periculum ſit ne ex confeſſione ſingulorum peccatorum mortalium, graue aliquod damnum incurras, potes tuta conſcientia, non præmiſſa confeſſione celebra-*

*re in dicta neceſſitate, & ad Euchariſtiam cum contritione accedere.* 213

*Quod ſi tantùm ſis attritus, & nullum peccatum mortale, ob graue ſaluti tuæ impendens periculum, confiteri audeas; debes venialia confiteri, vt indirectè à mortalibus abſoluaris, & cum gratia accedas ad Euchariſtiam.* 213

*Quod ſi nonnulla ſunt peccata quæ abſque dicto periculo confiteri poſſis, omiſsis alijs, ea confiteri debes; vt ita poſt confeſsionem dignè celebres, aut ad ſacramentũ altaris accedas,* 213

*Si pœnitens habeat tantùm caſus reſeruatos, à quibus ſcilicet confeſſarius cuius habet copiam abſoluere nequit, non tenetur ea confiteri, ſed poteſt non præmiſſa confeſſione celebrare in dicta neceſſitate, ſi contritione prædictus eſt. Quod ſi tantùm ſit attritus, caſus reſeruatos cum venialibus confiteri debet.* 214

*Si verò dictus Sacerdos habeat nonnullos caſus reſeruatos, & alios non reſeruatos, debet omnes confiteri, vt etiam à reſeruatis, ſaltem indirectè abſoluatur.* 214

*Sacerdos in peccato mortali exiſtens, qui neceſſitate vrgente celebrauit non præmiſſa confeſsione, debet quam primum fieri poterit, confiteri ex præcepto. Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 7.* 214

*Sacerdos qui ante celebrationem, confeſsionem omittit ex obliuione, non tenetur poſtea prima data occaſione confiteri, niſi ante ſumptionem Euchariſtiæ peccatorum recordetur; quia iam accedit ad illam ex neceſſitate.* 215

*Sacerdos qui ex malitia celebrat, non præmiſſa confeſsione peccatorum mortalium quibus detinetur;*

*non tenetur confiteri ſtatim poſt celebrationem, ſed ſuo tempore ſicut alij peccatores.* 216

# N

## NATVRA SACRAMENTI.

*Non eſt de ratione ſacramenti vt conferat veram, & internam ſanctitatem, quæ in gratia ſanctificante conſiſtit; ſed tantùm externam, & legalem quæ mundiciem aliquam corporis complectitur.* 8

*Cum ſacramentum ſit ſignum ſenſibile myſterij alicuius latentis, de ratione illius eſt vt veram, & internam animæ ſanctitatem ſignificet.* 10

*Sacramentũ in genere dici poteſt ſignum practicum, ſi practicum illud voces quod producit ſanctitatem aliquam ſiue externam, ſiue internam: item quod efficit eam ſanctitatem quam proximè ſignificat.* 11

*Quia ſacramento competit eſſe cauſam ex parte materiæ, eſſe verò ſignum ex parte formæ, ideo ſacramentum debet conſtitui in genere ſigni, non cauſæ.* 12

*Licet ſacramentum interdum actu non ſignificet gratiam illi cui adminiſtratur, non debet inde colligi ſacramentum non poni in genere ſigni; quia ſatis eſt quod, quantum eſt ex ſe, gratiam ſignificet.* 13

*Sacramentum formaliter ſpectatum in genere ſigni conſtitui debet: ſpectatum verò materialiter ſecundum ſubſtantiam ſuam, in varijs prædicamentis reponi poteſt.* 13

*Cum ſacramentum ſit cæremonia qua Deus colitur, & fide-*

*& fideles ab infidelibus exterius diſtinguuntur; de ratione illius eſt vt ſit ſignum ſenſibile, & externum.* 14. 15

*Cum nulla res ſenſibilis poſſit ex natura ſua ſignificare gratiam, de ratione ſacramenti eſt, vt ſit ſignum voluntarium, & ex diuina inſtitutione.* 18

*Quia ſacramentum eſt cæremonia religionis, & ſignum ad communem hominum vſum inſtitutum, de ratione illius eſt vt ſit ſignum ſtabile, longo tempore durans.* 21

*Cum ſacramentum habeat conditiones omnes ad veram definitionem neceſſarias, nulla ſuppetit ratio cur propriè definiri non poſſit; ſaltem ad modum entium moralium.* 22

*Impropriè loquuntur qui dicunt ſacramentum formaliter ſumptum eſſe ens rationis, cum verè citra intellectum exiſtat, & gratiam ſignificet, etiam ſi nullus de eo cogitet.* 25

*Sacramentum rectè definiri poteſt*, Res, ſeu cæremonia ſenſibilis, ſtabili lege inſtituta, ſanctitatem aliquam hominibus conferens, & veram ſignificans. 26. Vide loca vbi agitur de compoſitione, forma, & materia ſacramentorum.

## NECESSITAS.

*Aliquid dicitur neceſſarium dupliciter, neceſſitate medij, & præcepti. Illud eſt neceſſarium priori modo, ſine quo finis haberi nequit; poſteriori verò, id ſine quo finis obtineri poteſt, ſi eo ſine tua culpa careas.* 118

# O

## OBEX GRATIÆ.

*Sacramenta non conferunt gratiam actu ponentibus obicem, quia actu ponere obicem gratiæ, nihil eſt aliud quam actu peccare mortaliter in ipſa ſuſceptione ſacramenti.* 235

*Ad effectum gratiæ, non ſatis eſt quod ſacramenmentum ſuſcipiens per peccatum non ponat obicem, ſed præterea requiritur vt ſi adultus ſit, cum aliqua diſpoſitione poſitiua ad ſacramentum accedat.* 236. Vide v. ſuſcipiens.

## ORATIO.

*Oratio Sttephani fuit inſtrumentum non tantùm Stephani, ſed etiam ipſius Dei, qui prius mouit Stephanum ad orandum, eaque oratione moueri voluit vt illa mediante ſequeretur effectus à Deo ipſo phyſicè producendus, nempe conuerſio Pauli.* 228

## ORDO.

*Sacramentum Ordinis non eſt neceſſarium reſpectu particularium hominum, ſed tantùm reſpectu totius Eccleſiæ: tum ad Hierarchiam componendam: tum ad ſacramenta reliqua adminiſtranda.* 122

*Sacramentum Ordinis præcedit ſacramentum Matrimonij, eoque eſt dignius; quia illud ad ſpirituales filios, hoc ad corporales generandos ordinatur. Reliquis etiam præfertur, quatenus homines conſtituit in gradu perfectiori.* 115. 117

# P

## PARENTES.

*CVm baptiſmus ſit de neceſſitate ſalutis, & extet præceptum diuinum de eo ſuſcipiendo, parentes tenentur paruulum quem vident in vitæ diſcrimine verſari, miniſtro etiam non tolerato offerre vt ipſum baptizet.* 256

## PHANTASMA.

*Phantaſma ex probabiliori ſententia, concurrit tantùm materialiter ad productionem ſpeciei intelligibilis: aut ſi dicitur concurrere effectiuè, ponenda eſt in illo virtus quædam productiua talis effectus.* 321

## POENITENTIÆ SACRAMENTVM.

*Verba abſolutionis ante inſtitutionem diuinam nullo pacto, ſiue verè, ſiue falsò ſignificant remiſſionem peccatorum per gratiam ſanctificantem; ſed remiſſionem quandam humanam.* 21

*Sacerdos verè dicere poteſt pœnitenti,* Ego te abſoluo *etſi tantùm moraliter ad abſolutionem concurrat; eo modo quo Iudex dicit,* Ego abſoluo hunc reum, *licet ſolùm moraliter illius abſolutionem peragat, iubendo nimirum vt educatur è carcere.* 337

*Quia pœnitentiæ ſacramentum perficitur per modum cuiuſdam iudicij, confeſſio pœnitentis habet rationem materiæ, abſolutio rationem formæ.* 37

*Ad valorem abſolutionis non ſatis eſt quod pœnitens quouis modo abſolutionem voluerit, ſed opus eſt*

*præterea vt peccata ſua modo poſſibili confeſſus fuerit: quia confeſſio eſt de eſſentia ſacramenti pœnitentiæ.* 232

*In ſacramento pœnitentiæ ſufficit ea vnio, quæ neceſſaria eſt inter accuſationem Rei, & ſententiam Iudicis, vt ex vtraque integrum iudicium cenſeatur perfici.* 43

*Pœnitentia ordine naturæ præcedit vnctionem extremam, quia per illam peccata expelluntur; per iſtam verò peccatorum reliquiæ procul amandantur.* 115

*Pœnitentia præſtat reliquis omnibus ſacramentis, quantum ad neceſſitatem remittendi peccata mortalia, quæ poſt baptiſmi ſacramentum patrata fuerunt.* 116

*Sacramentum pœnitentiæ eſt neceſſarium neceſſitate medij, vel in re, vel in voto; ita vt ſi homo moriens non poſsit habere copiam confeſſarij; cum contritione ſaluetur. 119. 120.* Vide v. compoſitio ſacramenti. v. Toleratus.

POTENTIA OBEDIENTIALIS.

*Non dari potentiã obedientialem actiuam in ſacramentis, probatur tum ob alias cauſas, tum quia nihil eſt à quo talis potentia compleatur, aut determinetur.* 309. &c.

PRÆDICARE.

*Prædicare in mortali non eſt ex ſe peccatum mortale; quia actio illa, etſi in ſe bona ſit, & honeſta, non tamen ſpeciali modo eſt ſancta, & conſecrata ſicut actiones ſacramentorum.* 222

*Per accidens contingere poteſt, vt quis prædicans in mortali mortaliter peccet, ſi concionator ſit peccator publicus. Tunc enim ratione ſcandali, quodammodo eneruat vim prædicationis, & fructum illius im-*

*pedit.* 223

## PROBITAS MINISTRI.

*Definitum eſt in Concil. Trident. aduerſus Donatiſtas, Apoſtolicos, & Uicleſiſtas, ſacramentum à miniſtro prauo collatum eſſe validum, dummodo debita materia, & forma, & intentio faciendi quod efficit Eccleſia non omittantur.* 161

*Qui ſacramentum ſuſcipit à miniſtro prauo, non mundatur ab immundo; quia miniſter agit virtute, non ſua, ſed Chriſti: neque operatur vt peccator, ſed vt homo qui eſt Chriſti inſtrumentum.* 162

*Licet peccator ſit indignus poteſtate ſacramenta adminiſtrandi, non tamen ea priuatur ſicut nec vita, diuitijs, alijſque naturæ, aut fortunæ bonis; licet illis quoque indignus ſit.* 163

---

# R

## RES SACRAMENTORVM.

*Tria in ſacramentis diſtingui ſolent, Res tantùm, ſacramentum tantùm; Res, & ſacramentum ſimul.* 1. *eſt quod ſignificatur, & non ſignificat.* 2 *quod ſignificat, & non ſignificatur.* 3. *Quod ſignificatur, & ſignificat.* 15.

*Res ad ſignificandum impoſita tunc habet ſolum rationem ſigni, quando exhibetur eo modo quo eſt inſtituta ad ſignificandum. Hinc res, & verba ſacramentorum ſunt ſigna quando exhibentur humano modo, & cũ intentione faciẽdi quod Chriſtus inſtituit.* 175.

# S

## SACRAMENTI VOX.

*Sacramentum varijs modis ſumitur. 1. Pro pignore. 2. Pro iuramento. 3. Pro re ſecreta. 4. Pro ſigno rei ſecretæ. 5. Pro cæremonia qua homo Deo conſecratur.* 1. 2

*Nomen ſacramenti, ſeu myſterij reperitur in ſcriptura ſacra, item apud Pares in ſenſu quo à ſcholaſticis vſurpatur, pro ſigno rei ſacræ, hominem ſacrantis.* 3.

## SACRAMENTI ET SACRIFICII DIFFERENTIA.

*Illud intereſt inter ſacramentum, & ſacrificium, quod ſacrificium refertur immediatè ad cultum Deo exhibendum: ſacramentum verò immediatè ad cultores Dei aliqua ratione ſanctificandos.* 9

## SACRAMENTALIA.

*In ſacramentis reperiuntur duo genera cæremoniarum: Alia enim pertinent ad ipſam ſubſtantiã ſacramenti, vt verbi cauſa, Unctio Chriſmatis in confirmatione. Alia vero ſunt accidentales ſacramento, qualis eſt vnctio verticis quæ fit in baptiſmo.* 379

*Eccleſia habet poteſtatem inſtituendi ſacramentalia, ſeu cæremonias poſterioris generis, cum enim poſſit ſacramenta tractare conuenientiori modo, conſequenter poteſt inſtituere ſacramentalia, quæ ad con-*

*uenientiorem ſacramentorum adminiſtrationem conducunt.* 378

*Eccleſia habet poteſtatem obligandi fideles ad certas cæremonias ab ipſa inſtitutas, in ſacramentorum adminiſtratione ſeruandas; ita vt grauiter peccet miniſter qui data opera ſine vlla neceſſitate eiuſmodi cæremonias prætermittit.* 381

*Sacramentalia hoc verſiculo comprehenſa*, Orans, Tinctus, Edens, Confeſſus, Dans, Benedicens, & *Similia, ſi quæ ſint, non habent vim delendi peccata venialia ex opere operato; cum ab Eccleſia in eum finem non ſint inſtituta, neque inſtitui potuerint.* 387

*Sacramentalia habent vim delendi venialia ex opere operantis, quatenus excitant in nobis pium aliquem motum, & diſplicentiam de peccatis ſiue formalem, ſiue virtualem, ratione cuius homo ad remiſſionem peccatorum impetrandam, aliquo modo diſponitur.* 390

*Sacramentalia non habent vim excitandi in nobis infallibiliter ex opere operato, motus ſupernaturales gratiæ actualis, quia ſicut gratia habitualis, ita & actualis eſt proprius Dei effectus, non autem Eccleſiæ.* 395

*Sacramentalia habent vim nobis obtinendi gratias actuales per modum impetrationis; quatenus habent vim aliquam moralem applicandi merita Eccleſiæ, quorum intuitu effectus ille interdum obtinetur. Quod tantùm intellige de ijs ſacramentalibus quæ per conſecrationem ad talem effectum ordinantur.* 396

*Quædam ſacramentalia habent vim ſupernaturalem fugandi Dæmones, per actionem non phyſicam, ſed moralem ad quam multa concurrere poſſunt, nimirum oratio & ſanctitas miniſtri:*

*merita Eccleſia, & praeceptum ipſius quo iubet vt Dæmones è corporibus exeant: ſignum crucis, & inuocatio nominis Ieſu.* 396. &c.

## STATVS INNOCENTIÆ.

*Cum ſacramentum ſit ſignum ſolemni, & ſtabili lege inſtitutum, & longo tempore durans, conſequens eſt, nullum de facto fuiſſe inſtitutum ſacramentum in ſtatu innocentiæ, qui breuiſſimo tempore perdurauit.* 76

*Si Adamus non peccaſſet, & ſtatus innocentiæ longo tempore perduraſſet, incertum eſt an futura fuiſſent ſacramenta, nec ne; quia talis inſtitutio pendet à voluntate diuina, quæ nobis hac in re ſatis non innoteſcit.* 78

*Quod ſi coniecturis agere liceat, probabile eſt in eo ſtatu nulla inſtituenda fuiſſe ſacramenta; quod non impedit quominus quorundam ſacramentorum inſtitutio, ſi facta fuiſſet, ſufficientem cauſam, & congruentiam habuiſſet.* 78. & 80

*In ſtatu innocentiæ homines ab obiectis externis, & ſenſibilibus ad cognitionem rerum excitati fuiſſent; neque intellexiſſent res ſpirituales, & diuinas in ſe, ſed tantùm per ordinem ad corporalia.* 81

*Non quælibet dependentia à rebus corporeis erat contraria dominio homini conceſſo in ſtatu innocentiæ; ſed ea tantùm quæ obſtabat, quominus homo ad arbitrium vteretur rebus corporeis.* 84

*In ſtatu innocentiæ fuiſſet cultus externus erga Deum, tam iſ qui ſit per ſolas actiones corporis, quam qui in oblatione rerum externarum conſiſtit.* 84

## SVSCIPIENS SACRAMENTVM.

*Vt ſacramentum validè ſuſcipiatur; neque gratia, neque fides, aut alia ſimilis diſpoſitio in ſuſcipiente*

*eſt neceſſaria; vt patet ex eo quod hæretici baptizati, vel ordinati iuxta ritum eccleſiæ, non ſunt iterum baptizandi, vel ordinandi.* 233

*Ad primam gratiam ſacramentis obtinendam, non eſt neceſſaria contritio præuia; quia ſic nunquam haberetur prima gratia per ſacramentũ, ſed per contritionem; & augmentum gratiæ, ſeu gratia 2. vi ſacramenti.* 239

*Vt quis ſacramenta viuorum dignè, & cum fructu recipiat, oportet vt is gratia ſanctificante præditus ſit; atque adeo vt ſit contritus, ſi conſcius ſibi ſit peccati mortalis.* 240

*Vt homo iuſtus per ſacramenta (excipe pœnitentiam) recipiat augmentum gratię, ſatis eſt, quod ad ea liberè accedat in ſtatu gratię, eſto nulla actuali diſpoſitione præditus ſit: imo etſi peccet actu venialiter, & multò magis ſi ſine ſua culpa diſtrahatur.* 242

*Licet actualis diſpoſitio neceſſaria non ſit homini iuſto, ad dignam ſacramenti ſuſceptionem; debet tamen ille ad pietatem ſeſe excitare, imo ad diſplicentiam aliquam generalem peccatorum, vt ita caueat periculum accedendi cum obice peccati lethalis.* 244

*Non licet vnquam petere ſacramentum ab eo qui validè illud conferre nequit, verbi cauſa, abſolutionem à ſacerdote qui iuriſdictione caret: quia hoc eſſet directè inducere ſacerdotem ad ſacrilegium, & ad fictum ſacramentum accedere, quæ duo intrinſecè mala ſunt.* 245

*Licitè poſſum petere ſacramentum à meo parocho, quem ſcio in adminiſtratione peccaturum, quando nullus adeſt qui mihi æquè commodè, & ſine peccato ſacramentum miniſtrare poſſit. Quod enim peto bonum, & iuſtum eſt, & parochus ritè poteſt, & debet illud*

*mihi exhibere.* 245

*Licet inculpatè ſacramentum petere à miniſtro prauo, qui non eſt meus parochus, aut ſuperior; ſi paratus ſit ad ſacramentum conferendum, nec alius adſit qui aquè commodè miniſtrare poſſit. Quia non tam illum iam induco ad peccatum, quam ipſemet ſe ſponte præcipitat.* 247

*A miniſtro prauo non parato ſacramentum ſumere licet; tum in articulo mortis; tum quando inſtat neceſſitas ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ; tum etiam quando quis ex deuotione, aut ſpeciali Dei inſtinctu vult ad ſacramentum accedere.* 248. &c.

*Vt quis licitè poſsit petere, & ſumere ſacramentum ab aliquo miniſtro, non opus eſt vt mortaliter certus ſit eum eſſe ritè diſpoſitum ad dignè miniſtrandum, ſed ſatis eſt ſi non conſtet ei de oppoſito.* 250.

Vide plura v. Attritio. v. Infantes. v. Obex gratiæ. v. Intentio. v. Metus.

---

# T

## TOLERATVS.

*EXcommunicati, aliaue cenſura ligati, vel ſunt tolerati, vel non tolerati. Tolerati dicuntur ij cum quibus in humanis, & diuinis communicare licet: non tolerati verò cum quibus in prædictis communicare prohibitum eſt.* 251

*Ex iure nouo omnes miniſtri mali quantumuis ſint ſuſpenſi, interdicti, excommunicati, hæretici, &c.*

*ſunt tolerati ab Eccleſia, niſi ſint publicè, nominatim, & expreſsè denunciati, aut notorij clerici percuſſores. 251.* Vide v. fornicarij.

*Sacramenta licitè peti, & ſumi poſſunt à miniſtris ab Eccleſia toleratis, ſi iuſta cauſa adſit. Quia poſſumus ſine peccato rem valdè nobis vtilem ab eo petere, qui ſine peccato illam nobis conferre poteſt; etſi fortè non ita ſit collaturus. 253.*

*In articulo, aut periculo mortis ſacramentum pœnitentiæ à non tolerato petere licet, cum illud ſit per ſe medium ad ſalutem neceſſarium, & iure diuino præceptum: & periculum ſit ne homo ſine vera contritione intereat. 256*

*Miniſter non toleratus poteſt intereſſe matrimonio, ſi fortè neceſſe ſit, vt quis in articulo mortis cum aliqua contrahat, verbi cauſa, cum concubina ex qua plures ſuſcepit liberos: ea enim communicatio non cenſetur adeo grauis, quin à peccato excuſet. 267*

Vide v. Adultus. v. Euchariſtia. v. Vnctio Extrema. v. Parentes.

---

# V

## VNCTIO EXTREMA.

E*Xtrema Vnctio eſt nobilior pœnitentia, qua parte ſupponit gratiam ab ea collatam, & ampliorē addit. Imo ſi interdum peccata per pœnitentiam deleta non ſint, ea tollit vnctio cum ipſorum reliquijs. 116.*

*Sacramentum Extremæ Vnctionis non eſt ad ſalutem neceſſarium neceſſitate medij, neque neceſſitate præcepti, ſiue diuini ſiue Eccleſiaſtici.* 122

*Extrema Vnctio cum non ſit neceſſaria neceſſitate medij, aut præcepti diuini, & per ſe ſupponat ſacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, peti non debet per ſe loquendo à miniſtro non tolerato. Si tamen moriens ſit attritus, & dicta ſacramenta ſumere nequeat, à non tolerato vngi poteſt.* 265

*Qui piè, & catholicè viuit, cenſetur velle implicitè vt ſibi morienti ea adminiſtrentur ſacramenta, quæ morientibus tradi ſolent. Quare ſi rationis vſu ſubitò deſtituatur, Vnctio Extrema illi tradi debet, niſi certò conſtet eum verſari in mortali, de quo non eſt contritus, vel attritus.* 233

*Finis compendij Alphabetici.*

# LOCA
# PRÆCIPVA IVRIS
## CANONICI QVÆ
### IN HAC I. PARTE
#### RESENSENTVR.

Cum breuiſſima eorum explicatione.

*Ex prima parte decreti, quæ eſt de diſtinctionibus.*

EX hac parte decreti explicantur duo tantum iura, quorum primum ſumitur ex diſt. 40. cap. *Multi*, vt probetur cõcionatorem qui in mortali prædicat, interdum peccare mortaliter, ratione ſcandali. *Vide pag. 223.*

Aliud ius habetur diſt. 50. cap. *Quid eſt hoc* & refertur *eadem pag. 223.* ad id confirmandum quod ex præcedenti oſtendimus.

*Ex ſecunda parte decreti, quæ eſt de cauſis.*

Primus locus huius partis à nobis explicatus, can. *Si iuſtus fuerit*, 1. quæſt. 1. & refertur *pag. 160.* ad probandum ſacramenta à prauis miniſtris collata, eſſe valida, & vtilia.

Secundò, ex eadem cauſa, & quæſt. ſumitur can. *Dedit* qui *eadem pag.* vſurpatur, vt manifeſtum ſit baptiſmum à Iuda collatum fuiſſe vali-

dum, & multo perfectiorem Ioannis baptiſmo.

Tertiò, *pag. 157.* affertur ex eadem cauſa, & quæſt. can. *Superueniente* qui ita explicatur, vt ſenſus illius ſit conſecrationem ab Epiſcopo Arriano factam eatenus eſſe ſacrilegam, quatenus talis Epiſcopus conſecrans ſacrilegium perpetrat; non quod verè non conſecret.

Quartò, *pag. 202.* citatur can. *ſciſcitantibus* ex 15. quæſt. 8. ad oſtendendum illum peccare mortaliter, qui in ſtatu peccati lethalis, ſacramentum ex officio adminiſtrat.

Quinto, *pag. 258.* adducitur can. *Si quis ſuadente* ex 17. quæſt. 4. vt probetur iura in caſuum reſeruatione, ſolere excipere articulum mortis.

Sextò, *pag. 254.* allegatur can. *Si quem fortè*, ex 24. quæſt. 1. ad ſuadendum, licere in articulo mortis baptiſmum petere à miniſtrò non tolerato.

Septimo, *pag. 264.* oſtenditur ex facto Hermenigildi, de quo 24. quæſt. 1. cap. *Capit* nihil concludi contra aſſertionem, quæ ſtatuit ſacram Euchariſtiam in articulo mortis, à miniſtro non tolerato ſumi poſſe.

Octauò, *pag. 18.* explicatur id quod dicitur 27. quæſt. 2. cap. *Sufficiat*, ſolum internum conſenſum ad matrimonium ſufficere, vt nimirum non excludantur ſigna externa, ſed conſenſus in copulam, &c.

Nono, ſacramentalia non habere vim delendi peccata venialia ex opere operato, ſed tantùm per modum impetrantis oſtenditur *pag. 389.* ex diſt. 3. de pœnitentia, cap. *De quotidianis.*

Decimò, ſacramento pœnitentiæ deleri peccata, & conferri gratiam ſanctificantem probatur *pag. 272.* ex eadem diſt. de pœnitentia can. *Totam.*

## *Ex tertia decreti parte, quæ eſt de Conſecratione.*

Primò, ſacramentum altaris gratiam conferre, & peccata remittere concluditur *pag. 271.* ex can. *Si quotieſcunque*, qui ex diſt. 2. de conſecratione deſumptus eſt.

Secundò, *Eadem pagina* explicatur can. *Si non ſunt*, qui habetur eadem diſt. vt ſenſus illius ſit, Euchariſtiam ideo medicinam apellari, quia ſanat ægritudines animi.

Tertiò, per baptiſmum hominem iuſtificari ſuadetur *pag. 271:* ex can. *Per aquam* qui habetur de conſecratione diſt. 4.

Quartò, *pag. 155.* affertur can. *Romanus* ex eadem diſt. 4. de conſecrat. Et ex eo comprobatur, paganos validè baptizare, atque adeo fidem ad valorem ſacramenti, in miniſtro non eſſe neceſſariam.

Quinto, *pag. 154.* citatur can. *A quodam Iudæo,* ex diſt. prædicta de conſecrat. ad confirmandum id quod iam dictum eſt de valore baptiſmi, etiam à pagano, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,* collati.

Sexto, *pag. 245.* contra nonnullos oſtenditur, ex prædicto canone non poſſe efficaciter concludi licitum eſſe, in articulo mortis baptiſmum à miniſtro non tolerato petere.

Septimò, *pag. 154.* affertur canon *Si qui.* ex diſt. 4. de conſecrat. ad probandum baptiſmum ab hæreticis, in nomine trium perſonarum Trinitatis collatum, valere, & iterandum non eſſe.

Octauò, *pag. 155.* adducitur can. *Quamuis* ex eadem diſt. 4. de conſecrat. vt oſtendatur, eos iterum non eſſe baptizandos, qui ab hæreticis baptizati fuerunt, ſub eadem forma qua Catholici vtuntur.

Nonò, can. *Si reuera* relato *pag. 154.* ex eadem diſt. 4. de conſecrat. docetur, baptiſmum etiam à pagano collatum tenere, ſi tamen in nomine S. Trinitatis, id eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti collatus fuit.

Decimò, can. *Hi de quibus* qui affertur *pag. 154.* ex eadem diſt. 4. de conſecrat. traditur, non eſſe iterandum baptiſma cuius formam conſtat integrè fuiſſe prolatam, etſi ignoretur quam fidem profiteatur miniſter talis baptiſmi.

Vndecimò, can. *Siue hæreticus* eadem diſt. 4. habetur non debere à bonis Catholicis rebaptizari qui ab hæretico, ſchiſmatico, aut alio quouis facinoroſo in confeſſione S. Trinitatis baptizatus fuit, vt notatur. *pag. 155.*

Duodecimo, eadem diſt. 4. de conſecrat. cap. *retulerunt* approbatur forma illa baptiſmi, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritu ſancta* qua oſtenditur corruptionem aliquam formę non officere veritati ſacramenti. *pag. 62.*

Decimotertio, *pag. 64.* Concluditur tenere ſacramentum quando ſeruatur debitus ſenſus formæ, etſi miniſter peculiarem aliquem errorem introducere

introducere velit, *& pag. ſequenti*, oſtenditur oppoſitum non probari ex dicto can. *retulerunt*.

Decimo quartò, *pag. 271.* citatur can. *Spiritus Sanctus*, ex diſt. 5. de Conſecrat. & ex eo probatur, baptiſmo conferri primam gratiam, confirmatione ſecundam, ſeu augmentum primæ.

## *Ex Decretalibus.*

Primò, *pag. 219.* explicatur cap. *Quaſitum*, de tẽporibus ordinationum, ita vt alia de Sacerdotibus, alia de Clericis inferioribus intelligantur; neque ex eo probari pooſſit, Diaconum cantantem in mortali peccare lethaliter.

Secundò, *pag. 258.* citatur cap. *Paſtoralis*, de officio Iudicis ordinarij, & ex eo oſtenditur, iura in caſuum reſeruatione ſolere excipere mortis articulum.

Tertiò, *pag. 203.* probatur ex cap. *De homine*, de celebratione miſſarum, grauiter peccare Sacerdotem qui celebrat in mortali; & quemuis alium qui in eo ſtatu ſacramentum ex officio adminiſtrat.

Quartò, *pag. 232.* citatur cap. *Maiores*, de baptiſmo, vbi dicitur amentes, & dormientes in neceſſitate baptizari poſſe, ſi aliàs voluntatem recipiendi baptiſmum habuerint: & inde colligitur intentionem habitualem in ſuſcipiente ad valorem ſacramenti ſufficere.

Quintò, *pag. 92.* ita explicatur cap. *Cum locum*, de ſponſalibus, & matrimonijs, vt cum dicitur ad matrimonium conſenſum ſolum ſufficere, non excludantur ſigna externa conſenſus interni, ſed conſenſus in carnalem copulam, aut quid ſimile.

Sextò, cap. *Quod in te*, de pœnitentiis & remiſſionibus, datur facultas adminiſtrandi Euchariſtiam, & pœnitentiam morientibus: non autem ea ſacramenta conferendi in ſtatu peccati mortalis vt notatur *pag. 205.*

Septimò, *pag. 262.* aſſeritur Euchariſtiam in articulo mortis à non tolerato ſumi poſſe, idque ſuadetur ex cap. *proximè citato*, vbi dicitur, tempore generalis interdicti, eo ipſo quod morientibus pœnitentia conceditur, illis etiam concedi viaticum.

Octauò, *pag. 265.* ex eodem illo cap. *Quod in te*, vbi dicitur tempore generalis interdicti vnctionem extremam dandam non eſſe; colligitur hoc ſacramentum in articulo mortis à miniſtro tolerato, per ſe loquendo petendum non eſſe. Quanquam in certo caſu dari poſſit.

*Finis locorum Iuris Canonici quæ in prima hac parte explicantur.*

Digitized by Google

# THEOREMATA CONCILII TRIDENTINI AVTHORITATE ROBORATA.

## AD LECTOREM.

*QVia aliquid ſupererat chartæ, operæ pretium me facturum putaui ſi præcedentibus indicibus adderem hunc tertium in quo non tantum notantur loca Concilij Tridentini quæ in noſtris hiſce diſputationibus de Sacramentis in genere expenduntur, ſed inſuper quid ex ſingulis locis à nobis probetur, breuiter aperitur.*

### *Ex Seſſione quinta.*

SACRAMENTA nouæ legis producere gratiam vt inſtrumenta moralia illius probatur, *pag. 286.* huius partis ex Concilio Tridentino *Seſſ. 5.* In decreto de Peccato originali, *Can. 3.*

## *Ex ſeßione ſexta.*

Baptiſmum in re, vel in voto eſſe adultis neceſſarium neceſſitate medij ad primam gratiam aſſequendam, ſuadetur *pag.119.* ex eodem Concilio, *ſeſſ.6.cap.4.*

Deteſtationem peccati ex motiuo aliquo naturali, vel humano ortam non ſufficere ad effectum ſacramenti, ſumitur *pag.238.* ex *ſeſſ.6.cap.5.* vbi primi motus ad iuſtificationem gratiæ tribuuntur.

Merita Chriſti per ſacramenta nobis applicari, atque adeo hæc eſſe cauſas morales noſtræ iuſtificationis, oſtenditur *pag. 286.* ex *cap. 7. ſeſſ. prædictæ.*

Baptiſmus reliquis ſacramentis eminet, quatenus peccata omnia tam originale, quam actualia remittit, & pœnam omnem illis debitam, vt *pag.116.* comprobatur ex *cap.14.* eiuſdem *ſeſſ.6.*

*Pag.238.* affertur, *(can.3. ſeſſ.6.* ad probandum dolorem naturalem de peccatis non ſufficere ad gratiam ſacramentis obtinendam, ſed requiri deteſtationem ſupernaturalem ex motione Spiritus ſancti ortam.

Theologi ex eo probant gratiam & charitatem eſſe aliquid reale, imo oppoſitum non eſſe in fide tutum, quia *ſeſſ.6. can.11.* dicitur gratiam, & charitatem eſſe aliquid infuſum in cordibus, iiſque inhærere. Ita refertur *pag.356.* huius partis.

## *Ex ſeßione ſeptima.*

Chriſtum Dominum per ſe immediate ſacramenta omnia nouæ legis inſtituiſſe oſtenditur

*pag.126.ex ſeſſ.7.can.1.* de Sacramentis in genere.

Sacramenta à Deo inſtituta in noua lege eſſe numero ſeptem ſtatuitur *pag. 111.* eaque aſſertio ſtabilitur authoritate & determinatione Concilij Trid.*ſeſſ.7.can.1.*

Sacramenta verè, quantum eſt ex ſe, conferre gratiam eſt aſſertio de fide, quæ *pag.270.ex can.6. ſeſſionis 7.* comprobatur.

Sacramenta non conferre gratiam actu ponentibus obicē deducitur *pag.235.ex ſeſſ.7.can.6.*

Quamuis eodem canone dicat Concilium ſacramenta gratiam conferre, non inde colligi poteſt ea eſſe cauſas phyſicas gratiæ; cum etiam cauſa moralis ſuum effectū conferre dicatur, *pag.325.*

Aſſertio eſt de fide ſacramenta nouæ legis per ſe verè conferre gratiam vt *pag.270.* manifeſtum fit ex Concilio Trid.*ſeſſ.7.can.ij.*

*Pagina vero 235.* oſtenditur ex eodem canone homines nonnunquam impedire quominus ſacramenta ipſis gratiam conferant, quando nimirum ponunt obicem.

Sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato, ſeu ſine vllo reſpectu ad diſpoſitionem, vel meritum ſuſcipientis, ſuadetur *pag. 274.ex can.8.* Prædictæ ſeſſionis.

Ex eodem canone poteſt colligi meritò ridendos eſſe hæreticos, qui rident modum illum loquendi ex opere operato quo vtitur Concilium, vt notatum habes, *pag.279.*

Characterem imprimi per Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, dum validè ſuſcipiuntur, aſſertio eſt de fide quæ *pag.351.ex can.9.ſeſſ. 7.ſtabilitur.*

Non ideo dicit Concilium tria illa ſacramenta charecterem in anima imprimere, quod putet illorum actionem eſſe phyſicam, ſed quia effectus ab anima amoueri nequit, vt *pag. 326.* obſeruatur.

Cum eodem can. 9. ſtatuatur characterem eſſe quoddam ſignum ſpirituale, & indelebile in anima impreſſum, ſequitur non modo characterem eſſe ens reale, ſed etiam non poſſe ſine errore defendi quod ſit ens rationis, vide *pag. 355. & ſequentem.*

Item cum ibidem Concilium dicat characterem imprimi in anima, dubium eſſe non poteſt quin in ea vt in ſubiecto character recipiatur, vt liquet, *ex pag. 368.*

Characterem eſſe ab anima indelebilem, ſaltem quandiu homo viuit, eſt de fide certum, vt probatur, *pag. 374.* ex prædicto, can. 9. ſeſſ. citatæ.

Quemlibet hominem viatorem non eſſe miniſtrum ordinarium ſacramentorum, colligitur, *pag.* 150. contra Lutherum, ex ſeſſ. 7. can. 10.

*Pag. 164.* Statuitur ad veritatem ſacramenti aliquam miniſtri intentionem eſſe neceſſariam, quod eſſe de fide probatur ex can. 11. ſeſſ. præfatæ.

Sequenti pagina oſtenditur ex eodem canone, non quamlibet miniſtri intentionem ad veritatem ſacramenti ſufficere: ſed intentionem faciendi quod facit Eccleſia requiri.

Concluſio eſt communis omnium Catholicorum, ad validitatem ſacramenti non eſſe neceſſariam miniſtri probitatem; quod *pag. 160.* ex can.

12. eiuſdem ſeſſ. apprimè confirmatur.

Eccleſiam habere poteſtatem obligandi fideles, ad certas cæremonias ab ea inſtitutas in ſacramentorum adminiſtratione ſeruandas, concluditur, *pag, 381.* ex can. 13. memoratæ ſeſſionis.

Ad valorem ſacramenti fidem miniſtri non eſſe neceſſariam, atque adeo hæreticos valide ſacramenta poſſe adminiſtrare ſtatuitur tanquam de fide, *pag. 253.* ex ſeſſ. 7. De Baptiſmo, can. 4.

Eccleſia acquirit ius perpetuum in eos qui baptiſmum ſuſcipiunt, ita vt nunquam, quantumuis fidem abnegent, ab illius iuriſdictione ſe ſubtrahere valeant. Ita habetur, *pag: 376.* ex can. 14. De Baptiſmo.

## *Ex ſeßione decima tertia.*

Sacramentum Euchariſtiæ à miniſtro non tolerato in articulo mortis adminiſtrari poſſe probabilis eſt ſententia, quæ *pag. 263.* ex ſeſſ. 13 cap. 2. non leuiter confirmatur.

Alia ſacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis vtitur; at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis author antè vſum eſt, ex ſeſſ. 13. cap. 3. de quo, *pag. 116.*

Sacerdos peccati mortalis conſcius confiteri debet ſacramentaliter antè celebrationem Miſſæ, non præcisè quia eſt celebraturus: ſed propter ſumptionem Euchariſtiæ, vt *pag. 210.* traditur ex cap. 7. eiuſdem ſeſſionis.

Excipiendus tamen eſt caſus neceſſitatis, quando verbi cauſa, ſacerdos tenetur ex officio celebrare, nec poteſt id pręſtare per alium; & aliunde nullus adeſt qui confeſſionem illius excipere

poſſit. Ita colligitur, *pag. 211.* ex cap. proximè citato.

Sacerdos in peccato mortali exiſtens, qui ex neceſſitate celebrauit non præmiſſa confeſſione, tenetur ſub peccato mortali quam primum fieri poterit confiteri, vt ſtatuitur *pag. 214.* ex eodem cap. 7. ſeſſ. 13.

## *Ex ſeßione decima quarta.*

Sacramenta omnia nouæ legis à Chriſto Domino immediatè fuiſſe inſtituta, non autem ab Apoſtolis, determinatur, *pag. 126.* in cuius rei confirmationem adducitur, cap. 1. ſeſſ. 14. vbi de Extrema Vnctione.

Cum in baptiſmo facilior, & liberalior ſit peccatorum remiſſio quam in pœnitentia, ex ſeſſ. 14. cap. 2. de Pœnitẽtia; ſi attritio ſupernaturalis ſufficit ad effectum poſterioris, ad effectum prioris ſufficiet, vt arguitur, *pag. 240.*

Eodem cap. Pœnitentia dicitur laborioſior baptiſmo, non quod, ſi attritio ſupernaturalis neceſſaria eſt ad pœnitentiam, naturalis ſufficiat ad baptiſmum: ſed propter opera pœnalia quæ pœnitentibus, non autem baptizatis in ſatisfactionem imponi debent. Conſule *pag. 238.* & ſequentem.

Licet attritio ſupernaturalis per ſe extra ſacramentum ſit inſufficiens ad gratiam conciliandam, cum ſacramento tamen pœnitentiæ hominem iuſtificat ex ſeſſ. 14. cap. 4. cuius fit mentio, *pag. 237.*

Quia ſacramentum Pœnitentiæ ſe habet per modum iudicij ex cap. 5. ſeſſionis citatæ hinc

*pag. 43.* deducitur ad illius compoſitionem, eam vnionem ſufficere, quæ neceſſaria eſt inter accuſationem rei, & ſententiam iudicis.

Verba illa Chriſti, *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, &c.* non omnibus, & ſingulis fidelibus eſſe dicta, tanquam certum de fide conſtat ex cap. 6. De Pœnitentia, & ex can. 10. relatis. *pag. 152.*

Eodem cap. docet Concilium abſolutionem non valere ſi deſit ſacerdoti animus ſeriò agendi, & verè abſoluendi. quod ipſum ſtatuitur can. 9. citato *pag. 168.*

In articulo mortis ſacramentum Pœnitentiæ à miniſtro non tolerato petere licet, vt *pag. 256.* perſpicuè oſtenditur ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. cap. 7.

## *Ex ſeßione vigeſima prima.*

In Eccleſia reſidet poteſtas inſtituendi varias cæremonias ſacramentorum, ſalua tamen illorum ſubſtantia, vt *pag. 379.* concluditur ex Concilio Trident, ſeſſ. 21. cap. 2.

## *Ex ſeßione vigeſima ſecunda.*

Non poſſunt omnes indiſcriminatim ſacrificium offerre, quia Chriſtus per verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*, non omnibus, ſed tantum Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus præcepit vt ſacrificium offerrent: vt ſtatuitur ſeſſ. 22. cap. 1. De quo, *pag. 252.*

## *Ex ſeßione vigeſima quinta.*

Publici concubinarij non ſunt vitandi, niſi nominatim declarati fuerint ſuſpenſi; neque ex

Concilio Trident. ſeſſ. 25. cap. 14. de Reformatione oppoſitum iure colligitur, ſi vera ſunt quæ habentur, *pag. 252.*

# Finis locorum Concilij Tridentini.

Dominó IESV CHRISTO, æterni Patris coæterno Filio., nec non puriſſimæ ipſius Matri ſit honor, & gloria in perpetuas æternitates, Amen.

Google

## FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

*EGo infra-ſcriptus Superior generalis Congregationis Beatæ Mariæ Fulienſis Ordinis Ciſtercienſis, facultatem concedo Reuerendo in Chriſto,* D. PETRO A SANCTO IOSEPH, *Monaſterij noſtri ſancti Benedicti apud Toloſam Priori, librum* De Sacramentis *quem compoſuit, prænia Doctorum Approbatione in lucem edendi. Datum Pariſijs apud* S. *Bernardum ſub ſigillo officij noſtri, & propriæ manus ſubſcriptione. Die vltima Decemb.* 1626.

Fr. IOAN. A S. FRANCISCO
Superior generalis.

---

## *APPROBATIO DOCTORVM.*

VIſo *Tractatu de Sacramentis in genere*, quem conſcripſit admodum eruditus, & Reuerendus P. D. PETRVS A S. IOSEPH Religioſus Ordinis Ciſtercienſis Congregationis Fulienſis, nec non Prior Monaſterij ſancti Benedicti Toloſæ, fidem facimus omnia planè in ſingulis diſputationibus contenta doctrinæ, ac fidei Orthodoxæ non modo conformia eſſe, quin etiam authore ſuo digna, vtiliſſima fore, ac maximo emolumento omnibus Theologiæ ſtudioſis ſi in lucem prodeant, vt ſingularis

eruditio, & perſpicuitas ſumma horum in ſacram Theologiam commentariorum poſtulant : qua de cauſa ex animo ſubſcripſimus die decimo octauo Martij, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo.

DE PELISSIER,
in Vniuerſitate Toloſana ſacræ Theologiæ Profeſſor.

*Fr. SIMPLICIANVS Auguſtinianus, in eadem Academia Profeſſor Theologus.*

*Veuë l'Approbation des Docteurs en Theologie, n'empeſchons l'impreſſion du Liure mentionné en icelle. Fait à Toloſe le 19. Mars 1627.*

DE CLARET,
Vicaire general.

# PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre. A nos Amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlemẽt de Paris, Toloſe, Bourdeaux, Rouën, Dijõ, Aix, Grenoble, & Bretaigne, Preuoſts, Baillifs, Seneſchaux, & autres nos Iuges & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre cher & bien aymé PIERRE BOSC, marchant Libraire iuré en l'Vniuerſité de Toloſe, nous a fait expoſer que depuis peu de temps il luy auroit eſté mis en main vn liure intitulé TRACTATVS THEOLOGICVS DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ, composé par Fr. PIERRE DE S. IOSEPH, de la Congregation des Feüillants, que l'expoſant deſireroit faire imprimer & mettre en lumiere, comme ayant eſté reconu tres-vtile au public, par l'atteſtation des Docteurs en Theologie & conſentement preſté par l'Archeueſque de Toloſe ou ſon Vicaire General, eſtant enfin ladite atteſtation dont le ſuppliant eſt porteur. En conſequence dequoy, il deſireroit qu'il nous pleuſt luy permettre d'imprimer, ou faire imprimer, vendre & debiter ledit liure pendant le temps qu'il nous plaira luy accorder. Mais iceluy expoſant craint qu'autre que ceux auſquels il auroit donné charge de ce faire ne vouluſſent s'ingerer de l'imprimer, le fruſtrant par ce moyen de ſes labeurs, & fraiz qu'il y faut employer s'il ne luy eſtoit pourueu de nos lettres à ce neceſſaires. A ces cauſes apres auoir fait voir les approbations des Docteurs en Theologie, & conſentement ſur ce preſté par l'Archeueſque de Toloſe, ou ſon Vicaire General y attachez ſoubs le contreſeel de noſtre Chancellerie. AVONS au ſuppliant, de l'aduis de noſtre Conſeil, permis & octroyé, permettons & octroyons par ces preſantes, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & diſtribuer par tout cettuy noſtre Royaume, pays, terres & Seigneuries de noſtre obeïſſance, ledit liure, ſans qu'autre que l'expoſant, ou ceux auſquels il auroit cedé ſon droit, le puiſſent vẽdre & diſtribuer, iuſques au terme de ſix ans, à compter du iour & datte de l'impreſſion dudit liure, ſur peine de confiſcation des exemplaires, cinq cens liures d'amende, & de tous deſpens dommages &

intereſts : A la charge de mettre deux exemplaires dans noſtre Biblioteque, auant que de l'expoſer en vente. Si vous mandons à chacun de vous commettons en droict ſoy, ſi comme à luy appartiendra, que de nos preſent priuilege & permiſſion, & tout le contenu y deſſus vous faites, & ſouffriez l'expoſant, & les ayans charge, pouuoir, ou droict de luy iouyr, & vſer pleinement & paiſiblement, & à ce faire ſouffrir & obeyr, contraignez tous ceux qui pour ce ſeront à contraindre par toutes voyes deuës & raiſonnables. CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR. Donné à Paris le 16. iour d'Auril l'an de grace mil ſix cens vingt-ſept, & de noſtre reigne le dix-ſeptieſme,

*Par le ROY, en ſon Conſeil,*

PONCET.

*Ceſte premiere partie a eſté acheuée d'imprimé le 10. Iuillet 1627.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

5-3-6

Google